



F^d Germain Castel
asp. miss.



PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

QUAS HABEBAT

M. BARGILLIAT

IN SEMINARIO CORISOPITENSI

ALTERA EDITIO

AB AUCTORE RECOGNITA

« Nulli sacerdotum liceat canones ignorare. »
(*Can. 4, dist. 38.*)

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD BERCHE ET TRALIN, BIBLIOPOLAS

VIA VULGO DICTA DE RENNES, 69

1893

Prælectiones juris canonici, *quas habet dilectissimus Nobis Michael Bargilliat in Seminario Nostræ diœcesis, jam ante approbatas ab Ill. ac Rev. DD. Theodoro Lamarche, et iterum typis mandatas, plurimum commendamus, utpote quæ ad clericos in sacrorum canonum scientia rite instituendos maxime accommodatæ sunt.*

Corisopiti, die 8 sept. 1892.

A. SERRÉ,
Vicarius Capitularis, sede vacante.

Imprimatur.

Vesontione, die 31 octobris 1892.

† ARTHUR-XAVERIUS,
Archiep. Bisuntinus.

TRACTATUS VII.

DE PAROCHO ET VICARIIS PAROCHIALIBUS.



Agendum est : de recta notione parochiatus ; — de parochiarum erectione ; — de institutione parochorum ; — de eorum obligationibus, — et juribus ; — de congrua sustentatione parochi ; — de administratione temporali parœciæ, tum ad præscriptum juris canonici, — tum ad præscriptum juris civilis ; — de cessatione muneris parochialis ; — de vicariis parochialibus ; — de capellanis ; — et de confraternitatibus.

CAPUT I.

DE RECTA NOTIONE PAROCHIATUS.

Videlicet : de origine — et indole officii parochorum.

ARTICULUS I.

DE ORIGINE OFFICII PAROCHORUM.

835. **I. Primis Ecclesiæ sæculis, nulli exstitere parochi** qui certa et stabili sede *proprium populum ac territorium* haberent; sed in civitate dumtaxat episcopali *una* erat *ecclesia* ad quam fideles, sive in urbe, sive in agris degentes, die Dominica conveniebant; *unusque* erat totius diœcesis *pastor* et Episcopus, qui in animarum salute procuranda, ubi opus esset, presbyterorum opera utebatur; et propterea tota diœcesis merito dicebatur *parochia*, ut constat, ex. gr., *can. 14 Apostolorum.*

836. **II. Aucto christianorum numero,**

a) *Constitutæ sunt parochiæ primum in vicis et villis,* quarum incolæ, cum ad civitatem commode ire non pos-

sent, eorum gratia ibi conditæ sunt ecclesiæ, quibus præpositi sunt sacerdotes qui populum illum regerent, muneraque ecclesiastica exercerent.

b) *Serius in civitatibus ortæ sunt parochiæ.* Neque ubique omnes eodem tempore initium habuerunt; cum enim ea res tota *ab Episcoporum arbitrio* penderet, alii citius, serius alii parochos in civitate constituerunt, uti major minorve numerus christianorum, eorumque utilitas atque necessitas postulabat.

c) Parochiæ *rurales* quarto circiter sæculo constitutæ sunt. In *civitatibus* autem, duabus dumtaxat, Roma et Alexandria, exceptis, ante annum Christi millesimum nullas parochias fuisse ostendit *Marius Lupus, Dissert. De parœciis. — Devoti, Inst. can., lib. 1, tit. 3, sect. 10.—Cf. Thomass., Vet. et nov. Eccles. discipl., part. 1, lib. 2.*

837. **III. Hæc subdivisio diœcesis in parochias visa est maxime conducens ad rectam administrationem et regimen christianæ plebis.**

a) Ideo *concilium Tridentinum* Episcopis injunxit ut in iis civitatibus ac locis *ubi nullæ essent parochiales ecclesiæ,* quam primum fieri curarent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus. — *Sess. 24, cap. 13, De ref.*

« In iis quoque civitatibus ac locis *ubi parochiales ecclesiæ certos non habent fines*, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue sacramenta petentibus administrant, mandat sancta synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, *unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum adsignent,* qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant. » — *Trid., loc. cit.*

b) Hinc pariter est quod *S. C. Concilii et S. C. de Propag.*, in responsionibus ad relationes Episcoporum, insistant in divisione diœcesium in parochias, ut cura spiritualis recte procedat, sicubi hæc divisio facta non fuerit, vel non

sint certi limites parochiarum. — *De Angelis, in tit. De parochiis et alienis parochianis, num. 1.*

838. **IV. Igitur parochi, qua tales, non sunt ex institutione divina,** ut voluerunt Gallicani et Jansenistæ, qui divinam originem parochis tribuebant, tanquam *successoribus septuaginta duorum discipulorum* quos Christus ipse designavit; adeoque, præter S. Pontificem et Episcopos, *tertium* constituebant in hierarchia jurisdictionis gradum, in quo parochos *jure divino* locandos esse existimabant.

Nam dicendum est, cum *S. Thoma,* « quod formam septuaginta duorum discipulorum non solum tenent presbyteri curati, sed quicumque alii minoris ordinis qui Episcopis in eorum officio subserviunt; non enim legitur quod septuaginta duobus discipulis Dominus aliquas *determinatas parochias* adsignaret, sed quod mittebat eos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. » — *S. Th., 2. 2., q. 188, art. 4, ad 5.*

ARTICULUS II.

DE INDOLE OFFICII PAROCHORUM.

839. **I. Parochi non mere delegatam, sed ordinariam fori interni jurisdictionem habent,** et *proprio nomine* populum sibi commissum regunt, non quatenus meri Episcoporum commissarii.

Potestas enim parochorum *a jure communi originem habet,* officio cohæret, cum ipso titulo confertur, et omnes functiones huic titulo a jure communi adnexas, independenter a voluntate Episcopi complectitur.

a) Ideo hæc jurisdictio non potest ab Episcopo, sine legitima causa, aut prorsus auferri, aut adeo imminui ut fere *inanis* remaneat. — *Cf. Bened. XIV, De syn., lib. 5, cap. 4, num. 3.*

b) Sed jurisdictio qua parochi pastores ordinarii constituuntur, non impedi uominus *Episcopus* sit etiam *pas-*

tor ordinarius et immediatus omnium diœcesanorum, quemadmodum jurisdictio episcopalis in diœcesi non tollit nec minuit jurisdictionem papalem; nihil enim obstat quominus duæ vel plures jurisdictiones simul consistant in eamdem plebem, modo non sint *independentes*. — *Cf. S. Thom., Suppl., q. 8, art. 5, ad 3.*

Unde, Episcopus alteri sacerdoti, etiam *invito parocho*, facultatem baptizandi, aliaque sacramenta ministrandi *delegare* potest. — Attamen id *raro* et nonnisi *urgenti de causa* faciendum est; nam hanc facultatem aliis delegando adimitur parochis jus proprium et ordinarium quoad sacramentorum administrationem. — *Cf. S. C. C. in Aturensi, 14 aug. 1863, ad 6.*

c) Parochus, quum jurisdictionem ordinariam habeat, eam alteri *delegare* potest, non solum pro casibus particularibus, sed etiam *ad universalitatem causarum.*

Attamen delegare nequit ad *confessiones* audiendas, sacerdotes ab Episcopo non approbatos. — *Cf. n. 919.*

840. **II. Parochi nullam habent jurisdictionem fori externi,** sed tantum *œconomicam* quamdam potestatem qua subditis suis invigilant.

a) Igitur, neque sunt judices fidei, neque potestatem legislativam habent, neque possunt censuras ferre. — *Cf. bullam Auctorem fidei, Pii VI, qua damnata est doctrina syn. Pistor., num. 9 et seq.* — *Cf. n. 178.*

b) Nec *dispensare* possunt in legibus ecclesiasticis. — *Cf. num. 92.*

1° Attamen, *ex consuetudine*, pro privatis personis dispensant in quibusdam materiis *frequenter occurrentibus*, nempe in jejunio et abstinentia, nec non in operibus servilibus die dominica prohibitis. Et possunt hanc dispensandi facultatem suis vicariis *delegare.*

2° Imo, ex probabili sententia, in *gravioribus* quandoque dispensare possunt, vel saltem declarare quod obligatio legis non urgeat, quando nequidem ad Episcopum recurrendi tempus suppetit, et periculum est in mora.

Ex. gr., si impedimentum *occultum*, aut dispensationis

invaliditas, detegatur dum omnia ad *matrimonium* proxime contrahendum sunt parata, plures cum S. Ligorio censent quod *parochus*, vel *alius confessarius*, declarare possit legem impedimenti non obligare. Attamen quantocius, saltem ad majorem securitatem, et ad salvandam reverentiam legibus Ecclesiæ debitam, recurri debet ad S. Pœnitentiariam, ut ab illa dispensatio obtineatur. — *S. Lig., lib. 6, n. 613. — Cf. Tract. de Episcopo, n. 583.*

In hoc casu, uti vocant *perplexo*, si sponsi sint in *bona fide*, ignorantes impedimentum, omnes facile admittunt cum S. Ligorio, *loc. cit.*, parochum posse matrimonio assistere quin sponsos *moneat*; deinde statim petet dispensationem quam conjugibus communicabit, vel *sanationem in radice*.

3o Quando parochiani *per se* ex *manifesta* causæ gravitate ab obligatione legis excusantur, possunt tamen parochi exigere ut licentiam petant, si, ex una parte, de facto *notorio* agatur, et, ex alia, *scandali* aut *nimiæ libertatis* periculum in parœcia secuturum foret, nisi sciretur quod parochi licentia prius obtenta fuerit.

c) Nec *Prælatus*, nec, sensu stricto, *Pastor* appellari potest parochus, quia proprie pastor dicitur ille qui, non tantum officium nutriendi gregem, sed et potestatem habet regendi, seu gubernandi cum imperio et *jurisdictione externa*.

Verumtamen usu hodierno invaluit ut parochi *pastorum* titulo cohonestentur. — Hac denominatione utitur *concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 12, De ref.*; et *Pontificale Romanum*, referens ultimam allocutionem Episcopi ad synodum diœcesanam, hæc habet : « Nos Pastores vestri sumus; vos autem Pastores animarum vobis commissarum. »

841. **III. Unde, parochus est ille** qui legitime deputatur ad ministrandum, ex *obligatione* et *proprio nomine*, verbum Dei et sacramenta fidelibus intra certos limites diœcesis commorantibus, qui ab eodem *vicissim* sacra recipere aliquatenus teneantur. — *Ita communiter.*

Vox ipsa *parochus* derivatur a voce græca παροικέω (latine *incolo*), quia parochus præficitur regimini spirituali incolarum loci.

Dicitur quoque *plebanus*, a plebe cui adsistit; *rector*, ab officio regendi populum sibi commissum; *curatus*, a cura animarum quam exercet.

CAPUT II.

DE ERECTIONE PAROCHIARUM.

Nova parochia constituitur : vel per *creationem*, vel per *divisionem* seu *dismembrationem*, vel per *unionem*.

Erigitur nova parochia per viam *creationis*, quando efformatur ex populo vel territorio nondum ulli parochiæ adscripto. — Talis conditionis fuerunt *omnes parochiæ statim post Concordatum anni 1801 erectæ*; nam Pius VII omnes hujus regionis parochias suppresserat et exstinxerat, ut fieret nova circumscriptio parœciarum.

Hoc quoque modo constituuntur parochiæ *in diœcesibus noviter erectis*, quando reperiuntur in parochias distribuendi populi qui nulli adhuc parochiæ adscripti fuerant.

Ad *ordinariam* Episcopi potestatem pertinet eam diœcesis suæ partem, quæ *nondum ulli parochiæ adscripta foret*, in parochiam erigere.

Rarissime contingit in aliqua diœcesi reperiri territorium quod alicui jam constitutæ parochiæ non adscribatur; ideoque rarissimus casus est quo erigatur nova parochia per viam creationis. — Unde, duplex tantum erit articulus : de erectione parochiarum per viam *divisionis*, — et de earum erectione per viam *unionis*.

ARTICULUS I.

DE ERECTIONE PAROCHIARUM PER VIAM DIVISIONIS.

842. **I. Parochia per viam divisionis erigitur,** quando ex una vel pluribus parochiis jam exsistentibus *aliquæ partes distrahuntur*, ex quibus alia nova efformatur.

a) Hoc modo *frequenter* in omnibus diœcesibus contingit novas exsurgere parochias; atque in Gallia, post memoratam primam circumscriptionem anni 1801, nonnullæ decursu temporis per aliarum jam erectarum divisionem constitutæ sunt.

b) Hæc divisio parochiarum communiter *dismembratio* appellatur. — Attamen *magis proprie* dismembratio contingit, quando pars territorii, quæ ad unam pertinebat parochiam, *alteri tribuitur*. Unde, dismembratione stricto

sensu accepta, non quidem parochia erigitur, sed vel *minuitur* vel *augetur.*

843. **II. Possunt Episcopi, tum auctoritate ordinaria, tum auctoritate delegata a Sede Apostolica,** et quidem *invitis rectoribus*, novas parœcias erigere per viam dismembrationis. — *Cf. cap. Ad audientiam, 3, De ecclesiis ædificandis; — et Trid., sess. 21, cap. 4, De ref.*

Unde, ob delegationem S. Sedis, præfatam potestatem habent etiam in parœcias *exemptas.*

844. **III. Episcopi eas tantummodo parœcias dismembrare valent** « in quibus, ob *locorum distantiam* sive *difficultatem*, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt ». — *Trid., ibid.* — *Cf. cap. Ad audientiam.*

a) Ad determinandum quando adsit magnum incommodum, sive ex distantia, sive ex difficultate accedendi, nulla datur a jure regula, ideoque *judicis arbitrio* id relinquitur.

Maxime deferendum est hac in re *prudentiæ Episcopi*, cui profecto locorum indoles, et sibi commissi gregis necessitas atque utilitas, magis quam cuilibet alteri, notissimæ merito censentur.

b) *Ingens multitudo populi* non est *per se* causa sufficiens dismembrationis ; quod satis indicat ipsum concilii Tridentini decretum : nam ibidem Tridentini Patres suum etiam remedium huic nimiæ multitudinis incommodo attulerunt, scilicet ut cogantur rectores « *sibi tot sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum* ».

Attamen, si, ob nimiam multitudinem populi, parochus non potest, etiam vicariis sibi in officium consociatis, suam parochiam convenienter regere, neque « *oves suas agnoscere* » (*Trid., sess. 23, cap. 1, De ref.*), et per novæ parœciæ erectionem melius animarum bono consulatur, absonum videtur Episcopo denegare facultatem dismembrandi.

Nam pro *suprema lege*, etiam in hoc, habetur *anima-*

rum salus. Ideo dismembrationi favet *nuperrima S. C. C. jurisprudentia;* notum est enim sanctam matrem Ecclesiam, cum teneat parochum populo, non populum parocho dari, disciplinares suas ordinationes ad varias temporum vices attemperare. — *Cf., ex. gr., resol. S. C. C. in Januen., 25 jan. 1877 ; in Baionen., 9 apr. 1892.*

845. **IV. Ad erectionem novæ parochiæ requiritur consensus Capituli :** tum quando Episcopus procedit jurisdictione *ordinaria ;* tum etiam quando procedit tanquam Sedis Apostolicæ *delegatus,* modo dismembratio sit de iis quas posset ex jurisdictione ordinaria facere. — *Cf. Fagnan., in cap. Ad audientiam.*

Verum *in Gallia,* a tempore Concordati anni 1801, Episcopi non consueverunt consensum Capituli ad dismembrationem parochiarum exquirere.

846. **V. Prærequiritur quoque citatio rectoris parochiæ dismembrandæ et aliorum quorum interest,** v. gr. patroni si parochia sit juris patronatus, ut de incommodo audiantur, licet, *ipsis invitis,* dismembratio fieri possit. — *Cf. Fagnan., loc. cit.*

Si parochia dismembranda *vidua est suo rectore :* vel differenda est dismembratio donec novus parochus præficiatur, vel debet Episcopus aliquem deputare qui, sub defensoris nomine, vices rectoris agere atque parochiæ jura tueri possit. – *Cf. cap. Dudum, 1, De rebus Ecclesiæ non alienandis, in 6°.*

847. **VI. Consensus Gubernii civilis, in Gallia,**

a) *Ex quorumdam sententia requiritur.* — Articulus enim 9 Concordati hæc habet : « Episcopi, in sua quisque diœcesi, novas parœcias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam *consensus Gubernii* accesserit. »

Ex hisce verbis inferunt jus Episcopo non amplius inesse peractam mutuo cum Gubernio consensu circumscriptionem *proprio nutu immutandi :* sive quod Concordatum est contractus permanens, sive quod ratio non patitur ut

circumscriptio, quæ tunc fieri non poterat absque consensu Gubernii, successu temporis a solo Episcopo variari pro libitu possit. — *Cf. Icard., Prælect., num. 602.*

b) Verum *huic sententiæ alii non adsentiuntur,* etsi agatur de ipsis parochis districtus (*de canton*) de quibus cum Gubernio conventum est.

Ubi enim citatum articulum, non separatim, sed conjunctim cum bullis *Ecclesiæ Christi,* et *Qui Christi Domini,* necnon cum decretis Cardinalis Legati aliisque factis, attente considerare quis velit, *ait Vecchiotti,* liquido perspiciet agi in eo de facto tantum *transitorio,* seu de nova circumscriptione peragenda de consensu Gubernii, quia onus ei incumbebat redditus constituendi pro honesta parochorum sustentatione.

Ex quo enim consensus intercessit et redditus determinati sunt, *res confecta est,* et dispositio citati articuli suum sortita est effectum, quin exinde dicatur coarctatum esse *nativum jus* quo Episcopus gaudet in sua diœcesi parochiales quasdam ecclesias de novo erigendi, uniendi, ac dividendi, ubi, habita ratione tum copiæ, tum necessitatis fidelium suæ curæ subjectorum, fieri id oporteat, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, et cætera ad æternam salutem assequendam adjumenta desint. — Gubernium, si id fiat absque suo consensu, *redditus pro novis ecclesiis poterit denegare,* sed nullo modo *impedire* quominus Episcopus jus suum exerceat. — *Instit. can., lib. 3, § 17.*

848. **VII. Novæ parochiæ adsignanda est dos competens,** pro sacra supellectili et congrua parochi sustentatione. — *Cf. n. 1393.*

a) Dos hujusmodi adsignanda est « arbitrio Episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus, » modo remaneat conveniens sustentatio parochi matricis ecclesiæ. — *Trid., sess. 21, cap. 4, De ref.* — *Cf. cit. cap. Ad audientiam, De eccles. ædific.*

b) Sufficiens proventus ad novi parochi sustentationem, *si nequeat ex redditibus matricis ecclesiæ desumi,* ab ipso noviter erectæ parochiæ *populo* est constituendus; et, si ne-

cesse sit, Episcopus populum ad necessaria subministranda compellere potest. — *Trident., loc. cit.* — *Cf. sess. 24, cap. 13, De ref.*

c) *In Gallia,* rationem dotis habet ea pensio annua quæ singulis parochis a Gubernio civili solvenda est; itemque dotem constituunt *oblationes* fidelium parochis datæ ratione *tituli* parochialis. — *Cf. n. 1384 et seq.*

d) Vicissim, a filiali ecclesia aliquid matrici *in signum subjectionis* annuatim præstandum est, quemadmodum Episcopus statuet. — *Cf. cit. cap. Ad audientiam.*

849. **VIII. A sententia Episcopi parochiam dismembrantis,**

a) Non datur quidem *appellatio* ad effectum *suspensivum,* cum in citata decretali *Ad audientiam* collata sit Episcopis dismembrationis et erectionis potestas cum expressis clausulis « *sublato appellationis obstaculo, appellationis cessante diffugio* », et synodus Tridentina formas hujus constitutionis Alexandri III servandas esse voluerit.

b) Sed per dictas clausulas non tollitur appellatio ad effectum *devolutivum.* — *Cf. n. 1533.*

850. **IX. An possit Episcopus certam populi partem distrahere ab una parochia et alteri commodiori applicare** quando, ex decreto concilii Tridentini, posset quidem *novam* parochiam erigere, sed vel exiguus numerus populi, vel inopia, vel alia causa *impediat* erigi novam parœciam, *controvertitur* apud Canonistas.

a) Alii quidem tenent Episcopum, etiamsi verificentur causæ a Tridentino assignatæ, *non posse* ad talem dismembrationem devenire, vel saltem *tutius esse* in præfato casu ad Sedem Apostolicam recurrere ut habeatur *indultum,* eo quod parœciarum confinia non possint immutari nisi in casibus a jure permissis. — Exemplum hujusmodi recursus ad S. C. C. habemus *in Cajacen., 31 jan. 1891.*

b) Verum, si Episcopo fas sit plures parœcias ex una constituere, cur ipsi denegabitur, *quod minus est,* partem

unius parochiæ alteri jam præexsistenti adjungendi facultas, si *aliud medium* non suppetat providendi necessitatibus fidelium.

Sacra Cong. Conc., *23 apr. 1864*, dismembrationem et unionem hoc modo peractam approbavit. — Novas delimitationes parœciarum, *in Petrocoricen.*, *5 febr. 1876*, invalidas quidem esse censuit; verum Episcopus in themate nullam aliam rationem adsignabat dismembrationum quæ a prædecessoribus suis peractæ fuerant, nisi forte delimitationem civilium municipiorum, quæ non videbatur constituere causam canonicam. — *Cf. Anal. jur. Pont., an 1876, col. 381 ; — de Angelis, in tit. De præbendis et dignit., num. 28.*

ARTICULUS II.

DE ERECTIONE PAROCHIÆ PER VIAM UNIONIS.

851. **I. Unio beneficiorum fieri potest :**

a) *Exstinctione* seu *confusione*, cum ex duobus beneficiis fit unum, ita ut utriusque natura quodammodo pereat et in unum coalescat, tertiumque novum beneficium ex unione resultet.

Tertium hoc beneficium exsurgens obtinet *redditus* et *dotem* utriusque beneficii exstincti.

Quoad vero *jura privilegiorum et honorum*, assumet omnia quæ adhærebant exstinctis beneficiis; et, si jura hæc omnia componi non possint, novum beneficium obtinebit quod optimum est, id est jura meliora et favorabiliora.

b) *Subjectione* seu *accessione*, quando duæ ecclesiæ ita uniuntur, ut non coalescant, sicuti dicto primo modo, in unum corpus, sed una sit superior et alia inferior.

Ecclesia vero seu beneficium subjective unitum, *amisso proprio titulo ac nomine*, naturam induit beneficii cui unitur, et efficitur illius membrum seu pars, ita ut, quanquam onera, jura et proventus ecclesiæ unitæ non cessent, hæc tamen ad ecclesiam principalem *transferantur*.

c) *Simplici adhæxione* seu *exæquatione*, quando duæ

ecclesiæ vel beneficia ita *æque principaliter* conjunguntur, ut neutra alteri subjiciatur vel adhæreat, sed integri et incolumes serventur proprius titulus, proprii fines ac redditus, omniaque jura primæva et privilegia; ideoque hujus unionis nullus alius effectus est, nisi quod duo beneficia semper conjunctim uni eidemque personæ sint conferenda. In ecclesiis seu beneficiis inferioribus conjunctio hujusmodi fere nunquam usurpatur. — *Soglia, Institut. juris privati, § 85.*

852. **II. Possunt Episcopi unire beneficia curata vel non curata cum curatis,** ideoque parochias inter se.

a) Nec obstat quod beneficia parochiis unienda, Sedi Apostolicæ reservata vel qualitercumque affecta forent, quia hanc potestatem habent « etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati ». — *Trid., sess. 21, cap. 5, De ref.* — *Cf. cap. 8, De excess. Prælat.*

b) Sed Episcopus nequit *parochiam accessorie unire alicui beneficio non curato.*

Voluit enim concilium Tridentinum ut « ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus sive præbendis ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus militiisve non uniantur ». — *Sess. 24, cap. 13, De ref.*

853. **III. Quod ad causas unionum attinet,** hujusmodi *duæ* sunt a sacris canonibus probatæ : videlicet *evidens ecclesiæ utilitas*, vel *necessitas;* ex. gr., si belli vel temporis injuria sacræ ædes devastatæ sint, si redditus ad sustentandum clericum non sufficiant, si lites et studia ecclesiarum de præeminentiis, juribus et privilegiis, per unionem evanescant, etc. — *Cap. 33, De præbendis.*

854. **IV. Ad unionem parœciarum requiritur citatio eorum quorum interest;** nec non, de jure communi, consensus Capituli cathedralis, seclusa contraria consuetudine. — *Cf. Trid., sess. 7, cap. 6, De ref.;* — *sess. 21, cap. 5, De ref.;* — *clem. 2, De rebus ecclesiæ non alienandis.*

a) Unio parochiarum ab Episcopo facta, suum effectum habere nequit nisi *post mortem aut resignationem* rectorum qui has parœcias obtinent. — Nam in citato decreto *conc. Trid., sess. 25, cap. 5*, expresse cavetur ut fiant uniones hujusmodi « *sine præjudicio obtinentium* ».

Unde, ut unio effectum habere possit *ante mortem aut resignationem rectoris*, requiritur ipsius *consensus;* secus enim non sine ipsius præjudicio fieret. — Si autem non sit effectum sortitura durante ejus vita, ipse non est de numero *eorum quorum interest,* nec proinde convocandus est in prævia informatione.

b) Non requiritur consensus aut citatio *plebis parochiæ uniendæ.* — Si tamen de facto unioni se opponat et justam alleget causam, audienda est. — *Ferraris, v. Unio, n. 29.*

CAPUT III.

DE INSTITUTIONE PAROCHORUM.

Quæritur : ad quem pertineat collatio parochiarum ; — quis valeat constitui parochus ; — et qua forma beneficium parochiale sit conferendum.

ARTICULUS I.

AD QUEM PERTINEAT RECTORES PARŒCIIS PRÆFICERE.

855. **I. Post Romanum Pontificem, in quavis diœcesi ordinarius collator beneficiorum est Episcopus.** — *Cf. n. 1397.*

Unde, collatio beneficiorum parochialium lege communi pertinet ad Episcopum, salvo jure S. Pontificis cui per *Regulas Cancellariæ* quædam beneficia reservantur.

a) Per *primam regulam Cancellariæ,* reservatur Romano Pontifici collatio beneficiorum de quibus ordinarius collator contra Tridentinæ synodi decretorum formam disposuerit.

Per *regulam nonam*, Sedes Apostolica, « cupiens pauperibus clericis et aliis bene meritis personis providere », omnia beneficia in quibusdam determinatis *mensibus* vacantia dispositioni suæ reservat.

Sed reservationes in favorem S. Pontificis pro beneficiis parochialibus apud nos non subsistunt, eo quod *articulus 10 Concordati* potestatem contulerit Episcopis, absque ulla distinctione, ad parœcias nominandi.

b) *Vicarius generalis* eget speciali commissione ut beneficia conferat quæ ad liberam Episcopi collationem pertinent. Potest vero, dum beneficium vacat et non providetur de rectore, vel rector impeditus est, *constituere vicarium* qui beneficium regat et animarum curæ prospiciat.

De potestate *Capituli* et *Vicarii Capitularis* quoad collationem beneficiorum egimus, *ubi De administratione diœcesis, sede vacante, n. 827.*

c) *Negligente Episcopo* intra sex menses parochiarum provisionem quarum collatio ad eum spectat, hæc provisio ad *Capitulum*, eoque negligente, ad *Metropolitanum* devolvitur. — *Cap. 2 et 5, De concess. præbendæ; — cap. Licet, De suppl. neglig. prælat.*

Eodem modo collatio devolvitur, si Episcopus *scienter* beneficium contulerit *indigno*. — *Cap. Cum in cunctis, 7, De elect. — Cf. n. 528 et 1397.*

d) Quando parochia constituitur sub *jure patronatus*, præsentatio rectoris ad patronum pertinet; sed licet Episcopis præsentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere. — *Trid., sess. 25, cap. 9, De ref. — Cf. n. 192 et seq., ubi de præsent. et jure patronatus.*

e) In parochiis quæ perpetuo *unitæ* reperiuntur cathedralibus, monasteriis, piis locis, etc., *Vicarii curati*, non ad *liberam* Ordinarii electionem, sed ad nominationem illorum *in quorum ecclesiis unitis ponuntur*, cum ipsorum Ordinariorum prævio examine et approbatione, deputentur. — *Constit. Pii V, ad exsequendum. — Cf. n. 1032 et seq.*

856. **II. In Gallia, consensus Gubernii requiritur ad institutionem parochorum inamovibilium.**

a) *Concordatum* enim anni 1801, *art. 10*, hæc habet: « Episcopi ad parœcias nominabunt; nec personas seligent, nisi Gubernio acceptas. »

b) Huic articulo consonat *artic. 19 inter organicos*: « Les évêques nommeront et institueront les curés; néanmoins, ils ne manifesteront leur nomination, et ils ne donneront l'institution canonique, qu'après que cette nomination aura été agréée par le premier Consul. »

857. **III. Missio in possessionem,** seu realis investitura fit, vel ab Episcopo, vel a quolibet clerico quem ipse delegaverit. — *Cf. resol. S. C. Episcoporum et Regularium, 14 aprilis 1890; — Cf. n. 1399 et seq., ubi De beneficiorum possessione.*

Quicumque, *suffragante populo*, et confirmante civili

potestate, ad parochi officium *electi*, audeant absque institutione canonica munera ecclesiastica obire, *ipso facto* incurrunt in excommunicationem *specialiter* Romano Pontifici reservatam. — *Cf. n. 1654.*

858. **IV. Pertinere potest alicujus parochiæ collatio ad alios quam ad Episcopum,** jure *præscriptionis*, *consuetudinis*, aut *privilegii*.

Cæterum, quando quis, præter Episcopum, jus conferendi aliquam parochiam habet, eam conferre nequit nisi illi qui *examinatus* et *approbatus* ab Episcopo fuerit; « alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit et inanis ». — *Trid., sess. 25, cap. 9, De ref.*

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS IN PROMOVENDO AD OFFICIUM PAROCHIALE.

859. **I. Ut quis in parochum assumatur,**

a) Necesse est ut vigesimum quintum *ætatis* suæ annum attigerit, secus irrita est provisio. — *Cap. Licet, De elect., in 6°; — Trid., sess. 7, cap. 3 ; et sess. 24, cap. 12.*

b) Quoad *ordinem*, est communis Doctorum opinio non requiri *subdiaconatum* ut quis parochus constitui valeat. — *Cf. cap. 8, De præbendis, in 6°.*

Utrum requirantur *minores ordines*, disputatur apud Canonistas ; sed, ob praxim et decisiones Sacræ Congregationis Concilii, dicendum est neque minores ordines requiri, sed sufficere simplicem tonsuram. — *Cf. Fagnan., in cap. Præterea, De ætate et qualit. præficiendorum.*

Ille vero qui parochiam obtinuit nondum sacerdos, debet presbyteratus ordinem recipere *infra annum* a die pacificæ possessionis computandum. — *Cap. Licet, De elect., in 6°.*

c) « Ministeria quæ curam animarum habent adnexam nullus omnino suscipiat...., nisi *scientia* et *moribus* commendatus exsistat. » — *Cap. Cum in cunctis, 7, De elect.*

Parochi ea scientia præditi esse debent, qua verbum Dei prædicare et sacramenta rite administrare valeant.

Scientia parocho necessaria etiam æstimatur *ex conditione parœciæ* cui præficiendus est. — *Cf. n. 209.*

d) Præter dictas qualitates, iis a fortiori instructus esse debet parochus *quæ requiruntur ad presbyteratus ordinem:* siquidem, nisi jam susceptus sit, infra annum hic ordo suscipiendus est. — *Cf. n. 279 et seq.*

860. **II. Idoneitas parochi prævio examine probanda est,** etiam quando concursus adhibendus non est.

a) Imo, Episcopus potest examinare parochos et rectores *semel approbatos* ad curam animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia ; et ad dictum examen faciendum, haud necesse est ut judiciales probationes imperitiæ procedant. — *S. C. C., 16 jan. 1667.*

☞ **b**) Et *Episcopi successores* possunt, superveniente rationabili causa, imo pro sola quiete animæ suæ, examinare parochos ad ecclesias parochiales approbatos. — *Cf. Ferraris, v. Parochus, art. 1, num. 26.*

ARTICULUS III.

DE PRÆVIO CONCURSU AD VACANTIUM PAROCHIARUM PROVISIONEM.

Concilium Tridentinum, considerans maxime expedire saluti animarum a dignis idoneisque parochis populos gubernari, non solum ad arcendos indignos, sed *ad digniores eligendos,* statuit in conferendis parochialibus beneficiis adhibendam esse formam *concursus,* ita ut provisiones aliter factæ surreptitiæ esse censeantur. — *Trid., sess. 24, cap. 18, De ref.*

861. **I. Disciplinam concursus** a concilio Tridentino delineatam, accurate determinaverunt varii Pontifices, et præsertim Benedictus XIV, *constit. Cum illud, 14 dec. 1742,* cujus summa hæc est :

a) Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiæ, statim, ad præscriptum *Tridentini,* idoneum in ea deputet *vica-*

rium cum congrua fructuum adsignatione, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur.

b) *Publico edicto* evulgetur notitia concursus, et præfigatur terminus, quo decurrente, coram cancellario Episcopi concurrentium nomina et qualitates exhibeantur.

c) *Die præstituta ab Episcopo*, habeatur *concursus*, omnes concurrentes idem conclave ingrediantur, ipsisque adsignentur eædem quæstiones, idem casus, idemque textus Evangelii super quo sermonis aliquid lingua vernacula perscribant ad probandam dicendi pro concione facultatem.

d) *Examen* non solum *versatur* circa candidatorum doctrinam litterarumque peritiam, sed et circa eorum ætatem, morum probitatem, prudentiam, præstita hactenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, cæterasque dotes ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunas.

e) *Judices* sunt *Examinatores synodales* ad minus *tres* numero, qui, peracto examine, quotquot idonei reperti fuerint Episcopo renuntiant; et Episcopus inter approbatos eligit quem ipse digniorem et magis idoneum existimat. — *Cf. n. 601.*

f) Si quem clericum *appellare* contigerit a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi, coram judice appellationis acta concursus integra omnino producenda sunt; et judex, in ferenda sententia, innititur solummodo *probationibus ab actis elicitis*, tam respectu doctrinæ quam aliorum meritorum.

Appellatio interponenda est intra decem dies a die collationis, et non habet nisi effectum *devolutivum*.

g) Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam *sibi ipsi tantum notam causam*, poterit, ad detergendam injustæ præelectionis notam, familiaribus litteris judici appellationis, vel Præfecto S. C. Concilii occulta rationum momenta aperire.

« Sciant porro Judices, *ait Bened. XIV, in cit. constit.*, non parvi pendendum esse testimonium illius pastoris cui

divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest Episcopos, suæ non minus quam alienæ salutis adeo immemores ut, non deterriti divini interminatione judicii, odio vel favore moveantur. » — *Cf. const. Pii V, In conferendis, 18 mart. 1567 ; — instruct. Clementis XI, 10 jan. 1721.*

862. **II. Concursus non requiritur :**

a) Pro parochiis *manualibus*, quales sunt apud nos omnes *succursales,* quia concilium Tridentinum loquitur tantum de beneficiis curatis ; atqui, vox *beneficium*, quando sola et sine addito profertur, de jure intelligenda est dumtaxat de beneficiis *perpetuis ;* ipsa amovibilitas *ad nutum* male conveniret cum jure per concursum quæsito.

b) Neque adhibendus est quoad *vicarios curatos* parochiarum unitarum, cum illæ provideantur ad nominationem et præsentationem illorum in quorum ecclesiis ponuntur, prævia Ordinarii approbatione. — *Cf. n. 1032 et seq.*

c) Nec requiritur quando parochia est *juris patronatus laicorum ;* sed qui præsentatus est a patrono examinari debet ab Examinatoribus synodalibus, et nonnisi idoneus admitti. — *Trid., sess. 24, cap. 18, De ref.*

d) Tandem, « si adeo *exigui redditus ecclesiæ parochialis* fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant ; aut *nemo sit* qui se examini quærat subjicere ; aut, ob *apertas factiones seu dissidia* quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus possint excitari : poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum (examinatorum) consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen.... adhibere ». — *Trid., loc. cit.*

863. **III. In omnibus Galliæ diœcesibus,** a tempore Concordati ad præsentem usque diem, consueverunt Episcopi rectores parochiis *absque ullo concursu* præficere ; et S. Sedes, cui relationem status suarum diœceseon persæpe exhibuerunt, hanc praxim saltem *toleravit.*

a) Equidem, in Gallia, juniores clerici, postquam per quatuor aut quinque annos in majori seminario diligentissima cura informati fuerint, adhuc plerumque *per sex annos* adstringuntur *annuali examini;* ideoque Episcopus potest tuto dignoscere eos qui, ratione doctrinæ, morum et prudentiæ, magis idonei sunt ad vacantes ecclesias, quæcumque sint, rite gubernandas.

Præterea, in pluribus diœcesibus legi concursus quodammodo obtemperatur per *concursus generales* certis temporibus habitos, in quibus renuntiantur illi quos idoneos ad curam animarum judices existimaverint, relicto, ut semper, Episcopis jure eligendi inter dignos quos ipsi digniores et magis idoneos sub omni respectu cognoscunt.

Cæteroquin notandum est concilium Tridentinum, præscriptis regulis generalibus concursus, hæc adjecisse : « Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave censuerit, providere ». — *Trid., loc. cit. — Cf. de Angelis, De præbend. et dignit., n. 22; — Icard, Prælect., n. 239; — Bonal, Inst. can., tract. 5, n. 185; — Turinaz, De l'étude du droit can. en France.*

b) Attamen non desunt qui existiment « *forte advenisse tempus,* in quo Episcopi adniti deberent ut hanc legem concursus iterum instaurarent pro his parochiis (nempe inamovibilibus), cujus legis observantiam *S. Sedes* non desinit inculcare, eam quoque in Concordatis exigens, quæcumque tandem videatur expeditior et magis accommodata esse forma concursus adhibenda. Atque hanc restituendam esse regulam ipsi *Episcopi* dignoscere cœperunt, instaurantes in synodis diœcesanis Examinatorum synodalium nominationem, et examinis per modum concursus diversas formas excitantes ». — *De Angelis, loc. cit. — Cf. statuta syn. provinc. Bituricensis, Anecii habitæ an. 1873; — decret. Episc. Argentinensis, 7 aug. 1892; — statuta diœcesis Corisopit.; etc.*

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

De obligationibus parochorum quas communes habent cum clericis et beneficiatis, *cf. n. 343 et seq., ubi de vita et honestate clericorum;* — *et n. 1406 et seq., ubi de obligationibus beneficiatorum.*

De recta administratione temporali parœciæ specialis erit tractatio in *Cap. 7;* — de legatis autem piis et exoneratione fundationum dicemus *in Tractatu de Rebus ecclesiasticis, n. 1363 et seq.*

Unde agemus tantum : de emittenda fidei professione; — de residentia; — de obligatione parochi quoad Missæ sacrificium; — de obligatione administrandi sacramenta; — prædicandi verbum Dei; — catechizandi pueros; — nec non de aliis quibusdam obligationibus parochorum.

ARTICULUS I.

DE EMITTENDA FIDEI PROFESSIONE.

864. I. **Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus,** tenentur, a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, *in manibus Episcopi,* vel, eo impedito, *coram generali ejus Vicario,* orthodoxæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondere ac jurare. — *Conc. Trid., sess. 24, cap. 12, De ref.*

a) Hanc emittere debent et parochi *amovibiles,* qui succursalistæ in Gallia vocantur. — *S. C. C. ad Episcopum S. Deodati, 15 dec. 1866.*

b) Professio fidei per procuratorem emitti non potest. — *S. C. C., in Cathacensi, 9 febr. 1726.*

c) Nec valet Episcopus alium sacerdotem delegare ad eam excipiendam. — *S. C. C., in cit. resp. ad Episc. S. Deodati;* — *S. C. Ep. et Reg., 14 apr. 1890.*

Verum quibusdam petentibus Episcopis *indultum* est ut ad fidei professionem recipiendam, tum Decanos, seu Vicarios foraneos, *habitualiter;* tum etiam in *casibus particularibus,* si suadeat utilitas, alios sacerdotes sibi benevisos

deputare possint et valeant. — *Cf., ex. gr., rescriptum S. C. C., 15 mart. 1885; — S. C. Ep. et Reg., 9 mart. 1892.*

Quandoque indultum concessum est ea lege ut, cum primum beneficiati ad Curiam accesserint, teneantur professionem fidei *renovare* coram Episcopo vel ejus Vicario generali. — *S. C. Ep. et Reg., 6 maii 1890.*

865. **II. Formulam ad ejusmodi professionem et obedientiæ juramentum** determinavit Pius IV, *const. Injunctum, an. 1564.*

Huic, jussu Pii IX, quædam addita sunt a *Sacra Congregatione Concilii, 20 jan. 1877.* — Nam opportunum visum est ut, in fidei professione, dogmaticis quoque *Vaticani concilii* definitionibus, prout corde, ita et ore, publica solemnisque fieri deberet adhæsio.

Quapropter S. P. Pius IX statuit ac mandavit, ut in Piana formula professionis fidei, post verba « præcipue a sacrosancta Tridentina synodo », dicatur : « *et ab œcumenico concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio* »; utque in posterum fidei professio ab omnibus qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac pœnis a jure statutis.

866. **III. Prædictum concilii Tridentini præceptum obligat sub gravi,** *ut tenent communiter Doctores,* eo quod Synodus utatur gravibus verbis, et inferat gravem pœnam.

Neque, si infra bimestre, ut debet, parochus non emiserit professionem fidei, ideo solutus est ab obligatione illam emittendi; quia hujusmodi terminus a Concilio adsignatus est, non ad remittendam ac *terminandam obligationem,* sed ad differendam pœnam.

867. **IV. Intelligendum est Tridentini præceptum de qualibet parochiæ adeptione,** ita ut qui in adeptione alicujus parochiæ fidei professionem *jam emisit,* si præficiatur alteri, teneatur *iterum* fidei professionem emittere, ut pluries S. C. C. declaravit, ex. gr. in citata responsione *ad Episc. S. Deodati, 15 dec. 1866.*

Imo, non desunt qui censeant professionem rursus emittendam esse ab eo qui denuo adipiscitur parochiam quam *ante habuerat* et dimisit.

868. **V. In pœnam omissæ fidei professionis**, parochus *fructus non facit suos*, a die elapsorum duorum mensium qui ad faciendam professionem conceduntur.

a) Fructus quos beneficiati non faciunt suos, sunt fructus *præbendæ*, non vero *distributiones* quæ dantur ratione laboris et ministerii. — Quod pluries S. C. C. declaravit.

Merito tamen excipiunt Canonistæ casum quo *omnes fructus beneficii* consistant in distributionibus, ne pœna statuta a concilio Tridentino frustretur.

b) *Cui adsignandi et applicandi sint* fructus amissi ob non factam fidei professionem, concilium Tridentinum non determinat; sed communis sententia tenet eos esse impendendos, vel in usus *pauperum*, vel in *fabricam ecclesiæ*, sicut fructus eorum qui non resident. – *Cf. Trid., sess. 23, cap. 1, De ref.*

c) Utrum negligens parochus teneatur fructus amissos restituere in conscientia *ante sententiam judicis declaratoriam (cf. n. 1546)*, non concordant Auctores.

Cum probabiliori sententia dicimus ipsum teneri *ante quamlibet judicis declarationem* ; cum enim verba concilii Tridentini impediant fructuum acquisitionem, fructus quos suos non fecit, ut rem alienam, restituere tenetur.

d) *Condonare fructus amissos* ob non factam debito tempore fidei professionem, ad Episcopum non pertinet, cum pœna statuta sit a jure communi ; sed recurrendum est ad *Sac. Cong. Concilii*, quæ, si professio fidei omissa sit vel male emissa in *bona fide*, solet fructus condonare, injuncta aliqua eleemosyna arbitrio Episcopi vel confessarii.

ARTICULUS II.

DE RESIDENTIA PAROCHORUM.

Agendum est : de ipsa obligatione residentiæ; — de causis a residentia excusantibus, et de requisitis ad licitam absentiam; — de pœnis contra parochos non residentes statutis aut decernendis.

§ I. De obligatione residendi in parochia.

869. **I. Obligationem residendi supponit cura animarum actualis,** « cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus *cura animarum commissa est*, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; *quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt* qui gregi suo non invigilant neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt ». — *Conc. Trid., sess. 23, cap. 1, De ref.* — *Cf. num. 617 et seq.*

Unde, postquam statuerit Episcopos obligari ad personalem in sua diœcesi residentiam, « eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum et pœnas, de *curatis inferioribus* et aliis quibuscumque qui beneficium aliquod ecclesiasticum *curam animarum habens* obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit ». — *Trid., loc. cit.*

Igitur hac lege residentiæ, et quidem sub gravi, obstringuntur non solum parochi qui beneficium parochiale *perpetuum* obtinent cum actualis curæ onere, sed et parochi ad nutum *amovibiles*, nec non et *vicarii curati* tam temporales quam perpetui.

870. **II. Parochi residentia, non tantummodo materialis, sed et formalis esse debet, seu laboriosa.**

a) « Ut quis enim residentiæ legem impleat, quam Tridentinum concilium ac SS. Pontifices tantopere commen-

dant atque præcipiunt, *ait Benedictus XIV*, haudquaquam satis est si *corpore solum* intersit, in desidia tamen versetur, vel tantum *leviora munera* sibi decernat, reliqua vero ministris committat ; residentiam quippe, non cum inertia, sed *cum laboribus conjungendam esse* Tridentina synodus jubet ; atque certum est parochos lethali crimini obnoxios esse qui præsentia solum assident, nullaque causa impediti otio marcescunt. » — *Instit. 17, n. 6.*

b) Potest tamen parochus, pro meliori cura animarum atque officiorum parochialium exsecutione, et aliquali sua quiete, unum seu plures *cooperatores* habere, et his vicariis *relinquere munera magis ardua*, ut ire de nocte ad infirmos, peragere divina officia in ecclesiis filialibus distantibus, confessiones multas audire, et alia hujusmodi; dummodo simul ipse, cessante justo impedimento, munia pastoralia, præsertim principaliora, *personaliter præstare non intermittat*, et quando nominatim vocatur a parochianis, ad ipsos, præsertim infirmos, ire non recuset. — *Ita communiter*, docetque hoc recepta *consuetudo* quæ est « optima legum interpres ». — *Ferraris, v. Parochus, art. 2, num. 20.*

§ II. DE CAUSIS A RESIDENTIA EXCUSANTIBUS, ET DE REQUISITIS AD LICITAM ABSENTIAM.

Lex residendi non ita intelligenda est ut nequeant parochi, *justa interveniente causa*, a sua parochia abesse. — Constat ex ipsa juris ecclesiastici dispositione, quæ ejusmodi legitimas abessendi causas determinavit, et modum servandum præscripsit dum eo jure suo parochi utuntur.

Porro, ut parochus jure possit abesse a sua parochia, tria requiruntur, nempe : ut adsit *legitima causa ;* — ut *licentia Episcopi obtineatur ;* — ut sacerdos, durante absentia, prævia Episcopi approbatione, *substituatur.*

871. **I. Quod spectat ad legitimam abessendi causam :**

a) Ut parochus singulis annis per *bimestre, sive conti-*

nuum, sive interruptum, abesse queat, non requiritur causa gravis, sed sufficit quævis æqua seu *rationabilis causa*, veluti recreationis, aut visendi amicos, et hujusmodi. — Nam, juxta Tridentinum, gravis causa non requiritur, nisi quando parochus discedendi licentiam ultra bimestre tempus vult obtinere. — *Sess. 23, cap. 1, De ref.*

Attamen trimestris absentia unius anni non est *conjungenda* cum absentia anni sequentis.

Præterea, cavendum est ne parochi absentia quoddam *scandalum* in populo ingerat, v. gr. si meræ recreationis gratia *diebus solemnioribus* absit.

b) Interveniente *gravi causa*, potest parochus *ultra duos menses* licite abesse. — Constat ex Tridentinæ synodi verbis : « Discedendi autem licentiam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant ». — *Trid., ibid.*

Porro, *causæ graves* ab ipso Tridentino ad *quatuor capita* reducuntur. Sunt nimirum : « christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ vel reipublicæ utilitas ». — *Trid., loc. cit.* — *Cf. n. 621.*

1° Verum a residentia *non excusat* parvus parochianorum numerus, neque aeris intemperies, aut ætas senilis, aut infirmitas, etiamsi parochus coadjutorem habeat.

Attamen, quod ad *infirmitatem* attinet, si parochus ex defectu medicorum vel medicinarum in sua parochia curari non possit, Ordinarius dilationem plurium mensium dare potest. — *Ita ex variis decis. S. C. C.*

2° Ingruentia *pestilentiæ* parochum non liberat ab onere residendi, etiamsi alii adsint idonei qui vices ejus suppleant.— *Cf. Ben. XIV, De Syn., lib. 13, cap. 19, num. 2.*

3° Ut parochus ob *inimicitias ipsi personales* licite possit ultra menses conciliares extra parochiam commorare, indiget, ut videtur, licentia Sedis Apostolicæ.

4° Servitium *Episcopo præstandum* non est legitima causa non residendi, nisi per duos menses a Tridentina Synodo concessos. — *Cf. Ferraris, v. Parochus, art. 2, num. 44.*

5° Neque hodie parochi abesse queunt ultra bimestre ratione *perficiendi studia sacra*, prout olim poterant ante

concilium Tridentinum, ex consensu et licentia Episcopi. — *S. C. C., 1 dec. 1594.*

c) Ut parochus a residendo *in perpetuum* eximatur, non sufficit ulla causa quantumvis gravis, nec ulla Episcopi licentia; constat ex eo quod *synodus Tridentina* indulta perpetua de non residendo sustulerit per hæc verba : « nullique privilegia, seu indulta perpetua de non residendo suffragentur ». — *Sess. 6, cap. 2, De ref.*

In qua lege, utpote universali, nequit dispensari ab Episcopo, sed dumtaxat a *Sede Apostolica.*

Non tamen solent Romanæ Congregationes *perpetuum* illud concedere indultum; sed facultatem dumtaxat ad sex menses. — Quod si causa residentiam parochi impediens, v. gr. capitales inimicitiæ, ultra annum perduratura prævideatur, inducitur parochus, etsi innocens, ad *resignandum* vel *permutandum;* non autem ultra annum ipsi protrahitur abessendi licentia. — *Bouix, De parocho, pag. 545.*

872. **II. Præter legitimam causam, necessaria est quoque Episcopi licentia,** etiamsi parochus ultra duos menses abesse non debeat. — Nam, ex ipsis concilii Tridentini verbis, causa absentiæ *ab Episcopo cognoscenda est et probanda.*

a) Hæc licentia, non solum debet esse *expressa,* sed et *in scriptis* obtinenda est; eamque petiisse minime sufficit. — *Trid., sess. 23, cap. 1, De ref.* — *S. C. C., apud Bened. XIV, Instit. 17, n. 10.*

Excipe nisi pro absentiis *parvi momenti* consuetudo ferat ut oretenus detur.

b) Si talis necessitas *repente* se offerat quæ non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi, licentia *præsumpta* sufficit. Quo casu voluit S. C. C. quam primum de discessu et de necessitate Ordinarium certiorem faciendum esse, ut de causa cognoscere possit. — *S. C. C., 7 oct. 1604.*

Imo, licentia Episcopi necessaria non est ut parochus, ex causa quæ sibi legitima videatur, *per unum aut alterum diem* absit. — Ita communiter ex recepta consuetudine.

c) *Statuta diœceseon servanda sunt,* si quid de hac re

fuerit determinatum. — Certum est enim posse Episcopum prohibere ne ultra biduum aut triduum absint parochi absque licentia prius obtenta, præsertim si *Vicarios foraneos* instituat qui facile adiri possint et licentiam concedere.

d) Si parocho postulanti Episcopus recuset licentiam concedere, *datur recursus* ad Superiorem, scilicet ad Metropolitanum, vel ad Sedem Apostolicam; et, subsistente rationabili causa, potest idem Superior compellere Prælatum inferiorem ad eam licentiam concedendam.

873. **III. Tandem, « meminerint discessuri ita ovibus suis providendum** ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant ».

Ideo, « quandocumque parochos abesse contigerit, *vicarium idoneum* ab ipso Ordinario *approbandum*, cum debita *mercedis* adsignatione, relinquant ». — *Trid., loc. cit.*

a) Quando agitur de illis *absentiis brevioribus* in quibus nequidem pro discessu licentia Episcopi exigitur, *approbatio vicarii* non est necessaria.

Neque necessarium est ut vicarius in *domo parochiali* resideat; sed ut plurimum sufficit si sacerdos intra parœciæ fines domicilium habens delegetur.

Sufficere etiam poterit si parochus conterminus supplere promiserit et facile possit.

b) Si aliquibus dumtaxat *horis* Parochus absit, aut *unico die*, et exceptis horis nocturnis, non tenetur ullum vicarium delegare, saltem si nulli sint infirmi in parochia.

Interdum etiam excusari poterit parochus, quamvis *nemine delegato* non ita cito rediturus abierit, si ex causa *valde necessaria* abire coactus fuerit, et melius providere non potuerit. — *Berardi, De parocho, n. 21.*

§ III. DE PŒNIS QUIBUS OBNOXII SUNT PAROCHI NON RESIDENTES.

874. **I. « Si quis contra decreti Tridentini dispositionem abfuerit,**

a) » Statuit sancta synodus, præter.... *mortalis peccati*

reatum quem incurrit, eum, pro rata temporis absentiæ, *fructus suos non facere,* nec tuta conscientia, *alia etiam declaratione non secuta,* illos sibi detinere posse, sed teneri, aut, ipso cessante, per Superiorem ecclesiasticum, illos fabricæ ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione vel compositione. » — *Sess. 23, cap. 1, De ref.*

1º Hæc pœna non incurritur propter solum *defectum petitionis* in mensibus conciliaribus, nisi cum gregis detrimento Parochus abesset.

2º Incurretur autem pro absentia *ultra menses conciliares,* non solum si subsisteret gregis detrimentum, et causa proportionata deficeret; vel si, expositis falsis causis, licentia obtenta fuisset; sed etiam si causa gravissima interveniret, et defectus unice in hoc consisteret quod *licentia* et *approbatio vicarii* petita non fuisset. — *Cf. Berardi, De parocho, num. 56.*

3º Cum beneficium detur, non solum propter residentiam, sed etiam propter horarum recitationem, Missæ pro populo celebrationem, et *alia hujusmodi onera,* videtur quod Parochus et Episcopus non residentes teneantur restituere fructus tantum *residentiæ* respondentes.

b) Insuper, Episcopo, postquam absentes citaverit, etiam per *edictum* et non personaliter, liberum est contumaces « per *censuras ecclesiasticas,* et sequestrationem et *subtractionem fructuum,* aliaque juris remedia, etiam usque ad *privationem,* compellere »; nec exsecutio sententiæ suspendi potest ullo privilegio, ulla consuetudine, appellatione aut inhibitione. — *Trid., ibid.*

Episcopus, quoties in pœnam omissæ residentiæ vult parochis subtrahere fructus quos residendo *suos* fecerunt, debet servare, quoad *intervalla* et quoad *quotas,* præscriptum concilii Tridentini, *sessione 6, cap. 1, De ref.* — *S. Cong. Concilii, 9 aug. 1602.* — *Cf. n. 623.*

875. **II. Si pœnam privationis Episcopus infligere velit,** controvertitur utrum servanda sit ratio procedendi statuta *cap. 11, De clericis non residentibus.*

a) Alii dicunt concilium Tridentinum antiquo juri non derogasse, ideoque præmittendam esse *trinam citationem*, et sex menses exspectandos esse ab ultima monitione, antequam sententia privationis feratur; et in probationem adducunt *resolutiones S. C. C., 26 apr. 1621, et 8 jun. 1624.*

b) Alii tenent *unum edictum* sufficere, si ultra edictum adjiciantur censuræ ecclesiasticæ cum sequestratione et subtractione fructuum, quia, ex mente Tridentini, sequestratio et subtractio fructuum cum censuris stant loco trium edictorum quæ de jure necessaria sunt ut parochi absentes suis ecclesiis priventur. — *Cf. Lucidi, De visit. sacrorum liminum, cap. 3, num. 237.*

c) Alii demum, cum *Fagnano*, tenent post concilium sufficere indistincte *unum* edictum peremptorium cum *competenti termino* ad redeundum, quo elapso, parochus non residens privari poterit. Nam concilium non requirit trinum, sed simpliciter dicit « *per edictum citati* » ; et, cum edictum successerit loco citationis personalis, quemadmodum personaliter citatus non est exspectandus per sex menses, sed statim potest privari, ita et citatus per edictum. — *Fagnan., in cap. Ex tuæ, De clericis non residentibus, num. 31 et seq.*

Cæteroquin, ea quæ spectant *solemnitates juris* circa privationem, non respiciunt nisi eos qui parochiale beneficium *in titulum* habent, non vero parochos ad nutum Episcopi *amovibiles*, quorum absentia ex non legitima causa potest esse ratio dimissionis. — *Cf. n. 1009 et seq.*

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE PAROCHI QUOAD SACRUM MISSÆ SACRIFICIUM.

Agendum est : de obligatione Missam celebrandi ; — et de obligatione Missam offerendi pro populo.

§ I. DE OBLIGATIONE MISSAM CELEBRANDI.

876. **I. Curam animarum habentes « tam frequenter ut suo muneri satisfaciant » Missas celebrare debent.** — *Trid., sess. 23, cap. 14, De ref.*

Quod enim pristina consuetudine observabatur ut populus fidelis, statutis diebus, adunaretur *cum Episcopo* in sacris celebrandis mysteriis, deinde, facta divisione parœciarum, inductum est ut observaretur in diebus festis *cum sacerdote proprio*, nempe *parocho.* — Scilicet inductum est ut, diebus festis, populus parochialem ecclesiam adiret, sacrificio per parochum celebrato adsisteret, prædicationem verbi Dei audiret, cognosceret jejunia servanda, et denuntiationes exciperet festorum, nec non Episcopi mandata. — *Santi, De parochiis, num. 14.*

877. **II. « Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare. »** — *Innocent. III, cap. Consuluisti, 3, De celebr. Missarum.*

a) Porro, *necessitas* tunc tantum suadet,

1° Quando quis *duas parochias* obtinet, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam ;

2° Vel quando *una* tantum sit *ecclesia* in qua Missa celebratur, et ad quam *insimul* universus populus convenire non potest. — *Benedict. XIV, constit. Declarasti nobis, 16 mart. 1746; — instruct. Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, 24 mai 1870.*

b) Hæc necessitas *moralis* intelligenda est, non autem

absoluta, de qua proinde dijudicare in singulis casibus pendet a prudenti judicio, inspectis circumstantiis. — *Cf. cit. instr. S. C. de Prop., 24 maii 1870.*

c) Non tamen suffragatur simplex *utilitas*, ex. gr. ut major facilitas detur fidelibus, sive sacro adsistendi, sive sacram communionem majore cum devotione accipiendi *(S. C. C. in Nivern., 24 mart. 1888)*; — vel ut fideles possint Missam audire diebus festis olim de præcepto celebratis, nunc autem suppressis *(S. C. C., 19 jan. 1889)*; — vel ut parochus indulgeat votis alicujus magnatis qui habet oratorium privatum, in quo cum sua familia consuevit sacrum audire; — vel ut sodales alicujus piæ confraternitatis indulgentiam plenariam lucrari valeant *(cf. resp. ejusdem Congreg., 22 apr. 1882)*. — Quibus in casibus, *indultum Sedis Apostolicæ* obtinendum est.

d) Præterea, ut possit parochus, etiamsi causa necessitatis intercedat, duas Missas eodem die celebrare, necessarium est :

1° Ut *non præsto sit alius sacerdos*, qui valeat necessitatibus fidelium subvenire.

2° Ut hac de re *facultas ab Episcopo habeatur*, ad quem pertinet causam necessitatis expendere. — *Ben. XIV, l. c.* Episcopi autem cavere debent ab anxietate nimia in dijudicando, ne frustra concessa, aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas prædicta videatur. — *Cf. cit. instr. S. C. de Prop., 24 maii 1870.*

e) Iteratio Missæ quæ eodem die permittitur, intelligenda est de venia celebrandi *duas Missas tantum*, quamvis graves concurrant causæ quæ majorem numerum celebrare suadeant. — *Quod sæpe declaravit Sac. Congregatio de Propag. Fide.*

f) De requisito jejunio et calicis purificatione, quando Missa iterari debet in locis dissitis, *cf. Auctores morales et liturgicos; et Instruct. S. C. R., 11 mart. 1858.*

878. **III. Presbyteris non conceditur eleemosynam recipere pro secunda Missa**, etiamsi de illis agatur qui, *parochiali munere* instructi, ideo stipendium pro

prima Missa nequeunt obtinere quod eam pro populo applicare teneantur; quod pluries S. Cong. Concilii declaravit, *ex. gr. in Cameracensi, 25 septemb. 1858. — Cf. constit. Ben. XIV, Quod expensis, 26 aug. 1748.*

Unde, nec licet oneribus *fundationum* cum secundis Missis satisfacere. — *S. C. C., 7 sept. 1889.*

a) Attamen permittitur ut parochi qui, pro necessitate circumstantiarum, diebus dominicis et festis, sive in ecclesia parochiali, sive in ecclesia dissita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, aliquam remunerationem, *intuitu laboris et incommodi*, prudenti arbitrio Episcopi, percipere valeant, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missæ. — *S. C. C., in Trevirensi, 23 mart. 1861.*

b) Nec sub præfata prohibitione comprehenduntur tres Missæ quas celebrare licet in solemnitate *Nativitatis Domini.*

Unde sacerdos *nullo titulo obligatus*, potest hac die triplex stipendium pro tribus Missis accipere et retinere.

Et *parochus ipse*, postquam obligationi Missam applicandi pro populo satisfecerit, Missam ad intentionem dantis eleemosynam litare potest.

c) In *Hispania*, quilibet sacerdos in die *Commemorationis omnium defunctorum* tres Missas celebrare potest. — Verum pro Missis indultis nullam eleemosynam accipere possunt. — *Const. Quod expensis, Bened. XIV.*

879. **IV. Quod de jure communi illicitum est, indulto licitum fieri potest.**

a) Sedes Apostolica nonnunquam permisit ut, stante justa et gravi causa, presbyteri pro secunda Missa in die celebranda stipendium accipere possent. — *Cf. litteras S. C. de Propag. ad Ordinarios missionum, 15 oct. 1865.*

b) Plerumque tamen indultum non conceditur ut stipendium *privatæ* ipsius sacerdotis utilitati cedat, sed ut in favorem alicujus pii operis impendatur.

Ex. gr., Sacra Congregatio negotiis extraordinariis præposita, *die 16 dec. 1873*, cuidam Episcopo facultatem benigne concessit ad quinquennium, permittendi sacerdotibus

qui in sua diœcesi *binas Missas* ex necessitate celebrant, ut ipsi secundam Missam celebrare valerent, *retenta eleemosyna* secundæ Missæ *favore seminarii diœcesani.*

880. **V. Presbyteri possunt aliis quam justitiæ obligationibus satisfacere per applicationem secundæ Missæ,** quamvis ipsis non liceat ullum *stipendium* pro ea accipere.

Unde, illi qui, ratione alicujus *piæ sodalitatis* cui adscripti sunt, obligantur pro requie cujuslibet defuncti sodalis unum sacrum celebrare, possunt in diebus dominicis et festivis, in quibus unam Missam pro populo ex officio applicant, aut, si non sint parochi, alteri obligationi satisfaciunt, secundam Missam pro sodali defuncto applicare. — *S. C. C., in Trevirensi, 6 aug. 1881; — et in Vivariensi, 5 mart. 1887.*

§ II. DE OBLIGATIONE MISSAM OFFERENDI PRO POPULO.

881. **I. Parochi, non modo sacrificium Missæ celebrare, sed et illius fructum pro populo sibi commisso applicare debent;** nec ullam pro hujusmodi applicatione *eleemosynam* percipere possunt.

a) Omnes enim quibus cura animarum commissa est, *jure divino* tenentur pro ovibus suis sacrificium offerre. — *Trid., sess. 23, cap. 1, De ref. — Cf. Ep. ad Hebr.*, v, 1.

b) Præceptum illud juris divini *quibus diebus* urgeat *jure ecclesiastico* determinatum est, ita ut, illis omnibus dominicis et diebus festis quibus parochiani tenentur Missam *ex præcepto audire,* teneantur et pastores animarum pro commisso sibi populo Missam *applicare. — Cf. const. Cum semper oblatas, Bened. XIV, 14 aug. 1744.*

c) Verum satisfacere possunt per Missam *privatam.* — Ideoque parochus pro *cantu* Missarum quas applicare pro populo ex officio tenetur, stipendium aliquod legitime percipere valeret. — *S. C. C., 26 jul. 1891.*

882. **II. Hæc obligatio attingit omnes qui actu curam animarum exercent,** ideoque *vicarios curatos,*

qui nempe curæ exercitium habent, remanente penes alium habituali cura; *vicarios quoque temporaneos*, qui, ecclesia parochiali vacante, ad curam in ea exercendam deputantur; necnon curatos ad nutum *amovibiles*. — *Const. Cum semper oblatas*, § *4*.

Nec suffragatur contraria consuetudo, licet immemorabilis, « quæ potius abusus et corruptela dicenda est ». — *Bened. XIV, cit. constit.*, § *16*.

a) Unde vicarius parochialis, cui, ut mos invaluit in Galliæ diœcesibus, defuncto parocho, *cura parochiæ committitur donec novus pastor deputetur*, tenetur ad applicationem Missarum pro populo, licet iste vicarius, percipiens quidem partem fructuum qui ob munia parochialia vulgo eveniunt, stipendio tamen a Gubernio parochis concesso minime fruatur. — *S. C. C., in Briocen. et Trecoren., 23 aug. 1888.*

b) Hac lege vero non tenentur *vicarii parochorum* qui curam animarum subsidiariam tantum exercent, nec *capellani* Monialium, nosocomiorum, collegiorum, etc., quia hujusmodi communitates, etiamsi variis privilegiis donentur, sunt tamen pars parochiæ, et participant fructus sancti sacrificii huic applicatos. — *Cf. resol. S. C. Rit., 7 dec. 1844; et S. C. C., in Dublinensi, 2 jun. 1860.*

c) Nec tenentur missionarii, in locis in quibus sedes episcopalis ac parœciæ canonice erectæ non sunt, licet *deceat ex charitate* ut in diebus festivis Missam pro populo applicent. — *S. C. de Propag., 23 mart. 1863.*

883. **III. Si parochus duabus præponatur parœciis æque principaliter vel subjective unitis**, pro utraque, dictis diebus, Missam applicare tenetur, unam *per se*, alteram *per substitutum* celebrando. — Neque locus est facultati Missas *iterandi*, nisi cum, ex cleri deficientia, alius sacerdos non adsit qui parochi loco celebrare et Missam applicare possit. — *S. C. C., 4 feb. 1883.*

Aliter vero dicendum esset, si unio fuerit plenaria et exstinctiva. — *S. C. C., ibid.—Cf. Lucidi, De visit. sacr. lim., cap. 3, num. 357.*

a) Aliquando S. C. C. indulsit ut rectores duarum parœciarum, ob redditus omnino insufficientes secundæ parœciæ, *in diebus festis suppressis* a celebranda Missa pro populo favore alterius parœciæ dispensarentur. — *Cf. S. C. in Nivernen., 5 mart. 1887.*

b) Hæc eadem Congregatio quandoque permisit ut parochi qui, sive ob morbum, sive ob intemperiem, sive ob inundationem, etc., *non valent* secundam Missam diebus dominicis vel festivis *in sua secunda parochia* celebrare, ab Episcopo dispensarentur ab applicatione secundæ Missæ pro populo, ea lege ut unica Missa pro populo utriusque parœciæ applicetur. — *Cf. resp. S. C. C. in Catalaunensi, 9 maii 1874; — in Versalien., 1875; — in Engolismen., 1879; etc.*

c) Item S. C. negotiis extraordinariis præposita, cuidam Episcopo, *die 16 dec. 1873,* potestatem fecit « dispensandi ecclesiasticos viros qui *duas parœcias* administrant, super obligatione applicandi utramque Missam pro populo, ea tamen lege ut priorem Missam pro populo utriusque parœciæ applicent, retenta eleemosyna secundæ Missæ *favore seminarii diœcesani* ».

884. **IV. Festa de præcepto,** prout in *Urbani VIII constitutione « Universa per orbem », idib. sept. 1642,* determinantur, præter dominicos dies sunt : Festa Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis cum duabus feriis sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis; Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis Sanctæ Crucis; Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis Beatæ Virginis; Dedicationis Sancti Michaelis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Petri et Pauli, Sancti Andreæ, Sancti Jacobi, Sancti Joannis, Sancti Thomæ, Sanctorum Philippi et Jacobi, Bartholomæi, Sancti Matthæi, Sanctorum Simonis et Judæ, Sancti Mathiæ, Sancti Stephani, Sanctorum Innocentium, Sancti Laurentii, Sancti Sylvestri, Sancti Joseph, Sanctæ Annæ, Omnium Sanctorum; et festum unius ex præcipuis Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius

pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit.

His addita est a Clemente XI festivitas Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

a) Ut festum Patroni civitatis sit de præcepto, non sufficit *consuetudo*, sed exigitur ut saltem exstet memoria traditionalis quod ejusdem Patroni electio *a S. Sede confirmata* fuerit. — *S. C. R., 12 aug. 1854.*

b) Quando civitas vel oppidum jam habet Patronum principalem, festum *Patroni diœcesis* non est de præcepto; ideoque parochi non tenentur hac die Missam pro populo applicare. — *S. C. Rit., 12 nov. 1831.*

885. **V. Remansit prædicta curatorum obligatio quoad festa suppressa** per indultum 9 april. 1802 in toto Gallicanæ Reipublicæ territorio.

Ideoque parochi, aliique omnes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso *celebrare* et *applicare* debent : tum omnibus diebus dominicis, aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati ac translati sunt. — *Const. Pii IX, Amantissimi, 3 maii 1858.*

886. **VI. Quod attinet ad festos translatos dies,**

a) Id unum excepit laudatus Pontifex in sua constitutione, ut scilicet, quando una cum solemnitate *divinum officium translatum fuerit* in dominicam diem, *una* tantum *Missa* pro populo sit a parochis applicanda; quandoquidem Missa, quæ præcipua divini officii pars est, simul cum ipso officio translata existimari debet.

b) Item, si festum alicui diei affixum, ab alio festo majoris ritus aut dignitatis impediatur : tunc, si solum *officium* et *Missa*, non vero *festivitas* ad aliam diem ferialem transferantur, *unica* Missa pro populo in *ipsa festivitate* celebranda est, etsi in eodem die, ob prædictum festum majoris ritus aut dignitatis, etiam alia Missa pro populo litanda foret; quia duplici præcepto satisfieri potest per unum

actum, si illo unico actu totum ponatur quod per diversas leges præscribitur. — *S. C. C., 24 apr. 1875.*

887. **VII. Nonnullis Episcopis S. Pontifex, audita relatione secretarii S. C. C., benigne indulsit :** ut cum omnibus suæ diœcesis parochis super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis suppressis *dispensare valeant,* ad effectum (accedente eorumdem parochorum consensu) deponendi et erogandi *in favorem alicujus pii operis* eleemosynas ex Missis enunciatis obventuras ; ita tamen ut, singulis prædictis diebus festis suppressis, cura ipsius Episcopi, *tres Missæ* pro cuncto populo diœcesis applicentur. — *S. C. C., in Engolismensi, 15 sept. 1873 ; etc.*

Hujusmodi indultum *Episcopo Corisopitensi* concessum est in gratiam seminarii diœcesani.

Eleemosynæ pro Missis oblatæ, piis operibus *ex integro* applicandæ sunt ; ideoque parochi non possunt, misso stipendio a statutis diœcesanis taxato, Missarum eleemosynæ *excessum retinere,* « nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ, vel ob majorem laborem aut incommodum ». — *Cf. resol. S. C. C., in Lugdunen., 31 jan. 1880.*

888. **VIII. Excepto casu legitimi impedimenti, tenetur parochus Missam pro populo per seipsum offerre;** nec potest alium sacerdotem sibi substituere. — *Quod sæpe declaratum est a Sac. Cong. Concilii, ex. gr. die 9 apr. 1892.*

a) Obligatio ita *personalis* est parocho, ut eadem Sacra Congregatio, interrogata utrum tolerari possit consuetudo inducta ut Missa quæ parochialis nuncupatur, in qua fit Evangelii explanatio, pro populo applicetur *alternis vicibus per parochum et vicarios,* præsertim quia fideles, firmiter putantes illam semper pro ipsis applicari, ad eam libenter audiendam confluunt : *negativam* responsionem dedit, *die 9 april. 1881,* et censuit *non expedire* ut a S. Sede id pro gratia concedatur. — *Cf. Acta S. Sedis, vol. 14, pag. 332 et seq.*

b) Causam canonicam ut valeat parochus huic obliga-

tioni per alium supplere agnoscit *Bened. XIV, in cit. constit. Cum semper oblatas*, § *17* : si parochus sit simul *Canonicus,* et ad eum spectet celebratio Missæ conventualis quæ benefactoribus applicari debet; tunc aliquem sibi *substituere* tenetur, qui Missam applicet pro populo.

c) Non valeret autem causa applicandi Missam pro defuncto, *præsente cadavere,* ut in specie declaravit *Sacra Cong. Conc., in Fesulana, 26 jan. 1771.*

d) Nec parocho suffragatur *consuetudo* ex qua fortasse inductum fuerit ut aliis hoc onus persolvendum ipse demandaret. — *S. C. C., in Mechlin., 25 sept. 1847.*

889. **IX. Missa celebranda est in ipsis festis diebus,** nec rejicienda in alium diem ex quavis causa, *uno casu excepto* in constitutione Benedicti XIV, quo parochi *adeo pauperes* inveniantur, ut ferme ex eleemosynis quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt vivere cogantur.

Tunc Episcopis datur facultas *cum his dispensandi* ad hoc ut etiam diebus festis eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Missam applicare valeant, dummodo in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione ut *tot Missas intra hebdomadam* pro populo applicent quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem pii benefactoris obtulerint. — *Const. cit.*, § *8.*

890. **X. Parochus, diebus festis, Missam celebrare debet in propria ecclesia.**

a) Attamen, die festo a sua parochia *legitime absens,* satisfacit suæ obligationi Missam applicando pro populo *in loco ubi degit,* dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet. — *S. C. C., 14 dec. 1872.*

b) Posset etiam parochus legitime absens, alteri committere Missæ applicationem in parochiali sua ecclesia. — *S. C. C., 11 maii 1720.*

891. **XI. Parochus, utcumque legitime impeditus**

ne Missam celebret, tenetur eam die festo *per alium* celebrari et applicari facere populo in ecclesia parochiali, tributa congruenti eleemosyna.

a) Quod si ita non factum fuerit, *quamprimum poterit* Missam pro populo applicare debet; obligatio enim simul *personalis* est et *realis;* neque ita diei affixa ut, die transacta, cesset præceptum. — *S. C. C., in cit. res. 14 dec. 1872.*

b) Unde, parochus qui ex ignorantia, errore, negligentia, aliave id genus causa, omiserit applicare Missam pro populo, debet *præteritas omissiones supplere,* nisi obtinuerit a Sancta Sede condonationem.

c) Nec potest, ad satisfaciendum huic oneri, secundam Missam in subsequenti festo ex *binatione* celebrandam applicare. — *S. C. C., in Vivarien., 5 mart. 1887.*

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONE ADMINISTRANDI SACRAMENTA.

892. **I. Curam animarum habentes tenentur ex justitia** sacramenta ministrare suis subditis *rationabiliter* petentibus, etiam *extra gravem necessitatem.*

a) Proinde peccat parochus qui morosum vel difficilem se subditis reddit.

Excusabitur tamen a mortali si semel vel iterum *extra necessitatem* sacramenta deneget, quia non videtur tam stricte se obligasse. — *S. Lig., lib. 6, num. 58.*

b) Alii curam animarum non habentes, non tenentur ministrare sacramenta *ex justitia;* aliquando tamen tenentur *ex charitate*, nempe in gravi necessitate proximi. — *Cf. S. Ligorium, loco citato.*

893. **II. Etiam cum vitæ periculo** tenentur pastores, in *gravi* suorum subditorum necessitate, sacramenta *absolute necessaria* ad salutem ministrare, scilicet Baptismum, Pœnitentiam, vel Extremam Unctionem si quis nullo modo confiteri queat.

a) Probabilius non tenentur parochi ad ministrandam

Eucharistiam cum periculo vitæ, quia hoc sacramentum non est tantæ necessitatis ut ad illud conferendum cum tanto discrimine teneantur. — *Ita S. Lig., lib. 6, num. 233 et 729, innixus declarat. Greg. XIII, 12 octob. 1576.*

b) Qui curam animarum non gerunt, non tenentur in gravi, sed tantum in *extrema* proximi necessitate, præfata sacramenta cum vitæ periculo ministrare. — *Ita communiter cum S. Lig., lib. 6, num. 58; et lib. 3, num. 27.*

894. **III. In iis quæ attinent ad modum administrandi sacramenta,** nec non visitationem et curam *infirmorum,* accurate standum est præscriptionibus Ritualis Romani. — *Cf. Auctores morales et liturgicos, ad quos, pro nostri operis scopo, remittimus.*

Speciatim vero de *benedictione cum indulgentia plenaria* fidelibus, ex delegata potestate, in *articulo mortis* impertienda, diximus *n. 651.*

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONE PRÆDICANDI VERBUM DEI.

895. **I. Omnes quibus cura animarum commissa est tenentur, et quidem jure divino, « oves suas verbi divini prædicatione pascere ».** — *Conc. Trid., sess. 23, cap. 1, De ref. — Cf. sess. 24, cap. 7, De ref.*

a) Ideo, jubente concilio Tridentino, « quicumque *parochiales* ecclesias *quocumque modo* obtinent, *per se, vel alios idoneos* si legitime impediti fuerint, diebus saltem *dominicis* et *festis solemnibus,* plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant ». — *Conc. Trid., sess. 5, cap. 2, De ref. — Cf. n. 560.*

« Attamen erit prudentiæ Episcopi *dispensare* ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus. » — *S. Cong. Concilii, 1 apr. 1876.*

Item Episcopus permittere potest ut in ruralibus parochiis, ratione laborum quandoque nimis instantium, liceat *per aliquod tempus prædicationem intermitti*, modo sæpius diutiusve fideles penitus hoc suo spirituali cibo non priventur. — *Cf. conc. provinc. Turon., decret. 14.*

b) Potest Episcopus exigere ut tempore *jejuniorum Quadragesimæ* et *Adventus Domini,* quotidie, vel saltem tribus in hebdomadâ diebus, fiat prædicatio per parochum, vel eo impedito, per alium impensis eorum qui eas præstare tenentur vel solent deputandum.

Potest Episcopus insuper decernere ut ejusmodi prædicationes *aliis etiam anni temporibus* fiant, si ita oportere duxerit. — *Trid., sess. 24, cap. 4, De ref.*

c) Ab hoc onere prædicandi verbum Dei non solvuntur parochi, sive immemoriali *consuetudine*, quæ potius corruptela est, sive *frequentia concionum* quæ in aliis ejusdem loci ecclesiis habentur, sive *exiguo numero* parochianorum. — *Innocent. XIII, constit. Apostolici ministerii, 13 maii 1723.* — *Cf. Bened. XIV, Instit. eccles. 10.*

d) Ad idem officium refertur *obligatio denuntiandi* dies per hebdomadam solemnes, vigilias ac jejunia, si qua incidant, stationes ac indulgentias quæ ecclesiam loci pie adeuntibus, aliave exercitia ineunte hebdomada peragentibus, decretæ sunt, et novendiales vel triduales precationes, aliave id genus obeunda. — *Trid., sess. 25, De delect. cib.* — *Cf. constit. Pii V, Cum primum, 1 apr. 1566;* — *Sixti V, Provida, 29 apr. 1589.*

e) Parochi prohibentur admittere in suis ecclesiis *concionatores* ab Ordinario loci non approbatos. — *Cf. n. 561, ubi de juribus Episc. quoad prædicationem.*

Attamen approbatione Episcopi *præsumpta* parochus uti poterit, quando de sacerdote noto atque idoneo, et de *raris vicibus* agitur.

Si vero de casu *frequenti* aut de prædicatione satis *diuturna*, v. gr. Quadragesimæ, Adventus, sacræ missionis ageretur, tunc approbatio expressa necessaria esset. — *Ita Ferraris, Lucidi, Berardi, et alii.*

896. **II. Ut muneri suo pastores satisfaciant,**

a) Non promiscue et sine delectu veritates religionis, nec per puncta inter se dissita et nullo fere modo sibi cohærentia, doctrinam christianam fidelibus proponant; « sed, quantum sinunt circumstantiæ, vel *secundum ordinem ab Episcopo propositum* vel *ad normam in catechismo, eoque præsertim diœcesano, expressam*. Et hoc etiam teneatur ubi plures ministerium verbi exercent, partitis scilicet et inter se distributis rerum tractandarum argumentis ». — *Conc. prov. Turon., loc. cit., num. 2.*

b) « Sit sermo *brevis, facilis* et *simplex,* non rudis tamen et incompositus. »
Unde, « nonnisi convenienti *præparatione* præmissa, ad concionem accedant; salutarisque doctrinæ fluenta animis fidelium infundenda, non *ex qualibuscumque libris* hauriant, sed in puro Scripturarum fonte, in documentis SS. Patrum, in catechismo concilii Tridentini, et in probatis Auctoribus apud quos forma sanorum verborum doctrinaque integra servatur ». — *Ibid., num. 4 et 5.*

897. **III. « Multa sunt sane quæ præcavere debent cœlestis doctrinæ præcones.** — Verum *hæc potissimum* observent :

a) » Quæstiones *inutiles, incertas, difficiles* et captum auditorum superantes removeant. — Ea autem tantum proferant quæ ad veram fidem, bonos mores, pietatem, concordiam pertinent.

b) » Non quærant hominum plausus, sed fidelium utilitatem, *non seipsos prædicantes*, sed unum *Jesum Christum, et hunc crucifixum, Dei virtutem et Dei sapientiam.*

c) » Speciali cura invigilent debellandis, imo et præcavendis *abusibus*. — A conviciis tamen et acrioribus verbis abstineant; nec quemquam nominent, aut indirecte designantes insectentur.

d) » Infestissimos etiam hujus temporis *errores*, non minus societatis quam religionis eversivas, si forte in sua parochia irrepere viderint, eos confutare ac præfocare sata-

gant. — Sed ea utantur prudentia, ut nunquam eis *merito* exprobrari possit quod in disceptationes politicas sese ingesserint; caveantque ne errores *viribus impares* aggrediendo, periculum incurrant eos roborandi, dum eradicare conantur. » — *Conc. prov. Turon., loc. cit., num. 3.*

898. **IV. Negligente parocho, « provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit**, ne illud impleatur : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

a) » Itaque, ubi ab Episcopo moniti, *trium mensium* spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium, *cogantur*, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri qui id præstet honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. » — *Trid., sess. 5, cap. 2.*

Neque adversus Episcopi monitiones, censuras, aut alias provisiones datur *appellatio* ad effectum suspensivum. — *Constit. Ad militantis, § 8.*

b) Unde, communis Doctorum sententia est : parochos peccare *venialiter*, si absque causa non observent concilii præceptum vel una vice ; *graviter* vero si per tres menses etiam discontinuos concionari omittant, eo quod censura ecclesiastica non infligatur nisi ob gravem culpam.

Imo, non desunt qui teneant parochum graviter peccare si per unum mensem *continuum* prædicationem omittat.— *Cf. S. Lig., lib. 4, num. 269.*

Alii *strictius*, alii *mitius* loquuntur. Sapienter animadvertit Berardi gravitatem reatus multum *ex circumstantiis* pendere. — *Berardi, De Parocho, num. 145.*

899. **V. Ordinarius subditos non potest adigere ad concionem audiendam in propria parochia**, sed tantum eos ad illud exhortari. — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 11, cap. 14. — Trid., sess. 24, cap. 4, De ref.*

Cum enim Dei verbum, ex Tridentini decreto, a parochis per se vel per alios sit annuntiandum et explicandum *inter Missarum celebrationem (sess. 22, cap. 8, De sacrificio*

Missæ; et sess. 24, cap. 7, De ref.), sublata obligatione Missam audiendi in propria parochia per contrariam consuetudinem, pariter sublata est obligatio auscultandi *proprium parochum* ad suum populum verba facientem.

a) Attamen, cum Episcopi omnia removere teneantur *obstacula* quæ oves suas abstrahant a pabulo verbi Dei, eorum arbitrio remissum est, justis existentibus causis, *sacrum* certis quibusdam horis peragendum *interdicere* in oratoriis publicis et capellis *sæcularium*; vel prohibere ne ulla celebretur Missa *ante parochialem Missam*, dummodo Missa parochialis *hora opportuna* celebretur, et laudabilis consuetudo aut privilegium non obstet. — *S. C. E. et R., 15 feb., et 14 mart. 1879; — constit. Bened. XIV, Etsi minime, 7 feb. 1742, § 14; — decret. S. C. R. an. 1703, num. 19.*

b) Item, licet generaliter loquendo non possit Episcopus sacerdotes animarum curæ minime addictos ad *christianam doctrinam* docendam adigere, attamen, si quæ sint oratoria a parochiali ecclesia *longo intervallo disjuncta*, et fidelibus ob locorum distantiam difficile sit parochialem ecclesiam adire ibique divinis Officiis interesse, decernere potest Episcopus quod sacerdotes ibi operantes, christianæ doctrinæ summam populo tradant, divinamque legem annuntient. — *Constit. Etsi minime, Bened. XIV, loc. cit. — Cf. resol. S. C. C., 15 jul. 1882.*

ARTICULUS VI.

DE CATECHIZANDIS PUERIS.

900. **I. Onus pueros christianæ fidei rudimentis instituendi, omnino est cum pastorali officio conjunctum.** — *Cf. Trid., sess. 24, cap. 4, De ref.*

a) Tenellis igitur eorum animis, parochus « ea instillet *fidei* ac *pietatis* rudimenta, quæ postea ætate adultis firmamento ac robori, tutissimoque contra pravas dæmonis ac pravorum hominum insidias *præsidio* sint futura ». — *Concil. Baltimor. II, ann. 1866, num. 436.*

b) « Dum pueros ad divinam rerum scientiam educare studet, omnem in eo operam ponat ut, quod in Ecclesia Catholica laudat *Augustinus (De moribus Eccl. Cath., lib. 1, cap. 30)*, pueros *pueriliter* doceat, ea scilicet facilitate et simplicitate quæ eorum imbecillitatem et imperitiam deceat. Altissima fidei mysteria ita explicet ut eorum ætati atque ingenio se accommodet. » — *Ibid., num. 439.*

c) « Eos quamprimum ad *confitendum peccata sua* sollicite disponat, neque ad ætatem usque primæ communionis differat absolutionem. » — *Conc. provinciæ Turonensis decret. 15, num. 3.*

901. **II.** « **Parentes omnibus quibus poterit modis inducat ut partes suas satagant.** Eos hortamentis excitet, minis terrefaciat, precibus exoret, ut liberos stato catecheseos tempore ad ecclesiam mittant. Hos autem ad alacrius adsistendum munusculis et præmiis alliciat. » — *Conc. Baltim., n. 437.*

Attamen, *spectato solo jure communi*, non potest parochus exigere ut pueri adsistant catechesi quæ traditur in ecclesia parochiali sub pœna eos, cæteroquin idoneos, non admittendi ad primam communionem vel confirmationem.

902. **III.** « Tandem ne obliviscatur parochus sui muneris esse, ut in **pueris qui jam prima vice corpus Domini susceperint, tanti beneficii fructus integros servet.**

» Eos igitur a pravis sæculi exemplis ac moribus omnino tueri conetur, ac, per rectam virtutis et pietatis semitam, ad vitæ fontes deducere, quæ præcipue *e sacramentis Ecclesiæ* fluunt.

» Quod felicius assequetur si, ut vehementer exoptant concilii Patres, per unum alterumve annum *eos catechizandos coadunare pergat;* imo, et ultra, peculiaribus informare non desinat scientiæ et pietatis disciplinis, quæ merito *Catecheses perseverantiæ* dictæ sunt. » — *Conc. provinc. Turonen., decret. 15, num. 6.*

903. **IV.** Integra non esset cura quam parochus proprii gregis gerere debet ratione doctrinæ, nisi **instantissimo**

studio foveret christianam juventutis institutionem, puerosque arceret a contagione scholarum publicarum in quibus animarum ruina evitari non potest. — *Cf. n. 568 et seq.; — et præclarum opusculum cui titulus : L'école neutre en face de la théologie.*

ARTICULUS VII.

DE ALIIS QUIBUSDAM OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

904. **I. « Præcepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere. »** — *Trid., sess. 23, cap. 1, De ref.*

a) Ut debito suas oves cognoscendi certius satisfaciat, parochus *libros distinctos* habere debet in quibus accurate describantur nomina baptizatorum, matrimonii sacramento junctorum, et defunctorum — *Cf. Rit. Rom., tit. Formulæ scrib.; — Trid., s. 24, cap. 1, De ref. matr.*

Item tenetur in librum referre nomina *confirmatorum*, et *patrinorum* suæ parochiæ, tum propter sciendam cognationem spiritualem, tum propter ordines suscipiendos. — *Rit. Rom., loc. cit.*

b) Præterea, Rituale Romanum parochis injungit ut conficiant *librum status animarum*. — *Loc. cit.*

c) Tandem, parochus *vigilare* debet et *inquisitiones* facere ne plura eum lateant, aut non tempestive ad ejus notitiam perveniant, quæ per *opportunas correctiones* e medio auferri possunt.

905. **II. Iisdem præcepto divino mandatum est « oves suas bonorum omnium operum exemplo pascere »**; ideoque « sancta synodus Tridentina eos admonet et hortatur ut, divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant ». — *Trid., sess. 23, cap. 1, De ref. — Cf. n. 343 et seq.*

906. **III. Pariter tenentur « pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere »**. — *Trid., loc. cit. — Cf. n. 1409.*

Pauperes enim « sunt, quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandi; quia et Dominus in usum pauperum loculos habebat ». — *S. Th., 2. 2., q. 86, art. 2.*

Quæ cura ut sincera sit et effectiva, de suis bonis parochum, data occasione, libentissime impendere, aut apud divites pro pauperibus eleemosynam rogare necesse est.

907. **IV. Parochi debent iis cœtibus interesse qui collationes seu conferentiæ dicuntur** *(conférences ecclésiastiques)*, si eas Episcopus præscripserit. — *Cf. Ben. XIV, Instit. 103, n. 9 et 10; — et varias decisiones Sacræ Cong. Concilii.*

De obligatione accedendi ad synodum diœcesanum, et exercitiis spiritualibus interessendi, *cf. n. 593 et 344.*

908. **V. Archivium parochiale habeatur**, in quo reponantur libri parochiales, instrumenta, regesta, nec non Epistolæ Episcopi, vel quælibet documenta quæ *necessario vel utiliter servanda sint,* ut facile inveniantur, et periculum vitetur ne, post mortem parochi, ab hæredibus sumantur.

CAPUT V.

DE JURIBUS PAROCHORUM.

In primis dicendum est *quinam fideles subsint* jurisdictioni parochi, — antequam ipsius jura *in specie* recenseamus.

ARTICULUS I.

DE IIS QUI SUBJACENT JURISDICTIONI PAROCHI.

Parochus habet, vi officii sui, jurisdictionem in omnes fideles qui intra limites suæ parochiæ *domicilium* habent aut *quasi-domicilium*.

909. **I. Domicilium acquiritur,** absque ullo temporis intervallo, ab eo qui sedem suam alicubi ponit cum *intentione* ibidem *perpetuo* manendi.

a) Ad domicilium igitur proprie dictum, duo copulative requiruntur et sufficiunt: nempe *factum* seu actualis habitatio in loco, et *animus* seu voluntas ibidem perpetuo commorandi, nisi quid improvisum alio abducat.

Si quis tamen *de die tantum* moraretur in altera parochia, et *noctu* cubaret in priori domo adhuc suis mobilibus instructa, non censeretur acquisivisse domicilium in ista altera parochia.

b) Qui *in duabus parochiis* fere æqualiter degit, ut qui partem anni in urbe, alteram partem ruri moratur, ex juris dispositione *duplex* habet domicilium, ideoque duos proprios parochos; poterit ergo ad alterutrum recurrere.

c) Habitans *in confinio duarum parœciarum,* fit parochianus illius parochiæ in qua residet porta principalis et aditus magis frequentatus. — *Ita communiter.*

d) Qui *sui juris* non est, censetur habere domicilium *patris* vel *tutoris,* donec eidem non renuntiet; attamen *quasi-domicilium* alibi habere potest.

Item *vidua* retinet domicilium mariti defuncti, donec eidem non renuntiet.

910. **II. Ad constituendum quasi-domicilium,** duo simul requiruntur : *habitatio* nempe in loco, atque *animus* ibidem permanendi per *majorem* anni partem. — *Cf. instruct. S. C. Inquisit., 7 jun. 1867.*

a) Hinc, professores et discipuli qui in seminario aut collegio, puellæ quæ in monasterio educationis causa degunt, ægrotantes qui valetudinis causa extra proprium domicilium meliorem aerem peritioremque medicum quærunt, famuli mercenarii, etc., *quasi-domicilium* habent in loco in quo hic et nunc commorantur, modo intentionem habeant per integrum saltem semestre ibidem permanendi.

Isti *duplicem* quoque *parochum* habent, alterum domicilii, alterum quasi-domicilii.

b) Imo, domicilium vel quasi-domicilium acquiri potest ex quadam *communicatione*, quando quis fit *de familia* domicilium vel quasi-domicilium habentis.

Quod contingit, ex. gr., in *famulo* qui apud familiam a parœcia mox migraturam se collocaret. — *Berardi, De Parocho, num. 803.*

911. **III. Parochus habet etiam jurisdictionem in vagos,** qui nempe nullibi domicilium aut quasi-domicilium habent, et actu versantur in sua parochia.

Concilium autem Tridentinum parochis præcipit « ne illorum *matrimoniis* intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint ». — *Trid., sess. 24, cap. 7, De ref. matrim.*

Milites vagis adnumerantur; ideoque, seclusa *Capellanorum castrensium* auctoritate, qui jurisdictione quasi-parochiali fortasse gaudeant, a parocho illius loci dependent ubi stationis vel præsidii causa commorantur. — *Cf. num. 1041.*

912. **IV. Regulares exempti a jurisdictione Episcopi, eodem jure sunt exempti a jure parochiali.**

Ideo possunt, absque interventu parochi, omnia sacramenta administrare suis *fratribus*, *novitiis*, nec non *famulis* intra septa conventus commorantibus, et actuali

ejusdem conventus servitio addictis (*cf. Trid., sess. 24, cap. 11, De ref.; — constit. Superna, Clementis X, § 4*); imo, probabiliter *alumnis ipsis convictoribus;* non tamen *hospitibus* qui vere familiares non sint, quamvis continuo degant intra septa monasterii.

Possunt quoque eisdem sepulturam dare. — *Cf. n. 1209 et seq., ubi de exemptione Regularium.*

913. **V. Communitates, quales sunt xenodochia, seminaria, collegia pro educatione puerorum,** eximi possunt a jurisdictione parochi : *auctoritate S. Pontificis, legitima consuetudine* quæ præscripta fuerit, et *statuto episcopali.*

a) De auctoritate *S. Pontificis* non est inquirendi locus. Et de vi *consuetudinis* in hac materia jurisdictionali omnes Canonistæ consentiunt, juxta principia inconcussa juris.

b) Est solum difficultas de potestate *Episcopi.*

Ratio autem dubii est, quod Episcopus non valeat propria auctoritate derogare *juri communi.* — Porro, lege communi constabilita sunt jura parochialia, quibus utique subduntur omnes fideles intra limites parochiæ commorantes, nisi legitima consuetudine, aut S. Pontificis indulto privilegium exemptionis obtinuerint.

Non pauci tamen existimant Episcopos in Galliis posse, si graves ad id moveant rationes, concedere seminariis et collegiis *exemptionem a jurisdictione parochiali,* quod his momentis probatur :

1° Favet praxis et *diuturna consuetudo* a conciliis provincialibus confirmata.

Ubique in nostris provinciis *consuetum est* constitui communitates Monialium, seminaria, collegia puerorum et puellarum, xenodochia, cum suo proprio capellano independente a parocho loci; quæ quidem praxis huc usque servata absque ulla controversia supplet in favorem Episcoporum vi consuetudinis, si quid forte desit ex parte juris.

Eamdem praxim confirmarunt *decreta plurium conciliorum provincialium* quæ in Galliis celebrata sunt, et plu-

rium *diœceseon statuta*, ita ut disciplina communiter inducta sit capellanos hospitiorum, collegiorum, conventuum et aliarum communitatum, specialem jurisdictionem habere ab Episcopo, cujus est eorum facultates determinare atque invigilare ne præscriptos limites prætergrediantur.— *Icard., Prælect. jur. can., num. 260.*

2° *Ratio* suadet hujusmodi exemptiones esse concedendas ; natura quippe horum Institutorum id postulare videtur. Plerumque enim parochus illorum necessitatibus sufficienter providere non posset. — *Cf. Bouix, Tract. De parocho, append. 1, cap. 4.*

3° *Sacra Cong. Concilii*, interrogata ab Episcopo Aturensi, *die 14 aug. 1863*, respondit : « attentis peculiaribus circumstantiis, *servandum esse usum* in aliis diœcesibus Galliæ obtinentem, donec aliter a S. Sede fuerit statutum ». — *Cf. resol. ejusd. S. C., in Tornacensi, 9 apr. 1881.*

Equidem *in Tutelensi, 18 apr. 1885*, eadem Sacra Congregatio independentiam Capellani negavit. — Sed quæstio proposita erat : utrum Capellanus *ex ipsa sua institutione* et *jure proprio* totam jurisdictionem parochialem habeat. Porro, huic dubio responsum est : « *Prout proponitur*, Negative » ; qua responsione innuitur Capellanum, positis ponendis, hujusmodi facultatibus bene instrui posse.

914. **VI. Facultates Capellanorum** determinantur, tum ex *natura* ipsa officii quod illis committitur, tum ex *indulto Apostolico* vel ex *statuto Ordinarii* quo datum fuit exemptionis privilegium, tum etiam ex probatis *consuetudinibus*.

In dubio, pronuntiandum est in favorem juris parochialis. Ratio est quia privilegia sunt strictæ interpretationis ; jurisdictio autem parochi, utpote *ordinaria*, maxime favorabilis reputatur.

ARTICULUS II.

DE JURIBUS PAROCHI QUOAD SACRAMENTA.

Parochus *in suo territorio*, quoad Sacramentorum administrationem et curam animarum, jus habet *exclusivum*, iis dumtaxat exceptis quæ, sive ex privilegio, sive ex consuetudine, ab aliis sacerdotibus, eo quoque irrequisito, fieri possunt.

§ I. DE JURE PAROCHI QUOAD BAPTISMUM.

915. **I. Jus solemniter baptizandi parochianos** competit *exclusive* parochis; et nullus alius sacerdos, extra casum necessitatis, id *licite* præstat nisi de rectoris aut Episcopi licentia. — *Cf. Rituale Romanum.*

a) « Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit sciscitetur quem vel quos elegerint ut baptizatum *de sacro fonte suscipiant;* et eum, vel eos tantum, ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat. » — *Trid., sess. 24, cap. 2, De ref. matr.*

Eadem sancta Synodus statuit « ut *unus tantum,* sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum *unus et una,* baptizatum de Baptismo suscipiant : inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum, *spiritualis cognatio* contrahatur ». — *Trid., ibid.*

Admitti nequeunt ad munus patrini, qui in *civili tantum matrimonio* vivunt, nec *publice excommunicati* aut *interdicti,* nisi, reparato scandalo, Ecclesiæ reconcilientur. — At, si reconciliari recusent, et ex eorum repulsa gravia damna timeantur, res ad Ordinarii judicium deferatur. — *S. Pœnitentiaria, 20 mart. 1885.*

b) Sacra Congregatio Concilii consuetudinem approbavit, quæ in pluribus diœcesibus invaluit, ut *illegitimi infantes* baptizentur, adhibitis tantum in loco sacro cære-

moniis a Rituali Romano præscriptis, sed absque populi concursu, et sine organi ærisque campani sonitu. — *Resol. diei 31 jul. 1867.*

c) Exceptis filiis Principum, *Rituale* vetat ne quisquam, sive privatim, sive solemniter *baptizetur domi* extra casum *necessitatis*. Parochus igitur, vel parentes dissuadebit, vel saltem interpellabit Episcopum.

Porro, *abusus* esset prudenter eliminandus, si alicubi *consuetudo* esset ut Episcopi filios quoque non Principum facultatem domi baptizandi facile concederent. — *Sac. Cong. Rit. 27 apr. 1877.*

916. **II. Infantes infidelium, invitis seu insciis parentibus, baptizare non licet,** nisi in articulo seu moraliter certo imminentis *mortis periculo*.

a) Neque licet, extra idem periculum, infantes a parentibus infidelibus aut hæreticis *ultro etiam oblatos* baptizare, si post baptismum in parentum potestate relinquendi sunt, nisi probabilis effulgeat spes catholicæ eorum educationis. — *S. C. de Propag., 17 apr. 1777;* — *S. Cong. Universalis Inquis., 26 aug. 1885.*

b) Vix unquam expedit ut baptismus *utroque parente reluctante* conferatur, nisi puer hic et nunc in *periculo mortis* versetur.

Imo, caute procedendum est si, *solo patre* fortiter reluctante, mater baptismi collationi consentiret. — *Berardi, De parocho, n. 179 et seq.*

§ II. DE JURE PAROCHI QUOAD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

917. **I. Parochus, vi officii sui, habet jurisdictionem fori interni in sua parochia,** et censetur quoad hoc a lege approbatus, absque alia desuper sibi facienda per Ordinarium licentia. — *Trid., s. 23, cap. 15, De ref.*

Hanc tamen jurisdictionem habet *dependentem* ab Episcopo quoad culparum reservationem.

a) Unde, cum hæc jurisdictio sit *ordinaria*, parochus potest cujuslibet parochiani sui, non solum extra parœ-

ciam, sed etiam *extra diœcesim*, confessionem *valide*, et, nisi aliquid obstet, *licite* quoque audire. — *Cf. n. 180, ubi De jurisdictione ad certum locum restricta.*

b) Jurisdictionem fori pœnitentialis non habet parochus *vi officii sui* quoad totam diœcesim. Potest tamen, ex jure *consuetudinario*, absolvere *advenas* in sua parochia versantes.

c) Non obstante canone concilii Lateranensis, an. 1215, hodie, ex firmata *consuetudine*, parochiani possunt, etiam tempore paschali, et in ordine ad implendum annuæ confessionis præceptum, *quemcumque presbyterum* adire qui jurisdictionem habeat ad absolvendum.

Unde, non potest parochus sibi exclusive reservare pro confessione talem aut talem personarum classem.

918. **II. Absque parochi vel rectoris consensu seu licentia**, nullus sacerdos, sive *sæcularis* sive *regularis*, etsi approbatus et jurisdictione munitus, potest excipere confessiones in *ecclesiis* aut *oratoriis*; idque in litteris jurisdictionis cavere solent Ordinarii per clausulam, quæ non est adjecta pro valore, sed tantum pro *liceitate* actus.

a) His non obstantibus, possunt quilibet sacerdotes approbati, in territorio suæ jurisdictionis, excipere confessiones *infirmorum* in eorum *domibus*, absque prævia parochi licentia.

b) Regulares tamen qui infirmorum confessiones audierunt, debent *parochum* de hoc certiorem facere, prout statutum reperitur in *constit. Superna, Clementis X.*

Addit autem Pontifex sufficere ut certioratio hujusmodi fiat per *scripturam* apud ipsum infirmum relinquendam.

919. **III. Parochus, cum fori interni habeat jurisdictionem ordinariam, eam delegare potest.**

a) Sed, ex conc. Trid., *sess. 23, cap. 15*, prærequiritur *approbatio Episcopi* de idoneitate delegandi, ita ut absque illa approbatione delegatio esset *invalida*.

Unde, sacerdotes approbati ad confessiones audiendas in una diœcesi, *vocati a parochis alterius diœcesis*, non pos-

sunt in ea confessiones quorumlibet audire absque approbatione Episcopi loci.

b) Et, cum Episcopi soleant sacerdotibus sæcularibus *jurisdictionem conferre simul cum approbatione,* ideo rarissime contingit parochos jurisdictionem conferre ad audiendas confessiones.

§ III. De jure parochi quoad sacratissimam eucharistiam.

920. **I. Communionem paschalem parochiani recipere debent in propria parochiali ecclesia.** — Alibi sumentes, excluso privilegio, absque parochi vel Episcopi licentia, præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt. — *Cap. Omnis utriusque sexus, 12, De pœnit.*

a) Attamen, si parochiani tempore paschali absint a parochia, *nec commode ad eam accedere possint,* satisfaciunt præcepto in ecclesia parochiali loci ubi degunt, tum quia proprius parochus præsumitur consentire, tum quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. — *Cf. Rit. Rom., De comm. pasch.*

b) Laici degentes *intra domos Regularium, et actu ipsis inservientes,* possunt a Regularibus communionem paschalem recipere. — Idem probabiliter dicendum est de eorum alumnis *convictoribus.*

Excipiuntur quoque communitates *exemptæ* a jure parochiali, quales sunt seminaria, collegia, xenodochia, etc. — *Cf. num. 913.*

921. **II. Parochus nequit impedire quin parochiæ suæ fideles, cæteras præter paschalem communiones, in quibuslibet ecclesiis publicis faciant.**

a) Hinc possunt *Regulares* personis sæcularibus sacram communionem in suis ecclesiis distribuere, etiam toto tempore paschali.

Equidem jure communi excipiendus est *dies Paschatis,* quo nequeunt sacram Eucharistiam porrigere iis etiam qui jam in sua parochia paschalis communionis præcepto satis-

fecerunt. — *Cf. Bened. XIV, De syn. diœc., lib. 9, cap. 16, num. 3.* — At vero plures dicunt *consuetudinem*, in quibusdam saltem regionibus, legi huic plus minusve derogasse. — *Cf. S. Lig., lib. 6, num. 240.*

b) Nequeunt tamen Regulares, sine licentia Episcopi aut parochi, *publice* Eucharistiam deferre per plateas, ut sacram communionem, *etsi extra Viaticum,* ægroto deferant, « cum id juri parochorum consuetudine obtento derogет ». — *S. Lig., loc. cit.*

922. **III. Ad Sacramentum Eucharistiæ prima vice suscipiendum** nemo admittendus est qui nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habeat, judicio præsertim *parochi* ac sacerdotis cui peccata confitetur. — *S. C. Conc., 15 mart. 1851. — Cf. Catech. concilii Trid., De Euch., n. 68 ; constit. Bened. XIV, Etsi minime, an. 1742.*

a) Spectato *jure communi,* admissio puerorum ad *primam communionem* non est de parochialibus juribus.

b) Sed *consuetudine* inductum est in pluribus catholicis regionibus, ut sit hæc functio *exclusive parochialis,* salvis tamen *legitimis exceptionibus* in communitatibus exemptis.

Et praxis qua pueri ejusdem parochiæ *solemniter,* post communem et diligentem præparationem, ad primam communionem admittuntur, cum maxime ad pietatem fovendam conducat, firmata est *decretis conciliorum provincialium,* necnon *statutis diœcesanis* præscripta.

923. **IV. Sacri canones ætatem non definiunt qua primum Eucharistia recipienda sit ;** et Doctores non conveniunt inter se de ætate qua habeatur sufficiens discretio ad Corpus Christi sumendum.

a) Cum *Episcopus* præcipuas partes habeat quoad christianam puerorum educationem, statutum condere potest quo pueri ad Eucharisticam mensam non admittantur ante *determinatam ætatem,* ut efficaciter doctrina christiana et salutari antidoto contra hodiernam impietatem et incredulitatem imbui valeant. — *S. C. C., in Annecien., 21 jul. 1888.*

b) Attamen eadem S. Congregatio declaravit *parochos non posse prohiberi* ab admittendis ad primam communionem iis pueris de quibus certo constat eos ad *discretionis ætatem*, juxta conciliorum Lateranensis IV et Tridentini decreta, pervenisse.

Et Sanctissimus, die 23 julii, jussit declarari verba « *ad primam communionem* » esse intelligenda ad exclusionem primæ communionis *in forma solemni.*

924. **V. Ad parochum spectat Eucharistiæ distributio in sua ecclesia.**

Unde alienum officium invadit, qui *sine licentia parochi* hoc sacramentum administrare præsumit.

Sed, quando parochus alicui concedit licentiam celebrandi Missam in sua ecclesia, censetur quoque facultatem concedere Eucharistiam ministrandi, non solum *in Missa*, sed et *extra Missam*, in eadem ecclesia. — *Cf. S. Ligor., lib. 6, num. 235.*

Imo, consuetudo habet ut, in quacumque ecclesia sacerdos missam celebret, Eucharistiam fidelibus distribuere possit. — *Gury-Ballerini, n. 289.*

925. **VI. Sacerdotes peregrinos litteris commendatitiis sui Ordinarii munitos, parochus ad Missam celebrandam admittere debet.** — *Cf. n. 611 et seq.*

Ipsis proinde *subministrare* debet quæ ad hujus Sacrificii celebrationem *necessaria* sunt. Attamen, pro pane, vino, cereis et sacris utensilibus, alicujus *taxæ* solutionem exigere potest. — *Cf. res. S. C. C., 28 sept. 1726.*

§ IV. DE JURE PAROCHI QUOAD VIATICUM ET EXTREMAM UNCTIONEM.

926. **I. Ad parochum pertinet jus ministrandi sacram communionem per viaticum et Extremam Unctionem**, ita ut alii sacerdotes, etsi valide possint, *licite* tamen *extra casum necessitatis* illa ministrare nequeant absque parochi vel Ordinarii licentia. — *Cf. Bened. XIV, De syn., lib. 8, cap. 4, num. 7.*

a) Quod ad *peregrinos* attinet, administratio horum sacramentorum, si *proprius* peregrini parochus non adsit, aut commode accersiri nequeat, spectat exclusive ad parochum loci. — *S. C. C., 19 sept. 1637.*

b) Jus deferendi *S. Eucharistiam* parochianis *infirmis*, sive ad satisfaciendum præcepto paschali, sive ut communicent ex mera devotione, spectat pariter ad parochum privative. — *Cf n. 921.*

927. **II. Imo, excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrunt** « *Religiosi* præsumentes clericis aut laicis *extra casum necessitatis* sacramentum Extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare *absque parochi licentia* ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 2, num. 14.*

Quatuor ad hanc censuram contrahendam requiruntur :

a) Ut sacramenta de quibus in articulo, administrentur *absque licentia parochi.*

Parochus autem hic intelligitur qui curam ibi habet animarum (*quocumque nomine vocetur*), aut vices ejus hac in re gerit.

b) Ut ea sacramenta administrentur *extra casum necessitatis.* — Casus autem necessitatis æstimari debet, nedum ex periculo quo laborat ægrotus, sed etiam si parochus acciri facile nequeat.

Excommunicatio itaque non incurretur, *si horum alterutrum non desit,* nempe si necessitas urgeat, aut adsit parochi licentia, etsi forte falso existimaveris utrumque deesse, quippe nostra existimatio non mutat rei veritatem; vel etiam si, vice versa, alterutrum *existere putaveris*, etsi utrumque reipsa desit : ratio est, quia sic administrans non dicitur *præsumere.*

c) Ut administrans sit proprii nominis *Religiosus.* — Itaque cessat excommunicatio si sic sacramenta ministret aut sacerdos *sæcularis*, aut etiam qui profitetur Institutum in quo vota tantum *simplicia* emittuntur; quippe in odiosis ejusmodi Instituta, nec *Regularia,* nec *Religiosa* dicuntur.

d) Ut Religiosus sacramenta illa administret *clericis* aut

laicis. — Cessat ergo excommunicatio si Regularis ea ministraverit *Regularibus*, etiam alterius Ordinis, et extra monasterium, vel etiam his qui Regularium jure censentur, id est *novitiis* et *famulis* qui actu eis deserviunt atque in septis sub eorum obedientia vivunt, et probabiliter etiam suis *alumnis convictoribus.*

His adde *pauperes* in Regularium hospitalibus degentes, et viros *Tertiarios* qui collegialiter vivunt vel cum claustralibus habitant. — *Ballerini, Comment. in præsent. art.*

§ V. DE JURE PAROCHI QUOAD MATRIMONIA.

928. **I. Ut validum sit matrimonium,** necessaria est *præsentia* parochi alterutrius contrahentium, ejusve aut Episcopi delegati, cum duobus vel tribus *testibus*, ubicumque publicatum est Tridentini decretum, *sess. 24, cap. 1, De ref. matrim.*

« Insuper, parochum vel alium sacerdotem qui cum minore testium numero, vel testes qui sine parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit » eadem sancta synodus, *loc. cit.*

929. **II. Benedictio nuptialis a proprio parocho facienda est;** neque a quoquam, nisi ab ipso parocho vel ab Ordinario, *licentia* ad prædictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi potest. — *Trid., loc. cit.*

« Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, *matrimonio conjungere* aut *benedicere* ausus fuerit : *ipso jure* tamdiu *suspensus* maneat quamdiu ab Ordinario ejus parochi qui matrimonii interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. » *Trid., loc. cit.*

930. **III. Ad parochum quoque proprio jure pertinet denuntiare matrimonia a parochianis contrahenda.** — *Trid., sess. 24, cap. 1, De ref. matrim.*

« Denuntiationes faciendæ sunt tribus continuis diebus festivis, in ecclesia inter Missarum solemnia...., nisi Ordinarius ipse judicaverit ut prædictæ denuntiationes remittantur. » — *Trid., ibid.*

De circumstantiis temporis, loci et personarum quoad bannorum publicationem, nec non de aliis quæ spectant ad sacramentum matrimonii, *cf. apud probatos Auctores* tractatum De matrimonio; — *Rituale Romanum; — nec non statuta in singulis diœcesibus vigentia.*

931. **IV. Ex decreto potestatis civilis in Gallia :**

« Tout ministre d'un culte qui procédera aux cérémonies religieuses d'un mariage, sans qu'il lui ait été justifié d'un acte de mariage préalablement reçu par les officiers de l'état civil, sera, pour la première fois, puni d'une amende de 16 francs. » — *Code pénal, art. 199.*

« En cas de nouvelles contraventions...., le ministre du culte qui les aura commises sera puni, savoir : pour la première récidive, d'un emprisonnement de deux à cinq ans; et pour la seconde, de la détention. » — *Ibid., art. 200.*

ARTICULUS III.

DE JURE PAROCHI QUOAD FUNERALIA.

Jus illud complectitur : jus sepeliendi, aut interveniendi funeribus; — et jus percipiendi emolumenta ex funeribus provenientia.

§ I. DE JURE SEPELIENDI AD PAROCHUM PERTINENTE.

932. **I. Jus sepeliendi parochianos pertinet ad parochum.** — *Cap. Ex parte, 5, De sepulturis; — et cap. Is qui, 3, ejusd. tit., in 6o.*

Et revera, omni ex parte convenit fideles ab eo tumulari et ultimum *vale* recipere qui eos, dum vivebant, ceu *pater* in Christo genuit et aluit, et ceu *pastor* divinis imbuit cœlestique pabulo refecit.

a) Unde, jure communi, defunctus sepeliendus est, non

in loco ubi decessit, sed *in sua parochia*, « dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari ». — *Cap. 3, De sepulturis, in 6º.*

Periculum hujusmodi judicio viri prudentis relinquitur. *Expensarum* quoque ratio habenda est; quibus solvendis fortasse impares sint defuncti hæredes.

Ex. gr., jus funerandi fideles decedentes in *hospitalibus non exemptis*, spectat ad parochum domicilii dictorum defunctorum; nam qui recipiuntur in hospitalibus, perfunctorie et curandæ valetudinis gratia ibi veniunt, neque amittunt proprium parochum in hospitali non exempto. — *Sacra Cong. Conc., 19 maii 1888.* — Attamen si *diuturno morbo* laborantes, in hospitali perpetuo remanere statuissent, vel saltem per majorem anni partem, jus funerandi spectaret ad *parochum loci* in hospitali non exempto.

b) Si defunctus *duplex habeat domicilium*, vel domicilium et quasi-domicilium, communiter docent Auctores ipsum sepeliendum esse in parochia in qua decessit.

c) Si parochus *illegitime* cadaver peregrini in sua ecclesia sepulturæ mandaverit, debet omnia funeris *emolumenta* vero defuncti parocho *restituere*.

Imo sacri canones ad *exhumationem* et restitutionem cadaveris *olim* adigebant.

Sed hoc *hodie* ut plurimum fieri nequit, obstantibus legibus civilibus; et in desuetudinem cæterum abiit.

d) Dum quis in propria parochia defunctus, in eadem sepelitur, ad parochum spectat tum cadaver e domo levare, tum *functiones omnes sacras peragere*, et corpus humo tradere, etiamsi præsens sit Capitulum ecclesiæ cathedralis aut collegiatæ.

933. **II. Attamen hæc regula generalis in quibusdam fallit.** — Nam,

a) Si quis habeat *majorum suorum sepulchrum* alibi quam in parochiæ suæ ecclesia vel cœmeterio, nec aliam sepulturam elegerit, non tantum potest, sed et *debet* in dicto majorum suorum sepulchro sepeliri, nisi aliam *elegerit* sepulturam. — *Cap. Nos instituta, 1, De sepulturis.*

b) Omnis utriusque sexus fidelis, nisi specialiter in jure prohibeatur, sibi sepulturam *eligere* potest. — Non possunt tamen regulariter parentes vel hæredes ecclesiam funerum defunctis eligere.

Electio rata est, sive in testamento fiat, sive citra testamentum, seu scripto seu viva voce seu etiam nutibus, dummodo *voluntas* eligentis satis innotescat.

Impuberes quidem vetantur sibi eligere sepulturam. Verum « ubi consuetudo terræ id habet », pater filiis impuberibus sepulturam eligere potest. — *Cap. 4, De sepult., in 6°.*

Deficiente patre, idem jus matri et ascendentibus parentibus communiter tribuunt Canonistæ.

c) *Religiosi*, emissis votis solemnibus, *velle* et *nolle* non amplius habent, ideoque sibi sepulturam eligere non possunt; sed in *monasterii* ecclesia vel cœmeterio sepeliendi sunt, nisi « a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, ut ad ea, cum moriuntur, commode portari nequeant ». — *Cap. 5, De sepulturis, in 6°.*

d) Quandoque accidit ut parochianus *alibi* funus habere debeat ratione *dignitatis*.

Quod contingit in *Episcopis*, in *Canonicis*, imo in *beneficiariis* omnibus, qui ad Ecclesiam proprii tituli deferendi sunt. — *Cf. n. 664 et 767.*

e) *Uxor*, sive ante sive post mariti mortem obeat, in illius proprio aut majorum sepulchro sepeliri debet; si vero plures habuit viros, in ultimi mariti sepulchro humanda est. — *Cap. Is qui, 3, De sepult., in 6°.*

934. **III. Dum parochianus in propria ecclesia decedit, et in aliena ecclesia sepelitur,** scilicet *extra parochiam*, vel intra parochiæ fines in ecclesia exempta,

a) Proprio defuncti parocho competit jus cadaver e domo *levandi*, et illud recto tramite, per viam ab ipso declarandam, *ad ecclesiam funerantem* deducendi. — *Ita communiter.*

1° Sed præviam cadaveris ad ecclesiam parochiæ delationem exigere non potest. *Ecclesia* enim *tumulans* sola jure potitur *officium funebre persolvendi* corpusque sepeliendi,

et omnia funeralia percipiendi emolumenta, dempta tantum portione canonica parocho solvenda. — *Cf. n. 938.*

2º Aliter tamen dicendum esset si defunctus, vel ejus hæredes, *duplex funus et duplices exsequias* celebrari postulaverint.

Et revera mos receptus est in multis provinciis, ut defunctus e domo in qua obiit non efferatur in locum quem suæ sepulturæ elegerit, nisi *prius ad ecclesiam parochialem* sit delatus.

Cæteroquin, posset aliquis sibi eligere aliam ecclesiam pro *solo tumulo*, et suam parochialem pro *funere.*

3º *Proprius parochus* ad effectum associandi corpus defuncti ad constitutam sepulturam, ille etiam censetur in cujus parochia *aliquis decessit*, quamvis *brevi tempore* et perfunctorie in ea sit moratus. — *Cf. resol. Sac. Cong. Conc. 22 dec. 1866.*

b) *In ingressu alienæ ecclesiæ* in qua sepeliendus est defunctus, proprius parochus munus suum dimittit, illudque assumit parochus vel prælatus ecclesiæ pro sepultura electæ.

Sed parochus per cujus parochiæ fines *transit funus*, nullum jus acquirit, nec transitum impedire potest, aut quidquam stipendii petere. — *Quod sæpe declaratum est a Sacra Congregatione Rituum.*

c) *Unica crux elevanda est* in ducendo funere, nempe crux ecclesiæ tumulantis, nisi aliter ferat consuetudo. — *Cf. resol. S. C. R., 15 mart. 1881, et 14 mart. 1882.*

Verum quando funeri *intervenit Capitulum cathedrale*, non alia crux deferenda est quam Capituli, juxta resolutiones S. C. Rituum.

935. **IV. Hodie tumulationes in ecclesiis et in civitate pluribus in locis lege civili fieri prohibentur.**

a) Verum per legem qua præcipitur ut, publicæ incolumitatis causa, cadavera fidelium ad *publica* cœmeteria deferantur, nihil sublatum est de jure quo ecclesiæ potiuntur tum *funeris peragendi*, tum *percipiendi emolumenta*; locus enim sepulturæ *materialiter* tantum immutatur, et

cœmeteria *publica* locum tenent cœmeteriorum *parochialium*. — Quamobrem parochi possunt illuc deferre cadavera suorum parochianorum, ibique sui officii et jurisdictionis actus exercere, tanquam in loco propriæ jurisdictionis. — *Quod pluries declaravit S. C. C., v. gr. die 16 sept. 1871; 23 jan. 1886.* — Et regulares eodem jure potiuntur.

b) Itemque in libertate fidelium est sibi eligere *funerum ecclesiam*, ut ante liberum erat sepulturæ ecclesiam sibi *eligere*, quarta funerali parocho repensa.

c) Cadaver *absens* ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum *insepultum*, sed et *humatum*, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice præsens, ita ut *Missa exequialis* in casu cantari licite valeat quoties præsente cadavere permittitur. — *Sac. Cong. Rit., 13 feb. 1892.*

936. **V. De cœmeteriis, et de jure Ecclesiæ quoad sepulturas**, *cf. Tractatum De rebus ecclesiasticis, ubi de rebus Ecclesiæ spiritualibus, n. 1318 et seq.*

§ II. DE JURE PAROCHI AD EMOLUMENTA EX FUNERIBUS PROVENIENTIA.

Jus parochi ad hæc emolumenta duplex distinguitur : scilicet jus ad *certam aliquam oblationem* dum ipsius parochianus in parochia sepelitur, et jus ad *quartam funeralem* dum ejus parochianus alibi sepultura donatur.

937. **I. Nequit parochus, absque simoniæ labe, quidquam exigere tanquam pretium sepulturæ.** — Sepultura enim est *jus spirituale* competens fidelibus, et *vi muneris sui* tenetur parochus illud officium parochianis suis præstare. — Verum,

a) Si adsit *consuetudo* aliquid solvendi pro simplici sepultura, parochus non prohibetur solitam præstationem exsposcere, exclusa tamen turpi exactione.

b) Si defuncti hæredes vel consanguinei cupiant *solemniori forma* funus indicere, seu postulent *aliquid extraordinarium* ad quod vi officii sui parochus non tenetur,

poterit is, sive ratione expensarum, sive in stipendium extraordinarii laboris, aliquid exigere.

c) *Episcopo* competit jus taxam pro exsequiis et funeribus determinandi. — *Rit. Rom., De exsequiis.*

Porro, id nostris temporibus quibus Ecclesia bonis suis temporalibus fere ubique sacrilege spoliata est, prorsus *necessarium* evasit.

Hinc est, ut Ordinarius *in taxæ confectione*, ad removendam omnem contentionis ac scandali occasionem, tum personarum, locorum ac peculiarium consuetudinum rationem habeat, tum accurate præscribat quid parocho aliisque altari inservientibus, quid funus comitantibus, quid campanas pulsantibus emolumenti debeatur, quidque de cereorum numero ac pondere, nec non de panno seu culcitra commodanda aliisque id genus fieri oporteat. — *Vecchiotti, Inst. can., lib. 3, § 60. — Cf. n. 954.*

Attamen, « *pauperes*, quibus mortuis nihil aut ita parum superest ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur ». — *Rit. Rom., De exsequiis.*

938. **II. Quarta funeralis**, seu portio canonica, est certa quantitas a jure canonico inducta, quæ solvenda est *proprio defuncti parocho* ex iis quæ occasione funeris obveniunt *alienæ ecclesiæ tumulanti.*

a) Vocatur *quarta*, quia de jure ordinario parocho debetur quarta pars ex præfatis emolumentis. — *Cap. Cum super, 8, De sepult. ; — et clement. Dudum, eod. tit.*

Verum, pro diversitate regionum, hæc pars diversa est quoad quantitatem, et rationabiles *consuetudines locorum* esse observandas edixit Clemens III, *in cap. Certificari, 9, De sepulturis.*

b) Hæc portio canonica intelligenda est *eorum omnium quæ occasione funeris ecclesiæ tumulanti obveniunt*, puta quæ tali occasione legantur ecclesiæ, sive res sint mobiles, sive immobiles, quæ offeruntur tempore quo funus seu exsequiæ celebrantur, sive obveniant antequam corpus in terra condatur, sive post, usque ad trigesimum diem. — *Leuren., Forum benef., part. 1, q. 455, num. 1.*

Alii tamen dubitant utrum ad quartam determinandam, ultra emolumenta *die funeris* percepta, alia quoque computari debeant. — *Berardi, De parocho, n. 784.*

c) Si defunctus *duplex* habuerit *domicilium*, et in tertio loco *elegerit* sepulturam, quarta funeralis est inter duos parochos dividenda. — *Cap. Cum quis, De sepult., in 6º.*

ARTICULUS IV.

DE JURE PAROCHI AD FUNCTIONES PAROCHIALES.

Functiones parochiales, quatenus opponuntur functionibus mere *sacerdotalibus*, illæ dicuntur quæ a parochis fieri consueverunt, et illis conveniunt, vel ob naturam munerum quæ cum juribus parochialibus omnino copulantur, vel ob dignitatem et conjunctionem quam habent cum parochi pastorali officio.

Ad imponendum finem controversiis quæ inter parochos et Confraternitates sæculares, earumque Capellanos et Officiales, super juribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis nonnullisque præeminentiis seu prærogativis exoriri solebant, Sacra Congregatio Rituum *Decretum generale* edidit *die 10 dec. 1703*, ex quo sequentes decisiones desumuntur.

939. **I. Ad jura parochialia pertinent :**

a) Benedictio fontis baptismalis. — *Decret., num. 6.* — Si tamen ecclesia parochialis sit simul cathedralis vel collegiata, benedictio fontis fieri debet a sacerdote qui cætera officia Sabbati Sancti peragit, cum ab his sejungi nequeat. — *Cf. resp. S. C. Rit., in Ugentina, 23 maii 1873.*

b) Celebratio Missæ solemnis, feria quinta in Cœna Domini. — *Decret., n. 8.* — Hæc Missa tamen potest celebrari in ecclesiis quibus jus est asservandi SS. Sacramentum, v. gr. in ecclesiis Regularium, seminariorum, hospitalium.

c) Benedictio mulieris post partum. — *Ibid., n. 6.* — Equidem, ex decisione S. C. C., *7 dec. 1720*, puerperæ ad quamcumque ecclesiam benevisam accedere possunt. Sed

hæc particularis declaratio non videtur anteponenda decreto generali an. 1703, quod fuit a Sede Apostolica *legis instar* confirmatum. — *Bouix, De parocho, pag. 509.*

« Ad benedictionem autem post partum jus tantum habere mulieres quæ ex *legitimo matrimonio* pepererunt », S. C. C. declaravit, *die 18 jun. 1859.*

d) Officium funebre super cadaveribus parochianorum tumulandis in ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum quæ sunt intra fines parochiæ. — *Cit. decret., num. 20.* — *Cf. resp. S. C. Rit. in Casertina, 7 jul. 1877.*

940. **II. Non sunt autem functiones quæ ad parochum exclusive pertineant**: Benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum ; — benedictiones ignis, seminis, ovorum et similium ; — functiones Hebdomadæ Sanctæ præter supra dictas ; — Missæ solemnes per annum, sive pro vivis sive pro defunctis ; — expositio 40 horarum et benedictio quæ fit super populo ; — expositio quæ fit cum reliquiis et sacris imaginibus, et benedictio quæ cum eis fit super populo ; — publicæ conciones in dictis ecclesiis Confraternitatum cum licentia Ordinarii ; — denuntiatio festivitatum et vigiliarum occurrentium in hebdomada. — *Ibid., ad 5, 7, 10, 11, 12, 18.* — *Cf. decisionem Sac. Cong. Rit., 19 maii 1879.*

Prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto non est de juribus parochialibus, sed spectat ad ecclesiam digniorem. — *Cf. n. 1079 et seq.*

a) De rigore juris, non potest a *parocho* prohiberi ne, in publicis oratoriis intra suæ parœciæ fines, Missæ celebrentur ante Missam parochialem.

b) Potest tamen id vetare *Ordinarius* in oratoriis publicis *sæcularium*, dummodo Missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur, non autem in oratoriis *Regularium* exemptorum. — *Cf. n. 899.*

941. **III. Processiones solemnes,** sive Confraternitatum, sive Regularium, extra ambitum suarum ecclesiarum fieri non possunt absque licentia illorum parochorum per

quorum territorium transeundum est, nisi adsit Episcopi licentia. — *Cit. decret., ad 22.* — *Cf. resp. S. Cong. Conc., 3 aug. 1889.*

a) Neque solemnes et publicas functiones *extra ecclesiam,* ullus sacerdos absque *parochi* vel *Episcopi licentia* peragere potest: quemadmodum nullus Episcopus potest exercere pontificalia in aliena diœcesi, absque expressa Ordinarii loci licentia.

Unde, parocho competit jus privative impartiendi solemnem *navium* benedictionem. — *S. C. C., 12 sept. 1891.*

Idque a pari dicendum videtur de benedictione solemni *domorum.*

b) Regularibus autem concessit Gregorius XIII, *constit. Cum interdum, an. 1573,* ut absque ullius licentia valeant processiones instituere, etiam extra claustra, per totam Octavam Corporis Christi, excepto die quo Episcopus vel parochus loci processionem facit.

CAPUT VI.

DE CONGRUA SUSTENTATIONE PAROCHI.

Parochus jus habet ad congruam sustentationem. « Nescitis, ait *S. Paulus*, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. » — *I Cor.*, IX, *13* et *14*.

« Quis militat suis stipendiis unquam? » — « Dignus est operarius mercede sua. » — *I Cor.*, IX, *7*; — *I Tim.*, V, *18*.

Præterea, non decet parochos, dum spiritualia populo ministrant, inopia cogi aut hujusmodi sacrum negligere officium, aut talia peragere quæ populo sibi credito causam offensionis præbeant.

Jam vero, variis modis decursu temporum provisum est parochorum sustentationi, nempe decimis, primitiis, fundationibus, beneficiis, casualibus oblationibus. — *Cf. n. 1361 et seq.*

Sed fere ubique *decimæ* et *primitiæ* obsoletæ sunt; *beneficia* ex bonis ecclesiasticis in pluribus regionibus non exsistunt, eo quod Ecclesia bonis suis temporalibus fuerit spoliata.

Unde, hisce in partibus, parochorum sustentationi providetur per pensiones a *civili Gubernio* solutas,— vel per casuales *fidelium* oblationes.

ARTICULUS I.

DE MODO QUO, IN GALLIA, EX PARTE GUBERNII CIVILIS, CONGRUÆ PAROCHORUM SUSTENTATIONI PROVIDETUR.

Hunc articulum, pro ipsius indole, gallico idiomate absolvemus.

942. **I. Traitements.** — L'Assemblée constituante, par la loi du 2 novembre 1789, *confisqua* tous les biens du clergé au profit de la nation, et stipula qu'à titre d'*indemnité*, l'État assurerait à chaque curé une dotation de 1,200 fr. au moins, non compris le presbytère et les jardins en dépendant.

Cette dotation, quelque minime qu'elle soit, lorsqu'on la compare aux revenus des biens confisqués, n'a jamais été fournie intégralement. En effet, les *articles organiques,* pour restreindre l'obligation renouvelée par l'article 14 du Concordat, ont établi une distinction entre les *paroisses*

et les *succursales*, et n'ont mentionné que le traitement des curés. — *Cf. art. 60, 66 et 68.*

Cependant, par divers décrets postérieurs, les *desservants*, ou *succursalistes*, ont été admis à percevoir certains émoluments sur les fonds de l'État.

a) Aujourd'hui, les *traitements du clergé paroissial* sont fixés comme il suit :

Pour les *curés de première classe*, jusqu'à soixante-dix ans, 1,500 francs; après soixante-dix ans, 1,600 francs.

Pour les *curés de deuxième classe*, jusqu'à soixante-dix ans, 1,200 francs; après soixante-dix ans, 1,300 francs.

Pour les *desservants* jusqu'à soixante ans, 900 francs; après soixante ans, 1,100 francs; après soixante-dix ans, 1,200 francs; après soixante-quinze ans, 1,300 francs.

L'augmentation de traitement court à dater du jour où l'on atteint l'âge requis; ce que l'on prouve par la production de l'acte de naissance à la préfecture.

b) Sur la proposition de l'Évêque, un dixième des curés de deuxième classe est élevé au rang et au traitement de la première classe, *à titre personnel.*

c) Pendant plusieurs années, à partir de 1874, les lois de finances allouaient des crédits supplémentaires, pour *augmenter* de 100 francs le traitement d'un certain nombre de *desservants* âgés de *moins de cinquante ans*, désignés de concert par les Évêques et les Préfets. On devait ainsi porter *peu à peu* le traitement de *tous les desservants* de 900 francs à 1,000 francs.

Mais ces augmentations de crédit *ont cessé* depuis 1880; et il n'y a aujourd'hui que 4,500 succursalistes dont le traitement ait été ainsi élevé.

Les augmentations de 100 francs en faveur des desservants âgés de moins de soixante ans ne peuvent donc plus s'effectuer qu'au moyen de la *répartition* de celles des augmentations antérieurement attribuées qui deviennent *vacantes*, soit par le *décès* des bénéficiaires, soit par leur arrivée à l'*âge de soixante ans*, où ils sont portés de plein droit à 1,000 francs.

Il suit de là qu'un desservant âgé de moins de soixante ans, qui désire obtenir l'augmentation de traitement dont il s'agit, ne peut que *s'adresser à son Évêque* pour lui demander, *le cas échéant*, de vouloir bien, de concert avec le préfet du département, le proposer pour l'attribution d'une de ces augmentations devenues disponibles dans le diocèse.

d) Le traitement des titulaires court à dater du jour où ils ont pris possession. — *Ordonn. des 4 sept. 1820 et 13 mars 1832.*

Le jour de l'installation et celui du décès, ou de la cessation des fonctions, doivent être comptés.

Le curé *démissionnaire*, qui continue ses fonctions jusqu'à l'installation de son successeur, a droit au traitement jusqu'au jour de cette installation. — *Règlement du 31 décembre 1841.*

La prise de possession ou *installation* doit être *constatée par le bureau des marguilliers* en double certificat, dont l'un est envoyé à l'Évêque, l'autre à la préfecture, pour servir à la formation des états de paiement. — *Ordonnance du 13 mars 1832.*

e) Le mandat de paiement des curés, desservants et vicaires doit être accompagné d'un certificat d'identité émanant de l'autorité diocésaine, et d'un certificat de *résidence* délivré par le *maire* de la commune, et visé par le sous-préfet et le préfet. — *Loi du 28 déc. 1876, art. 13; — circul. minist. du 14 fév. 1877.*

f) Le Gouvernement s'arroge le droit de *suspendre* ou de *supprimer*, par mesure disciplinaire, les traitements de tous les ministres du culte salariés par l'État. — *Conseil d'État, 26 avril 1883.*

g) A la mort d'un titulaire ecclésiastique, les *héritiers* peuvent réclamer le montant du mandat non acquitté, ou le paiement du prorata qui est dû.

A l'appui de leur réclamation, ils ont à fournir au trésorier-payeur général : 1o l'*acte de décès* du défunt sur papier timbré et dûment légalisé; 2o s'il y a un testament, un *certificat de propriété* délivré par le notaire dépositaire du tes-

tament, et, si l'ecclésiastique est mort intestat, un *acte de notoriété* rédigé par le juge de paix du canton.

Ces deux dernières pièces sont assujetties au timbre et à l'enregistrement.

943. **II. Indemnités de binage.**

a) Un supplément de traitement de 200 francs par an est accordé à chaque desservant que son Évêque aura chargé provisoirement du service de *deux succursales*, à défaut de desservant en exercice dans l'une d'elles, tant que durera le double service. — *Ordonn. du 6 nov. 1814, art. 1er.*

b) L'indemnité du binage, qui n'était accordée d'abord qu'aux *desservants*, est accordée maintenant aux *curés* et à leurs *vicaires*. — *Décis. roy. du 28 mars 1820.*

Elle n'est pas accordée aux *vicaires des desservants*, lors même qu'en fait ils exerceraient les fonctions de desservant par suite de l'absence du titulaire ou de la vacance de la succursale. — *Lettre du min. des cultes, 30 janv. 1869; — décis. minist., 6 avril 1848.*

Elle n'est pas accordée aux chanoines (*décis. minist., 23 juin 1847*), chapelains ou prêtres habitués, qui font un double service. — *Circul. ministérielle, 20 juin 1827, 2 août 1833.*

c) Elle n'est accordée que pour binage dans une succursale ; elle ne l'est pas pour binage dans une cure (*circul. minist., 2 août 1833; décis. minist., 30 janvier 1869*), ni pour binage dans une chapelle vicariale (*décis. minist., 15 décembre 1843*), ni pour binage dans les annexes et les chapelles de secours. — *Circul., 2 août 1833.*

d) L'indemnité n'est accordée que pour binage dans une succursale *vacante;* elle ne l'est pas si le titulaire n'est qu'absent ou empêché. — *Circ. minist., 12 avril 1823.*

Le double binage ne donne pas droit à une double indemnité de 200 fr. — *Règlem. du 31 décembre 1841.*

A l'indemnité du binage payée par l'État, la commune peut ajouter une indemnité supplémentaire. — *Décis. minist., 3 mai 1864.*

e) Le binage donne droit au *casuel* qui résulte des mariages, enterrements et messes de fondation.

Il donne également droit à la jouissance du *presbytère* et de ses dépendances. — *Ordonn. du 3 mars 1825, art. 2. — Cf. n. 948.*

f) La durée du double service est *constatée* par le curé de canton, ou par un desservant voisin, si c'est le curé de canton qui a fait ce double service.

L'indemnité est payée par semestre, proportionnellement au temps du service. — *Règlement du 31 déc. 1841.*

944. **III. Indemnités pour remplacement des titulaires malades ou interdits.**

D'après le décret du 17 novembre 1811 et l'instruction ministérielle du 1er avril 1823 :

a) *En cas de maladie du titulaire,* l'indemnité pour celui qui le remplace est : dans les succursales, de 250 francs ; dans les cures de deuxième classe, de 400 francs ; dans les cures de première classe, de 700 francs. — Le remplaçant jouit en outre du casuel.

b) *En cas d'interdit du titulaire,* l'indemnité pour le remplaçant est, dans les succursales, la moitié du traitement; dans les cures de deuxième classe, cette indemnité atteint les trois cinquièmes ; et dans les cures de première classe, les deux tiers du traitement. — Le *casuel* lui est également réservé.

c) L'Évêque ne peut appliquer ce décret sans une *décision du ministre des cultes*, qui détermine si les fonds pour cette indemnité seront fournis par l'État, ou pris sur le traitement du titulaire remplacé.

945. **IV. Suppléments de traitement.**

a) L'article 67 de la loi organique de l'an x, et l'arrêté du 18 germinal an xi, permettent aux *conseils municipaux* d'accorder, sur les revenus des *communes*, des augmentations de traitement aux curés et desservants.

b) Ces allocations sont purement *facultatives*, et le préfet a le droit de les retrancher du budget, ou d'en ré-

duire le chiffre, quand la situation financière des communes lui paraît l'exiger.

946. **V. Pensions et secours.**

a) En vertu du décret du 28 juin 1853, « le ministre des cultes peut accorder des *pensions viagères* aux prêtres âgés ou infirmes, entrés dans les ordres sacrés depuis plus de trente ans ».

Ce décret ne constitue donc pas un *droit absolu*; et le ministre n'accorde ordinairement cette pension qu'aux prêtres qui, outre leur âge ou leurs infirmités, manquent de ressources suffisantes pour leur entretien.

Ces pensions peuvent s'élever jusqu'à 500 francs pour les anciens *desservants*, et jusqu'à 600 francs pour les anciens *curés*. Elles sont payables par trimestre.

Les *pièces à produire* sont : la demande de pension, l'acte de naissance légalisé, un état de services fourni par l'évêché, l'avis motivé de l'Évêque, et l'avis du préfet constatant l'insuffisance des ressources de l'impétrant.

b) Quand un prêtre retiré du ministère ne se trouve pas dans les conditions requises pour obtenir une pension, le ministre peut lui accorder un *secours* jusqu'à la somme de 400 francs.

La demande doit en être renouvelée chaque année *par l'évêché;* la somme est payée en une seule fois. — Ce secours, dans un cas exceptionnel, peut se cumuler avec la pension.

c) Un secours particulier est quelquefois accordé, même aux prêtres qui sont dans le saint ministère, pour des *nécessités graves et accidentelles :* par exemple, quand un prêtre est atteint d'une longue maladie; quand il est réduit à aller prendre les eaux thermales, les bains de mer; quand il est victime d'un incendie, d'un vol considérable.

On peut renouveler deux ou trois fois la demande de ce secours accidentel, si la nécessité persévère. — La demande doit en *être adressée au ministre par l'entremise de l'Évêque.*

d) Un décret du 1er août 1805 autorise un prélèvement

sur le produit des *bancs* et *chaises* des églises, pour former un *fonds de secours* : « Le sixième du produit de la location des bancs, chaises et places dans les églises, faite en vertu des règlements des Évêques pour les fabriques de leurs diocèses, après déduction des sommes que les fabriques auront dépensées pour établir ces bancs ou ces chaises, sera prélevé pour former un fonds de secours à répartir entre les prêtres âgés ou infirmes. »

e) Enfin le Gouvernement a *approuvé* la fondation des *caisses diocésaines de retraites* à titre d'établissements d'utilité publique.

1º Les ordonnances qui approuvaient les caisses de secours leur attribuaient le bénéfice des lois et des ordonnances rendues en faveur des *établissements publics ecclésiastiques*, et les renvoyaient pour l'administration de leurs biens aux règles établies par le *décret du 6 novembre 1813*.

2º Le Gouvernement veut aujourd'hui faire prévaloir partout une *nouvelle forme de statuts*, adoptée à l'occasion de la réorganisation de la caisse du diocèse d'Angers mise en séquestre par décret du 13 juin 1883.

Les nouveaux statuts ne donnent à l'Évêque qu'un *rôle secondaire et subordonné*, et chaque demande de secours devient l'objet d'une *enquête* sur la réalité et la mesure des besoins, pour être ensuite jugée souverainement par un *conseil d'administration* dont plusieurs membres sont des laïques choisis par le ministre des cultes.

Tous les prêtres du diocèse ne sont pas admis aux secours. L'article 12 exclut ceux qui sont appliqués aux œuvres diocésaines privées de *capacité légale*, et, par conséquent, les professeurs des collèges ecclésiastiques, les aumôniers des communautés, dont l'établissement n'est pas autorisé. — *Cf. Durieu, Traité de l'administr. temp. des établiss. ecclés., n. 832.*

947. **VI. Correspondance en franchise.**

Tout ce qui regarde la correspondance en franchise a été réglé par l'ordonnance du 17 novembre 1844.

a) Les *curés de canton* peuvent correspondre en fran-

chise, et seulement par *lettre sous bande :* 1o avec leur Évêque ou avec le Vicaire capitulaire; 2o avec les desservants du canton, pour la transmission des mandements de l'évêché; 3o avec le préfet ou le sous-préfet de l'arrondissement; 4o avec le recteur et l'inspecteur d'Académie; 5o avec l'inspecteur primaire de l'arrondissement; 6o avec les maires de l'arrondissement.

b) Les *desservants* peuvent correspondre en franchise, et seulement par *lettre sous bande :* 1o avec leur Évêque et le Vicaire capitulaire; 2o avec le préfet et le sous-préfet de l'arrondissement; 3o avec le recteur et l'inspecteur d'Académie; 4o avec l'inspecteur primaire de l'arrondissement.

Les curés de canton et les desservants n'ont jamais la franchise pour les *lettres fermées.*

c) Les lettres non fermées, pour lesquelles les curés et les desservants ont la franchise, sont mises sous une seule bande ou sous deux bandes croisées ne prenant qu'un tiers de la largeur de la lettre, avec désignation de l'expéditeur suivie de sa signature.

Elles doivent porter l'*adresse de l'Évêque,* et non celle d'un vicaire général ou d'un secrétaire.

d) En cas d'absence ou de maladie du curé, le vicaire peut écrire et contresigner la lettre, en mettant sur la bande : *Pour M. le curé absent, ou empêché : le vicaire de....*

Il est d'usage que les prêtres qui n'ont pas la franchise pour correspondre avec l'Évêque, envoient et reçoivent leurs dépêches *administratives* sous le couvert du curé.

948. **VII. Presbytères.**

a) L'*article organique 72* stipule que les jardins des presbytères, et les presbytères non aliénés, seront rendus aux curés et desservants des succursales; qu'à défaut de presbytères, les conseils municipaux des communes sont autorisés à leur procurer un logement et un jardin.

Cette dépense était déclarée *obligatoire* dans le *décret du 30 nov. 1809, article 92*, où il est dit que « les communes doivent fournir au curé ou desservant un presbytère; à

défaut de presbytère et de logement, une indemnité pécuniaire ».

Mais *la loi municipale de 1884,* se conformant à la jurisprudence du conseil d'État, n'a déclaré obligatoire pour la commune l'indemnité de logement aux curés et aux desservants, que lorsque les fabriques ne pourront pourvoir elles-mêmes à cette indemnité. — *Art. 136,* § *11.*

b) Le logement du curé doit être *dans sa circonscription paroissiale,* s'il y a plusieurs paroisses dans la même ville.

Si la commune fournit les fonds nécessaires pour la construction d'un presbytère, le curé et la fabrique sont appelés à donner leur avis sur le choix de l'emplacement.

Il convient que le presbytère soit situé *à proximité de l'église ;* et la jurisprudence des ministères des cultes et de l'intérieur exige que le curé n'ait pas à souffrir de tel ou tel voisinage qui s'associerait mal à son caractère.

Les *contestations* entre les autorités locales sur le choix de l'emplacement à bâtir sont soumises à la décision de l'*Évêque* et du *préfet;* et, s'ils ne peuvent s'entendre, le *ministre des cultes* prononce définitivement.

c) Le curé a l'*entière jouissance du presbytère.*

1° Cependant, le presbytère étant affecté, avec ses dépendances, à l'usage *personnel* du curé ou desservant à raison de sa qualité, celui-ci ne peut ni le *louer,* ni en abandonner la jouissance à des tiers.

Cette règle souffre exception en ce qui concerne les presbytères des *succursales vacantes.* Les curés ou desservants des paroisses voisines, autorisés à biner dans ces succursales, ont la faculté de *louer,* à titre d'*indemnité* pour le double service qui leur est confié, les bâtiments dont il s'agit, quand ils en obtiennent la permission de l'autorité diocésaine. — *Ordonn. du 3 mars 1825, art. 2.* — *Cf. num. 943.*

2° De son côté, la commune, lors même que le presbytère lui appartient, ne peut en distraire aucune partie superflue, si ce n'est pour un *service public,* et après y avoir

été autorisée. — *Ordonn. du 3 mars 1825, art. 1. — Circul. minist. des 18 juin et 5 juillet 1856.*

Et cette distraction ne s'applique qu'à des *parties superflues* qu'il est facile d'*isoler* du logement, et jamais à des pièces placées soit au-dessus, soit au-dessous de ce logement. — *Lettre minist., 12 fév. 1866.*

Lorsque l'Évêque et le préfet sont d'accord, la distraction est prononcée par le *préfet.* — Mais si l'Évêque est opposé à la distraction, elle ne peut être prononcée que par *décret* rendu en conseil d'État. — *Décret du 25 mars 1852.*

d) Les *grosses réparations des presbytères* sont à la charge de la fabrique, et elles ne reviennent aux communes qu'après l'application préalable des revenus et ressources *disponibles* des fabriques. — *Décret du 30 déc. 1809, art. 37; — Loi municipale du 5 avril 1884, art. 136, § 12. — Cf. n. 1005.*

« Lors de la prise de possession de chaque curé ou desservant, il sera dressé, aux frais de la commune et à la diligence du maire, un *état de situation* du presbytère et de ses dépendances.

» Le curé ou desservant ne sera tenu que des simples *réparations locatives* et des dégradations survenues par sa faute.

» Le curé ou desservant sortant, ou ses héritiers ou ayants cause, seront tenus desdites réparations locatives et dégradations. — *Décret du 30 décembre 1809, art. 44.*

e) Le curé ne peut *modifier* d'une manière notable l'immeuble dont il jouit, sans l'*autorisation* de la fabrique ou de la commune.

Les *améliorations* qu'il aurait faites sans cette autorisation seraient *à sa charge;* et il ne peut réclamer aucune indemnité pour ces améliorations, ni imposer une partie de ses dépenses à son successeur ou à la fabrique. — *Cf. Code civil, art. 599.*

f) Le presbytère et le jardin y attenant, étant affectés à l'utilité générale, sont exempts de l'impôt foncier. — *Loi du 23 novembre 1798; — instr. minist., 28 sept. 1808; — arrêt du conseil d'État, 23 avril 1836.*

Les frais d'*assurance* contre l'incendie sont à la charge de la fabrique ou de la commune, selon que l'une ou l'autre est propriétaire du presbytère.

Le curé doit prendre à sa charge l'assurance de son mobilier.

g) Les professions de foi, circulaires et *affiches* électorales ne peuvent être placardées sur les presbytères, soit parce qu'ils participent au privilège des églises, en leur qualité d'édifices consacrés au culte, soit parce qu'ils constituent un domicile privé. — *Cf. n. 1283.*

949. **VIII. Jardins des presbytères.**

a) L'*article organique 72* autorise les communes à procurer un jardin aux curés et aux desservants. — Mais, ni le *décret du 30 novembre 1809*, ni les *lois municipales de 1837 et 1884* ne parlent du jardin à fournir par les communes au curé ou desservant.

b) Si les *communes* ou les *fabriques* consentent à s'imposer les frais de ce jardin, l'administration supérieure ne s'y oppose pas.

Une fois ce jardin mis à la disposition du curé, on ne peut le *supprimer* ni en *distraire une partie* sans prendre l'avis de l'Évêque, et sans un motif d'utilité publique, « par exemple, l'exécution d'un chemin vicinal; et encore, dans ce cas, il importe que l'administration départementale examine si le tracé du chemin ne pourrait pas être modifié sans grave inconvénient, et qu'alors elle opère cette modification ». — *Lettre minist., 1858.*

Un préfet, sans l'assentiment de l'Évêque, ne peut prendre une partie du jardin presbytéral pour l'emplacement d'une maison d'école, ni même pour l'élargissement d'une rue, s'il n'existe un plan d'alignement déjà approuvé par l'autorité. — *Décision du ministre de l'intérieur, déc. 1858.*

Enfin, on dédommage souvent le curé par l'agrandissement de la partie du jardin qui reste en sa jouissance, ou par la concession d'un nouveau jardin.

950. **IX. Biens des cures.** — Outre la *fabrique*, qui jouit de l'existence légale et est capable d'acquérir et de pos-

séder, la *cure* ou *succursale*, c'est-à-dire la série des curés successifs d'une même église, est un établissement ecclésiastique, également *reconnu par la loi*, également capable d'acquérir et de posséder.

Ses biens constituent la *mense curiale*, et l'administration en est régie par le décret du 6 novembre 1813.

a) Dans toutes les paroisses dont les curés ou desservants possèdent à ce titre des biens-fonds ou des rentes, la fabrique établie près de chaque paroisse est chargée de *veiller* à la conservation desdits biens. — *Décret du 6 novembre 1813, art. 1.*

La surveillance de la fabrique ne doit pas être étendue au delà des termes du décret. Les actes de cette surveillance sont *spécifiés* aux articles suivants.

b) Seront déposés dans une caisse ou armoire à trois clefs de la fabrique, tous papiers, titres et documents concernant ces biens. — *Ibid., art. 2.*

Seront aussi déposés dans cette caisse ou armoire les comptes, les registres, les sommiers et les inventaires, le tout ainsi qu'il est statué par l'art. 54 du règlement des fabriques. — *Ibid., art. 3.* — *Cf. n. 990.*

Nulle pièce ne pourra être retirée de ce dépôt que sur un avis motivé signé par le titulaire. — *Ibid., art. 4.*

Il sera procédé aux inventaires des titres, registres et papiers, à leur récolement et à la formation d'un registre sommier, conformément aux articles 55 et 56 du même règlement. — *Ibid., art. 5.* — *Cf. n. 991.*

c) Les titulaires exercent les *droits d'usufruit;* ils en supportent les *charges*, le tout ainsi qu'il est établi par le Code Napoléon, et conformément aux explications et modifications ci-après. — *Ibid., art. 6.*

Le procès-verbal de leur prise de possession, dressé par le juge de paix, portera la promesse, par eux souscrite, de jouir des biens en bons pères de famille, de les entretenir avec soin et de s'opposer à toute usurpation ou détérioration. — *Ibid., art. 7.*

d) Sont défendues aux titulaires et déclarées nulles toutes

aliénations, échanges, stipulations d'hypothèques, concessions de servitudes, et, en général, toutes dispositions opérant un *changement* dans la nature desdits biens, ou une diminution dans leurs produits, à moins que ces actes ne soient *autorisés* par le Gouvernement en la forme accoutumée. — *Ibid., art. 8. — Cf. n. 993.*

e) Les titulaires ne pourront faire des *baux* excédant dix-huit ans que par forme d'adjudication aux enchères, et après que l'utilité en aura été déclarée par deux experts nommés par le sous-préfet, qui visiteront les lieux et feront leur rapport. — *Ibid., art. 9; — et loi du 25 mai 1835.*

Les baux excédant neuf ans ne continuent à l'égard des *successeurs* des titulaires, que de la manière prescrite par l'article 1429 du Code civil : c'est-à-dire que le bail fait par le titulaire pour un temps *excédant neuf ans* ne serait obligatoire vis-à-vis de son successeur, que pour le temps qui resterait à courir de la période de neuf ans où l'on se trouve. — *Ibid., art. 9.*

f) Les titulaires ayant des *bois* dans leur dotation, en jouiront conformément à l'article 590 du Code Napoléon, si ce sont des bois taillis. Quant aux arbres *futaies* réunis en bois ou épars, ils devront se conformer à ce qui est ordonné pour les bois des communes. — *Ibid., art. 12.*

g) Les titulaires seront tenus de toutes les *réparations* des biens dont ils jouissent.

S'il s'agit de *grosses réparations*, et qu'il y ait dans la caisse à trois clefs des fonds provenant de la cure, ils y seront employés.

S'il n'y a point de fonds dans cette caisse, le titulaire sera tenu de les fournir jusqu'à concurrence du tiers du revenu foncier de la cure, indépendamment des autres réparations dont il est chargé. — *Ibid., art. 13.*

h) Les *poursuites* à fin de recouvrement des revenus seront faites par les titulaires, à leurs frais et risques.

Ils ne pourront néanmoins, soit *plaider* en demandant ou en défendant, soit même *se désister*, lorsqu'il s'agira des droits fonciers de la cure, sans l'*autorisation* du conseil de

préfecture, auquel sera envoyé l'avis du conseil de la fabrique. — *Ibid., art. 14.*

Les *frais du procès* seront à la charge des curés, de la même manière que les dépenses pour réparations. — *Ibid., art. 15.*

i) En cas de *décès* du titulaire d'une cure, le juge de paix sera tenu d'apposer les scellés d'office, sans rétribution pour lui et son greffier, ni autres frais, si ce n'est le seul remboursement du papier timbré. — *Ibid., art. 16.*

Les scellés seront *levés*, soit à la requête des héritiers, en présence du trésorier de la fabrique, soit à la requête du trésorier de la fabrique, en y appelant les héritiers. — *Ibid., art. 17.*

Il sera procédé par le juge de paix, en présence des héritiers et du trésorier, au *récolement* du précédent inventaire, contenant l'état de la partie du mobilier et des ustensiles dépendante de la cure, ainsi que des titres et papiers la concernant. — *Ibid., art. 18.*

Expédition de l'acte de récolement sera délivrée au trésorier par le juge de paix, avec la remise des titres et papiers dépendant de la cure. — *Ibid., art. 19.*

j) Il sera aussi fait, à chaque *mutation de titulaire*, par le trésorier de la fabrique, un *récolement* de l'inventaire des titres et de tous les instruments aratoires, de tous les ustensiles ou meubles d'attache, soit pour l'habitation, soit pour l'exploitation des biens. — *Ibid., art. 20.*

Le trésorier de la fabrique poursuivra les *héritiers*, pour qu'ils mettent les biens de la cure dans l'état de réparation où ils doivent les rendre. — *Ibid., art. 21.*

Dans le cas où le trésorier aurait négligé d'exercer ses poursuites à l'époque où le *nouveau titulaire* entrera en possession, celui-ci sera tenu d'agir lui-même contre les héritiers, ou de faire une sommation au trésorier de la fabrique de remplir, à cet égard, ses obligations. — *Ibid., art. 23.*

k) Les Archevêques et Évêques s'informeront dans le cours de leurs visites, non seulement de l'état de l'église et du presbytère, mais encore de celui des *biens de la cure*,

afin de rendre au besoin des ordonnances à l'effet de poursuivre, soit le précédent titulaire, soit le nouveau. — *Ibid., art. 23.*

1) Dans tous les cas de *vacance* d'une cure, les *revenus de l'année courante* appartiendront à l'ancien titulaire ou à ses héritiers jusqu'au jour de l'ouverture de la vacance, et au nouveau titulaire depuis le jour de sa nomination.

Les revenus qui auront eu cours du jour de l'ouverture de la vacance jusqu'au jour de la nomination, seront mis en réserve dans la caisse à trois clefs, pour subvenir aux grosses réparations qui surviendront dans les bâtiments appartenant à la dotation, conformément à l'article 13. — *Ibid., art. 24.*

Le produit des revenus pendant l'année de la vacance sera *constaté* par les comptes que rendront le trésorier pour le temps de la vacance, et le nouveau titulaire pour le reste de l'année. Ces comptes porteront ce qui aurait été reçu par le précédent titulaire pour la même année, sauf reprise contre sa succession, s'il y a lieu. — *Ibid., art. 25.*

Les *contestations* sur les comptes ou répartitions des revenus, dans les cas indiqués aux articles précédents, seront décidées par le conseil de préfecture. — *Ibid., art. 26.*

Pendant le temps que le curé ou desservant sera éloigné de la paroisse, le trésorier de la fabrique remplira, à l'égard des biens, les fonctions qui sont attribuées au titulaire par les articles 6 et 13 ci-dessus. — *Ibid., art. 28.*

951. **X. Charges du curé.**

a) Les fonctionnaires, les ecclésiastiques...., logés gratuitement dans les bâtiments appartenant à l'État, aux départements, aux arrondissements, aux communes ou aux hospices, sont imposables à la contribution *personnelle* et *mobilière*. — Leur cote mobilière est établie d'après la valeur locative des parties de ces bâtiments qui sont affectées à leur habitation *personnelle*.

Ils sont imposés nominativement pour les *portes et fenêtres* des parties de ces bâtiments servant à leur habitation personnelle. — *Loi du 21 avril 1832, art. 15 et 28.*

Si le curé n'est pas assujetti à l'impôt mobilier pour la totalité du presbytère, le *vicaire* est imposable en proportion de la partie du presbytère affectée à son habitation personnelle. — *Conseil d'État, 22 mai 1872.*

Dans certaines communes, les répartiteurs usent de la faculté que leur donne la loi du 21 avril 1832, art. 28, *en exemptant le curé et les vicaires* de la contribution mobilière.

b) D'après la loi du 21 mai 1836, art. 3, et les arrêts du conseil d'État du 1er juillet 1840 et du 30 déc. 1841, les curés sont imposables à la *prestation.*

On a objecté des motifs de convenance et l'incompatibilité des fonctions ecclésiastiques avec ce genre de travail. — Le conseil d'État n'a tenu aucun compte de ces réclamations, parce qu'on est libre de se libérer en argent.

Cependant les répartiteurs peuvent dispenser un curé ou un vicaire de la prestation; et ils usent de cette faculté dans un grand nombre de communes. — *Circul. du 15 février 1837.*

c) Tous les citoyens sans exception sont soumis au *logement des militaires;* les ecclésiastiques sont donc compris dans cette obligation.

ARTICULUS II.

DE MODO QUO PER OBLATIONES CASUALES PROVIDETUR CONGRUÆ SUSTENTATIONI PAROCHORUM.

Oblationes sunt bona mobilia quæ a fidelibus intuitu religionis offeruntur, occasione præsertim alicujus actus ministerii ecclesiastici, ut in usum vel *ecclesiæ* vel *ipsorum ministrorum* cedant.

952. **I. Antiquissimus est oblationum usus,** imo ab ipsa Apostolorum ætate repetendus.

Istæ oblationes initio *voluntariæ* erant, sed temporis cursu in *laudabiles consuetudines* abierunt; et a concilio Lateranensi IV sancitum est ut fideles oblationes præstent

quas præstare consueverunt, et recusantes etiam cogi ab Episcopo possint. — *Cap. 42, De simon.*

Non enim dantur tanquam *pretium* rerum sacrarum, sed tanquam præmium laboris, et tanquam alimenta quæ *jus divinum* Ecclesiæ ministris tribui voluit. — *Devoti, Instit. canon., lib. 2, tit. 17.*

953. **II. Oblationes igitur sunt vel spontaneæ, vel debitæ ex parte fidelium.**

a) Oblationes *spontaneæ* dicuntur quas fideles ultro faciunt, ex. gr. intra Missarum solemnia, vel quæ deponuntur in arcis nummariis, aut alio modo donantur, prout visum fuerit.

b) Oblationes *debentur* ex parte fidelium, ex. gr. occasione sacrificii Missæ quod sibi specialius applicari postulant, vel solemnitatis quam adhiberi volunt in benedictione nubentium; item pro suorum defunctorum exsequiis; vel etiam ut jus acquirant utendi sedilibus in ecclesia quando sacris officiis intersunt, etc.

954. **III. Episcopi officium est approbare atque statuere modum quo fieri debeant oblationes.**

Ipse enim invigilare debet divinis officiis, et sollicitudinem conditionis clericorum gerere. — Ipsi concilium Lateranense curam demandavit dignoscendi *laudabiles consuetudines* a *pravis exactionibus*. — Ipsum etiam commonuit synodus Tridentina, ut omnino prohibeat « cujusvis generis mercedum conditiones, pacta...., nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi quæ a simoniaca labe vel certe a *turpi quæstu* non longe absunt ».— *Sess. 22, De observ. et evit. in celebrat. Missæ.*

Unde, potestatem habet « imperandi pecuniæ collationes, decernendique *quo tempore* et *qua de causa* conferri oporteat ». — *Constit. Leonis XIII, Romanos Pontifices, 8 id. maii 1881. — Cf. n. 937.*

955. **IV. Ex oblationibus fieri solitis in ecclesia parochiali, aliæ cedunt** ipsi ecclesiæ, aliæ parocho, aliæ

cæteris presbyteris et clericis ecclesiæ adscriptis, ratione quidem habita *intentionis fidelium,* sed *consuetudinum* quoque, *statutorumque* localium.

Nam « *legis sese interponens auctoritas,* si largitionum tempora et causas præstituat, illud efficit quoque ne fideles semper *pro arbitrio* possint *modum* et *finem* designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas ut quod a legitima potestate *in bonum commune* præcipitur, certo destituatur effectu ».— *Constit. Leonis XIII, Romanos Pontifices. — Cf. resol. S. C. C. in Bellunen., 28 apr. 1888.* — Unde,

a) Quando redditus fabricæ parochialis non sufficiunt *honestæ sustentationi vicariorum,* Episcopus providere potest etiam ex oblationibus titulo parochiali adsignatis, ut, parte congrua reservata parocho, consulatur necessitatibus presbyterorum qui ipsi in ministerium adjunguntur.

Episcopus enim cogere potest rectores sibi *tot sacerdotes adjungere* quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum (*Trid., sess. 21, cap. 4, De ref.*).— Unde consequens est ut *illorum sustentationi consulat;* et, si redditus fabricæ aut subsidia præstita a Gubernio vel municipiis non sufficiant, unum superest : ut « competens assignetur portio *arbitrio Episcopi* ex fructibus ad ecclesiam.... *quomodocumque* pertinentibus », quemadmodum idem concilium statuit pro nova parœcia quæ ex prioris dismembratione formatur (*sess. 21, cap. 4*). — *Cf. cap. 6, ejusd. sess. ; — et constit. Innoc. XIII, Apostolici ministerii, 13 maii 1723.*

b) Episcopus, graves ob causas, partem aliquam deducere potest ex parochiarum singularum proventibus, ad subveniendum necessitatibus *cleri diœcesani.*

1° Ex *concilio Tridentino,* « in parochialibus ecclesiis quarum fructus adeo exigui sunt ut *debitis nequeant oneribus satisfacere,* curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem.... id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum adsignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut *qua commodiori ei videbitur ratione,* tantum

redigatur quod pro rectoris aut parochiæ necessitate decenter sufficiat ». — *Sess. 24, cap. 13, De ref.*

Porro, non sunt in statu præsenti *beneficia simplicia* quæ uniri possint parochiæ; non sunt *primitiæ* ac *decimæ* quas Episcopus adsignare valeat; præterea, ex hypothesi, collectæ in locis pauperibus non sufficiunt, nec unio parochiarum fieri potest; superest igitur ut, ad præscriptum Concilii, Episcopus « *qua commodiori ratione ei videbitur* » consulat necessitatibus parochiæ; porro, ratio commodior et persæpe sola efficax, est partitio oblationum de qua agitur. — *Cf. Icard., Prælect., num. 588.*

2º Accedit argumentum quod desumitur ex decisione Sacræ Cong. Ep. et Reg., *in Regien., 15 mart. 1889.*

Episcopi Regii ex remotissimis temporibus studuerunt ut œconomicæ conditiones quamplurimorum beneficiorum tolerabiliores fierent, redditibus usi aliarum ecclesiarum quæ divite censu honestarentur. Quamobrem, arrepta occasione concursus, prævioque episcopali decreto, pinguioribus imposuerunt *pensiones* parœciis, *ad vitam onerati* tantum.

Et Sacra Congregatio decreta episcopalia confirmanda esse censuit. — *Cf. Acta S. Sedis, vol. 21, pag. 550 et seq.*

c) Praxis apud nos invaluit reservandi *sextam partem* proventus *locationis sedium* omnium ecclesiarum parochialium in gratiam sacerdotum *infirmorum* seu ætate debilitatorum, quibus administratio diœcesana providet, juxta *decretum auctoritatis civilis, 1 aug. 1805.* — *Cf. num. 946.*

956. **V. In Gallia, sæcularis potestas** reliquit quidem ab Episcopo determinandum quænam oblationes exigi possint. — At simul decrevit ut ejusmodi statuta *suæ approbationi* subjicerentur, nec, nisi prius a Gubernio approbata, possent publicari et ad exsecutionem deduci.

Utrumque constat ex *articulo 69 Legis organicæ :* « Les Évêques rédigeront les projets de règlement relatifs aux oblations que les ministres du culte sont autorisés à recevoir pour l'administration des sacrements. Les projets de règlements rédigés par les Évêques ne pourront être *publiés*,

ni autrement *mis à exécution*, qu'après avoir été *approuvés* par le Gouvernement. »

a) Cum ad potestatem *ecclesiasticam*, nullatenus autem ad *sæcularem*, pertineat de hac materia pronuntiare, certum est statuta Episcopi, etiam antequam a Gubernio approbentur, et etiamsi a Gubernio rejicerentur, plenam vim habere.

b) De facto tamen, nisi accedat dicta Gubernii approbatio, *deerit sæcularis brachii auxilium* ad obtinendam solutionem earum oblationum quas Episcopus solvendas esse decrevit.

957. **VI. Eleemosyna pro Missæ celebratione**, aut est ex *fundationibus*, aut est *manualis*.

a) In *quantitate* hujus eleemosynæ determinanda, ratio habenda est *consuetudinis vigentis*, vel *legis synodalis*, quatenus adsit; sin minus, statuenda est *per Episcopum* stipendii summa, respectu habito ad locorum et temporum circumstantias. — *Cf. Bened. XIV, Instit. 56*, § *10*.

b) *Effectus hujus taxæ* est ut impediantur importunæ et immoderatæ eleemosynarum exactiones, cum ultra eam nemo quidquam exigere valeat; et simul honori sacerdotum prospiciatur. — Attamen stipendium pinguius *sponte oblatum* recipi potest.

958. **VII. Non licet sacerdotibus Missas celebrandas elargiri, retenta parte eleemosynæ pro iisdem Missis adsignatæ.**

a) Ab obligatione dandi totum stipendium, nulla parte sibi retenta, excipiuntur capellani, beneficiati et parochi, in iis Missis quas dicere tenentur ex *obligatione suorum beneficiorum*. — Nam excessus, non pro Missa conceditur, sed *ratione dignitatis et sustentationis*; eleemosynæ enim hujusmodi, pro parte, locum tenent *congruæ parochialis*. Ideoque parochi, si ob legitimas causas Missam fundatam vicariis suis persolvendam committant, possunt eam partem stipendii retinere quæ *taxam diœcesanam excedit*. — *S. C. C., in Trevirensi, 11 maii 1888.*

b) Parochi pro *Missis nuptialibus vel exsequialibus,* si eas aliis celebrandas committant, ordinariam tantummodo eleemosynam tradere possunt, retento pinguiori stipendio quod pro iisdem Missis specialiter fixum est, modo *ratione officii parochialis*, et propter officia parochiali beneficio inhærentia, elemosyna pinguior ut *jus stolæ* concedatur. — *S. C. C., in Treviren., 11 maii 1888.*

c) Idem locum habet, quando pinguior eleemosyna oblata est *intuitu personæ*, ob ejus dignitatem, paupertatem, propinquitatem, vel ob amicitiam, gratitudinem, etc. — *Cf. res. S. C. C., in Colonien., 25 jul. 1874.*

Verum hæc fidelium intentio non ita facile est præsumenda; sed, vel expressa esse debet, vel ex indiciis non æquivocis quæ *moralem certitudinem* pariant eruenda est.

Nec ullum est dubium quod si quid in Missis casualibus, vel fundatis, præcise tribuatur *pro extraordinario labore* vel itineris vel cantus, vel pro incommodo horæ, id *totum* ei sacerdoti tribuendum sit qui illum laborem expensasve itineris sustinet. — *De Missarum eleemosynis, cf. Tachy, Revue des sciences ecclés., an. 1883, 1884 et 1885.*

959. **VIII. De fundationibus earumque acceptatione et exoneratione,** specialis erit tractatio, ubi de rebus ecclesiæ temporalibus, *n. 1370 et seq.*

CAPUT VII.

DE ADMINISTRATIONE TEMPORALI PAROCHIARUM AD PRÆSCRIPTUM JURIS CANONICI.

Videlicet : De iis quæ præstanda sunt ab administratoribus bonorum temporalium ecclesiæ; — et specialim de alienatione bonorum ecclesiasticorum. — *Cf. n. 1357 et seq.*

ARTICULUS I.

DE OFFICIIS ADMINISTRATORUM.

960. **I. Quicumque ecclesiarum piorumque locorum curam atque administrationem suscipiunt, tenentur :**

a) *Inventarium* facere rerum, bonorum et reddituum, sive immobilium, sive mobilium, atque hujus inventarii unum exemplar Episcopo tradere in archivio episcopali asservandum, alterum propria manu subscriptum inter ecclesiæ libros retinere. — *Cf. bullam Sixti V, Provida, 29 apr. an. 1586.*

b) Alterum munus est omni cura industriaque providendi ut beneficia et loca quæcumque ecclesiastica nullum capiant detrimentum, sed *sarta tecta custodiantur*, eorumque conditio, quantum licet, *melior efficiatur*.

Quapropter ipsorum est curare ut ædificia, si reparatione indigeant, opportune reparentur, prædia vero si inculta fuerint excolantur, alienata vindicentur, possessa augeantur, periculo obnoxia defendantur, deperdita recuperentur, debitores demum ad solutionem compellantur.

Quod si *eorum culpa* aliquid ecclesiæ deperiisse comperiatur, aut deterius factum sit, damna quæcumque proprio beneficiati vel administratoris ære resarcienda sunt. — *Soglia, Instit. juris privati, § 111.*

c) Denique, pecunia ecclesiarum seu locorum piorum,

et redditus omnes, fideliter ab administratoribus *in eos usus impendi debent* quibus, ex pia fundatione vel fundatorum mente, sunt specialiter deputati. — *Cf. n. 1370.*

Clerici etiam fructus beneficiorum quæ possident suæ honestæ decentique sustentationi *superfluos* erogare in pauperes debent aliasque pias causas. — *Cf. n. 1409.*

961. **II. Jus administrandi quod habet parochus, remanet semper et in omnibus auctoritati Ordinarii subordinatum,** cum simul et magis uniuscujusque ecclesiæ bona *Episcopi curæ* commissa sint.

a) Ideo voluit concilium Tridentinum, ut « administratores tam ecclesiastici quam laici fabricæ cujusvis ecclesiæ...., et quorumcumque locorum piorum, singulis annis teneantur *reddere rationem* administrationis Ordinario. — *Sess. 22, cap. 9, De ref.*

b) Item liberum semper manet Episcopo *regulas* quas opportunas existimaverit in ejusmodi temporali administratione exercenda parocho præscribere; easque tenebitur *parochus* accurate *servare*, modo alias Apostolicis constitutionibus seu universalibus Ecclesiæ legibus non adversentur.

962. **III. Administratio bonorum ecclesiasticorum nullatenus subjacet jurisdictioni sæcularis potestatis,** « cum ecclesiæ ecclesiasticæque personæ ac res ipsarum, non solum jure humano, quin imo et divino, a sæcularium exactionibus sint *immunes* ». — *Cap. Quanquam, De censibus, in 6o.*

a) Attamen *laicis viris* committi temporalem parochiæ administrationem, dummodo ab ecclesiastica auctoritate *deputentur*, eidemque rationem reddere debeant, atque ab eadem revocari valeant, nequaquam sacris canonibus adversatur. — Id omnino supponit Tridentina synodus, *sess. 22, cap. 9, et sess. 24, cap. 3, De ref.*

b) Ideo *fabricæ* institutæ sunt ad juvandum parochos in administratione temporali parochiæ, atque efficacius providendum bonorum conservationi et regimini.

963. **IV. Dicto sensu intellecta Matriculariorum**

institutio, sicut sacris canonibus consona, ita et parochis valde utilis esse potest.

a) Cum enim apud populum facile spargi possint sinistræ *suspiciones* ne forte parochus ea quæ reficiendæ fabricæ et augendæ sacræ supellectili addicenda sunt, in *proprios usus* convertat, aliove modo ecclesiæ parochialis bona *dilapidet*, expedit nonnullos deputari cives qui simul cum parocho de his omnibus deliberent atque decernant.

b) Insuper, dum *ad solvendum adigendi sunt debitores*, nemo non videt quantum expediat id, non a parocho ipso immediate fieri, sed a deputato illo laicorum virorum cœtu. Imo, fuisse matricularios, seu laicos rei temporalis parochiarum administratores, hunc in scopum introductos, non immerito suspicatur *Thomassinus* : « Il se pourrait bien faire, *inquit*, que les laïques eussent été admis à l'administration de la fabrique, afin d'être chargés de cette exaction des deniers qui leur sied mieux qu'à des ecclésiastiques. » — *Discipline de l'Église, partie 3, chap. 36, n. 6. — Bouix, De parocho, pag. 618.*

964. **V. Verum, occasione hujus participationis in administratione fabricæ, benigne ab Ecclesia concessæ**, ansam arripuit laica potestas, non jam cum Ecclesiæ consensu, sed *motu proprio* in hoc negotium ecclesiasticum se ingerendi, et ad ejus gestionem statuta pro suo lubitu condendi.

Hujus invasionis apud nostras ecclesias monumentum insigne est *decretum 30 dec. 1809*, quo adhuc reguntur.

Quamvis regulæ istæ *minime ad jus canonicum pertineant*, utpote quæ emanarint a potestate civili absque ullo interventu potestatis ecclesiasticæ, non sunt tamen prætermittendæ ; secus enim, *propter temporum angustias*, in discrimen adducerentur res ecclesiasticæ, atque ipsi clerici periculum incurrerent ecclesias sibi commissas et seipsos destituendi necessariis ad sustentationem. — *Cf. num. 979 et seq., ubi de administr. ad præscriptum juris civilis.*

ARTICULUS II.

DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Nomen *alienationis* in hac causa *late* sumitur, et comprehendit non solum dominii translationem *venditione, donatione* aliove titulo factam, sed etiam *permutationem, emphyteusim, locationem ultra triennium, oppignerationes, hypothecas, impositionem novi gravaminis, servitutis, census,* denique pacta quælibet per quæ dominium ecclesiæ, sive *directum,* sive *utile,* vel *ususfructus,* in alium transfertur. — *Cf. extravag. Ambitiosæ, De rebus ecclesiæ non alienandis, inter communes.*

Vetustissima est canonum regula *de rebus Ecclesiæ non alienandis,* et spectat hoc interdictum omnes ecclesias, capitula, beneficia, mensas episcopales, monasteria et loca omnia pia et religiosa, quorum bona *ecclesiastica* dicuntur. — *Cf. decret. S. C. C., jussu Urbani VIII editum,* 7 *sept.* 1624; *et, in Pontificali Romano, formulam juramenti quod Episcopi in sua consecratione præstant.*

Hæc prohibitio illud tantummodo importat, ut non fiat alienatio nisi *juxta præscripta juris.* — Ideo quædam notanda sunt : de rebus ipsis quæ alienari non possunt ; — de causis et solemnitatibus legitimæ alienationis ; — de pœnis male alienantium ; — et de remediis contra illegitimam alienationem.

§ I. DE REBUS QUÆ ALIENARI NON POSSUNT.

965. **I. Alienari non possunt :**

a) *Bona immobilia.* — Nomine autem bonorum immobilium veniunt, non solum prædia, domus, agri et similia, sed etiam jura et actiones ad immobilia, census et redditus annui, nec non pecunia quæ est ad emptionem immobilium specialiter deputata. — *Cf. extrav. Ambitiosæ, De reb. ecclesiæ non alienandis ; — et clement. 1, ejusd. tit.*

b) *Mobilia pretiosa.* — Et hoc nomine veniunt bona quæ, propter *pretium, artem, raritatem,* aut *antiquitatem,* conferunt ecclesiæ specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, pictura famosa, copiosa bibliotheca et similia. — *Cf. cit. constit. Ambitiosæ, Pauli II.*

Sic etiam nomine mobilium pretiosorum veniunt *insignes*

reliquiæ Sanctorum, quia, etsi pretio non æquentur, sunt tamen supra omne pretium. — *Ferraris, v. Alienatio.*

966. **II. Verum alienari possunt absque ulla solemnitate :**

a) *Immobilia modici valoris;* nam, ex declaratione Sacræ Cong. Conc., 11 jan. 1596, constitutio Pauli II non derogavit dispositioni capitis *Terrulas, causæ 12, q. 2.*

b) Et *mobilia non pretiosa*, præsertim ea quæ servando servari non possunt.

Quæ autem immobilia *parvi pretii* dicenda sint, quæve mobilia *non pretiosa*, certis regulis non determinatur, sed *communi æstimatione* pensandum est, habita ratione temporum et locorum.

« Sane, ait *Fagnanus*, cum non sit jure definitum quæ *terrulæ* dicantur exigui valoris, id judicis arbitrio erit relinquendum; et judex arbitrium suum moderabitur, inspecta conditione ecclesiæ, an sit tenuis vel multum abundans, attenta qualitate temporis, locorum et rerum. » — *Fagnan., in cap. Nulli, De rebus eccles. non alien., n. 25. — Cf. Bouix, De Regularibus, tom. 2, pag. 290 et seq.*

967. **III. Utrum in prohibitione generali comprehendatur pecunia** quæ collocata est apud *bancarios*, vel in *societatibus commercialibus*, ita ut possit exinde retrahi venditione titulorum, si forte opus sit, et interea fructus annuos referat, disputant Auctores.

a) Arbitramur, cum D. Icard, pecuniam alienari posse si reipsa posita sit *ad tempus* in societate commerciali, non intentione eam servandi ut bonum stabile, sed *ad usum* quando postulaverit necessitas.

Omnes id certe admitterent si pecunia ad usum destinata collocata fuerit in arca donec accidat occasio ea utendi; cur non pari ratione admittatur si eadem pecunia fuerit ad tempus *utiliter reposita* in commercio, ut *fructus* interea producat?

b) E contra, si pecunia collocata sit tanquam *bonum stabile* referens census annuos, quemadmodum communius

fit in societatibus religiosis quæ præcipuam partem suorum bonorum ita disponunt, alienari non potest aliter quam *servatis regulis juris.*

Manifestum est enim res ecclesiarum et communitatum *notabiliter deteriorari posse* venditione hujusmodi actionum, censuum et jurium, si fiat *imprudenter;* quamobrem, sive attendatur ad *textum*, sive ad *finem* legis, concluditur titulos censuum, seu actionum, seu obligationum quæ, v. gr., comparatæ sunt in societatibus viarum ferrearum, ex iis esse quorum alienatio prohibetur in constitutione Pauli II. — *Prælect., num. 621.*

968. **IV. Quæstio hic movetur utrum repudiatio legati sit valida absque solemnitatibus juris** quæ necessariæ sunt ad alienationem bonorum ecclesiasticorum.

a) *Alii negant,* quia hujusmodi repudiatio mera non est in acquirendo negligentia, sed vera juris jam quæsiti et pretio æstimabilis abdicatio.

b) *Alii tenent valere repudiationem* etiam rei immobilis, quamvis *illicita* sit; et dicunt in repudiatione legati ecclesiæ facti non intervenire veram alienationem, quia legatum ante acceptationem nondum fuit ecclesiæ, et aliud esse alienare quod *suum* est, aliud vero non acquirere quod est *alienum.*

§ II. DE LEGITIMIS CAUSIS ET SOLEMNITATIBUS ALIENATIONIS.

969. **I. Justæ causæ alienationis sunt :**

a) *Evidens ecclesiæ necessitas,* cui aliter subveniri non potest : v. gr., si ecclesia ære alieno gravata sit, nec habeat unde aliter solvat. — *Clem. 1, De rebus eccl. non alien.*

Sed jus necessitatis stricte sumendum est, ideoque non licet longius progredi quam necessitas poscit.

b) *Manifesta ecclesiæ utilitas :* v. gr., si res aliqua ecclesiæ alienetur ad aliam meliorem emendam, vel in aliam meliorem commutetur. — *Cap. Ut super, 8, ejusd. tit.*

c) *Pietas :* v. gr., si bona ecclesiæ alienentur pro redimendis captivis, pro alendis pauperibus tempore magnæ

famis, pro augmentatione cœmeterii ad sepulturam fidelium, pro ædificatione ecclesiæ. —*Ferraris, v. Alienatio, art. 2, num. 3.*

d) *Incommoditas :* v. gr., si res alienanda multum distet, vel fructus non possint percipi nisi cum magno dispendio. — *Cap. Terrulas, caus. 12, q. 2.*

970. **II. Solemnitates in alienatione bonorum ecclesiasticorum servandæ sunt,** etiamsi evidens ecclesiæ vel loci pii necessitas aut utilitas alienationem suadeat. — Nempe,

a) Si qua bona ecclesiastica quæ ad ecclesias *cathedrales*, aut etiam ad *mensam episcopalem,* vel ad *Capitulum,* vel ad *monasterium,* vel ad ecclesiam *collegialem* pertineant, aliqua ratione alienanda sint, requiritur ut *Prælatus cum Capitulo* seu *collegio* rite congregato consultet utrum conducat alienatio necne ad ecclesiæ utilitatem; eoque in negotio ea sententia valet quæ Capitulo universo, vel saltem majori ejus parti placuerit. — *Cap. 8, De rebus ecclesiæ non alienandis.*

b) Ubi vero agitur de bonis ecclesiarum quæ *Capitulum aut collegium non habent,* alienatio ab ecclesiæ rectore, *solius Episcopi* inquisitione et decreto, celebratur, salvo semper *beneplacito Apostolico.* Nam,

c) Ex citata constit. Pauli II, in quavis alienatione rerum ad ecclesias vel loca pia pertinentium, requiritur consensus Sedis Apostolicæ, seu *beneplacitum Apostolicum.*

Attamen alienatio licita est *absque recursu* ad S. Pontificem, quando hic facile adiri et consuli nequit, vel ubi constet alienationem esse *necessariam* et *in mora periculum est,* veluti pro alimonia pauperum, urgente fame vel alia necessitate.

Potest S. Pontifex, consensum suum præbens, in reliquis omnibus juris solemnitatibus *dispensare.* Habet enim *supremam* bonorum omnium eccclesiasticorum administrationem, et juris solemnitatibus ligari non potest.

Imo, *probabilis sententia* tenet beneplacitum Apostolicum *supplere* omnes alias juris antiqui solemnitates, et

clausulam « *vocatis vocandis* », quæ habetur in rescriptis Apostolicis, intelligendam esse de iis tantum qui *interesse* haberent.

§ III. DE PŒNIS MALE ALIENANTIUM.

971. **I. Alienatio prorsus invalida et nullius roboris est,** ideoque nihil juris in accipientem transit, si non *ex justa causa*, et *posthabitis solemnitatibus* jure canonico præscriptis, res ecclesiasticæ alienatæ sunt.

Quamvis vero *ecclesia* hujusmodi contractibus non obligetur, et possit pro libitu recedere, is tamen *qui cum ipsa contrahit*, si Superior talem contractum ratum habere velit, a contractu resilire non potest, quia, « cum contractus quoad ipsum contrahentem sit perfectus, et non quoad ecclesiam, quæ eget beneplacito (idem dicito de aliis solemnitatibus), nequit contrahens recedere, sed *sola ecclesia*, quæ nequit habere contra se contractum non perfectum». — *Card. Petra apud Soglia, Instit. juris priv.*, § *114*. — *Cf. cap. 3, De his quæ fiunt a Prælat. sine consensu Capit.*

972. **II. Excommunicationem latæ sententiæ, nemini tamen reservatam,** incurrunt : « Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam extravagantis *Ambitiosæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis* ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 4, num. 3.*

a) Controvertitur utrum *Episcopi* et *Abbates* huic pœnæ subjaceant.

Verum nihil est, ut videtur, in constitutione Pauli II, quod huic exceptioni faveat.

b) Non incurritur excommunicatio nisi alienatio *perfecta fuerit ultro citroque*; proinde non incurretur, re nondum tradita; imo, etiamsi tradita fuerit, vendita tamen sub conditione suspensiva.

Locationes quoque *ultra triennium* et culpa et censura carebunt : si vel factæ fuerint ea lege ut, finito *unoquoque triennio*, liceat locatori a locatione discedere; vel factæ sint

a *fructuariis*, v. gr. beneficiatis, seu capellanis, quippe, resoluto jure eorum, intercidunt. — *Comm. Reat.*

973. **III. Olim ingressus ecclesiæ penitus interdictus erat Episcopis et Abbatibus** qui bona ecclesiastica alienabant contra tenorem constitutionis *Ambitiosæ.*

Et, quando per *sex menses* sub interdicto hujusmodi animo perseverabant indurato, hisce elapsis, a regimine et administratione suæ ecclesiæ vel monasterii, in spiritualibus et temporalibus, erant *ipso facto* suspensi. — *Ibid.*

De hoc interdicto silet constitutio *Apostolicæ Sedis*, ideoque amplius non vigere dicendum est.

a) *Inferiores* vero *Prælati*, et *alii rectores ecclesiarum*, erant ipso facto privati beneficiis quorum bona male alienaverant. — *Extravag. Ambitiosæ.*

Utrum *hodie* vigeat privatio, utpote quæ non *censura* est, disputant Auctores.

b) Insuper *Regulares* incurrunt pœnam *privationis* omnium officiorum, vocisque activæ et passivæ, nec non perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda. — *Decret. S. C. C. jussu Urbani VIII editum, 7 sept. 1624.*

§ IV. De remediis contra illegitimam alienationem.

974. **I. Bona ecclesiastica male alienata revocari possunt et debent**

a) Ab ipso *rectore* seu *Prælato* qui alienavit, nec non a *successore* Prælati vel clerici alienantis. — *Cap. 6, De rebus eccles. non alien.; — cap. 2, De precariis.*

b) Negligente rectore vel Prælato, agere possunt et debent, ad revocandam alienationem, clerici *omnes addicti servitio ecclesiæ* cujus bona alienata sunt. — *Cap. 6, De rebus eccl. non alienandis.*

975. **II. Ecclesia habet duplicem actionem**, alteram *personalem* adversus Prælatum vel alium administratorem beneficii et ejus hæredes, ut servetur indemnis; alteram *realem* adversus possessorem rei male alienatæ, ut res

ipsa restituatur cum omnibus suis fructibus et accessionibus. — *Can. Minorum, caus. 12, q. 2; — cap. 6, De rebus eccl. non alienandis.*

§ V. UTRUM VIGEAT IN GALLIA PAULINA CONSTITUTIO DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS ?

976. **I. Bulla Pauli II in quibusdam locis servata non est.** — *Cf. Reiffenstuel, in tit. De rebus eccles. non alienandis, num. 32.*

a) Episcopi *Galliæ* ante Concordatum, ait D. Icard, exquirebant assensum S. Pontificis pro alienatione bonorum *sui tituli*, nisi essent modici valoris. — At, juxta pervetustam et immemorabilem consuetudinem, concedebant, non habito recursu ad S. Sedem, alienationem fieri bonorum quæ pertinebant ad *ecclesias inferiores*, vel ad *confraternitates* aliave instituta ecclesiastica suæ jurisdictionis. — Si quandoque in rebus majoris momenti postulabant beneplacitum Apostolicum, id agebant ad pleniorem *confirmationem* alienationis, non ad contractus validitatem.

b) Eumdem morem retinuere Episcopi *a tempore Concordati* ad recentiora tempora, eo quod in suis regionibus, a tempore immemorabili, servata sit consuetudo quæ versatur circa rem natura sua *præscriptibilem*, et in favorem ejusdem consuetudinis militet ratio gravis, ob *varia incommoda* quæ persæpe inducit necessitas adeundi Sanctam Sedem e regionibus etiam longe dissitis, in negotiorum genere quæ expetunt, data opportuna occasione, celerem conclusionem. — *Prælect., num. 622.*

977. **II.** Attamen non deerant Doctores qui cum S. Congr. Conc. tenerent « **non usum dictæ constitutionis allegabilem non esse,** et absque beneplacito alienationes fieri non licere ». — *S. C. C., in Ulisdaviensi, 1 jul. 1647. — Cf. Bened. XIV, De syn., lib. 12, cap. 8.*

Hodie dubitationi locus esse non potest, cum Pius IX legem innovaverit in cit. constit. *Apostolicæ Sedis*, et con-

suetudines in contrarium quaslibet, etiam immemorabiles, ibidem *abrogaverit*.

Ipsa Sacra Congregatio S. Officii, *die 22 dec. 1880*, declaravit hanc clausulam derogatoriam, quæ habetur in fine novæ constitutionis apposita, extendi etiam debere « ad *consuetudines particulares* legi de beneplacito Apostolico latæ contrarias, quamvis *immemorabiles* ».

978. **III. Unde, si quæ incommoda metuantur ex necessitate recurrendi singulis vicibus ad Sedem Apostolicam,** tutius erit ab eadem Apostolica Sede *indultum* impetrare, quo facultas habeatur bona ecclesiarum alienandi, locandi ultra triennium, etc.

Cæterum, præterquam quod nefas est asserere Ecclesiam legem universalem promulgasse quæ nonnisi in quibusdam Italiæ diœcesibus observari potest, *non tanti facienda sunt incommoda* quæ dicuntur imminere.

Ad rem *D. Téphany :* « Je répondrai à cette objection que les retards subis par les affaires dans les Congrégations Romaines ne sont pas aussi longs qu'on se plaît à le dire communément. Nous pouvons parler ici en connaissance de cause, puisque pendant plus de dix-huit ans nous l'avons expérimenté. Les suppliques adressées au Souverain Pontife, pour les dispenses matrimoniales et les diverses autres causes, restaient rarement plus de six semaines sans réponse.... Mais, à supposer que l'on mît à Rome plusieurs mois avant d'exaucer les suppliques, nous ne serions pas encore en droit de nous plaindre, si nous nous taisions sur les longs retards que subissent en France les affaires de nos fabriques dans les bureaux du ministère des cultes ; or, il est constant que la moindre affaire intéressant ces établissements y reste le triple du temps qu'elle séjourne à Rome.

» D'un autre côté, toute aliénation de ce genre doit être soumise à l'autorisation du Gouvernement. Or, nous l'avons dit, il faut attendre au moins six mois avant de recevoir cette autorisation. Pourquoi ne pas demander entre temps l'assentiment du Souverain Pontife, qui arrivera certainement le premier. » — *Comment. de la constit. Apostolicæ Sedis, chap. 6, art. 3.*

CAPUT VIII.

DE ADMINISTRATIONE TEMPORALI PARŒCIARUM AD PRÆSCRIPTUM JURIS CIVILIS.

Hanc partem, pro tractatus indole, gallico sermone absolvemus.

Lorsque le Concordat de 1801 eut relevé le culte catholique dans toute l'étendue du territoire français, la loi du 18 germinal an X (*8 avril 1802*), *organique* du Concordat, décréta, par son article 76, le *rétablissement des fabriques*, pour veiller à l'entretien et à la conservation des temples, ainsi qu'à l'administration des aumônes.

Invités par le Gouvernement à faire des règlements pour leurs diocèses respectifs, les Évêques rédigèrent des projets qui furent successivement approuvés.

Peu après, le Gouvernement, par un arrêté du *7 thermidor an XI*, rendit aux fabriques les *immeubles et les rentes dont l'État était encore en possession*, et en confia l'administration à trois marguilliers nommés par le préfet sur une liste double présentée par le maire et par le curé ou desservant. — L'exécution de cet arrêté amena dans beaucoup d'églises l'existence de *deux fabriques* ayant des attributions distinctes.

La *division* ne tarda pas à éclater entre ces deux corps qui, étant constamment en contact, furent entraînés par la force des choses à empiéter sur leurs attributions respectives. Le Gouvernement sentit le besoin d'opérer une fusion et d'organiser les fabriques d'une manière complète et uniforme. — C'est ce qui donna naissance au *décret du 30 décembre 1809*.

Le Gouvernement, en substituant aux règlements diocésains des Évêques un règlement général émanant de sa seule autorité, *empiétait évidemment sur les droits de l'Église*.

D'ailleurs, quoique ce décret contienne quelques dispositions fort sages, empruntées à d'anciens règlements ecclésiastiques, plusieurs de ses articles sont en eux-mêmes *condamnables*, parce qu'ils accordent à l'autorité civile et aux membres de la fabrique une trop large part dans l'administration paroissiale.

Le décret de 1809 comprend *113 articles*, et se divise en *5 chapitres*. Le premier chapitre a pour objet le personnel administratif des fabriques; le second, les revenus, les charges et le budget de la fabrique; le troisième, la régie des biens et des comptes; le quatrième, les charges des communes relativement au culte; et le cinquième, les églises cathédrales, les maisons épiscopales et les séminaires. — De nombreuses modifications y ont été apportées par des *règlements postérieurs*.

Sur toutes ces questions d'administration temporelle on peut consulter les ouvrages spéciaux de *Monseigneur Affre*, de *MM. Téphany*, *Sabathier*,

Campion, de Champeaux, Ravelet, Bost, Durieu, etc., et le *Journal des conseillers de fabrique.*

ARTICULUS I.

ORGANISATION DE LA FABRIQUE.

Les fabriques doivent être établies dans toutes les églises ayant le titre de cure, succursale ou chapelle vicariale. — *Art. 3; — et ordonn. du 12 janv. 1825, art. 1.*

La *chapelle vicariale* est une sorte de paroisse, qui ne diffère de la succursale que par la dénomination et le traitement du chapelain. — Elle est apte à recevoir des legs et des donations.

Elle se distingue donc de la *chapelle de secours*, qui dépend de l'église paroissiale à laquelle elle vient en aide pour le bien spirituel des habitants trop éloignés du chef-lieu de la paroisse, et qui n'a pas d'existence légale distincte de celle de la paroisse.

La chapelle de secours doit être *autorisée par le Gouvernement*, et administrée au temporel par la *fabrique de la paroisse* de laquelle elle relève, sans toutefois que ni la fabrique ni la commune soient obligées légalement de suppléer à l'insuffisance de ses ressources. — *Cons. d'État, 5 janv. 1869.*

L'*annexe* est également une chapelle située dans la circonscription d'une cure ou d'une succursale, et où la célébration du culte est autorisée par l'Évêque, sur la demande de souscripteurs particuliers qui s'obligent à en supporter les frais. — *Cf. décret du 30 sept. 1807.* — L'*annexe* n'a pas de fabrique; elle est administrée par celle de l'église paroissiale dans la circonscription de laquelle elle se trouve.

Chaque fabrique est *composée* d'un *conseil* et d'un *bureau des marguilliers.* — *Art. 2.*

§ I. DU CONSEIL.

979. I. Composition du conseil de fabrique.

a) Dans les paroisses où la population est de 5,000 âmes ou au-dessus, le conseil sera composé de *neuf* conseillers de fabrique. — Dans toutes les autres paroisses, il devra l'être de *cinq*.

Ils seront pris parmi les *notables*. Ils devront être *catholiques* et *domiciliés* dans la paroisse. — *Art. 3.*

Les *serviteurs de l'église* ne peuvent être élus, quelle que soit d'ailleurs leur situation sociale. — *Lettres minist., 30 août 1848, 2 juin 1864.*

Le décret est muet sur les conditions d'*âge* à exiger des fabriciens; la majorité de 21 ans est donc suffisante. — *Lettre du ministre des cultes, 28 mars 1890.*

Aucune *loi* n'empêche le vicaire de la paroisse d'être nommé membre ordinaire du conseil de fabrique. — Cependant, d'après la *jurisprudence* de l'administration des cultes, les vicaires ne peuvent pas être élus fabriciens. — *Lettre minist., 29 août 1839.*

b) De plus seront de droit membres du conseil :

1º Le *curé* ou *desservant*, qui aura la première place, et pourra s'y faire remplacer par un de ses vicaires.

2º Le *maire* de la commune, qui pourra s'y faire remplacer par un de ses adjoints. — Si le maire n'est pas *catholique*, il devra se substituer un adjoint qui le soit, ou, à défaut, un membre du conseil municipal catholique.

Le maire sera placé à la gauche, et le curé ou desservant à la droite du président.

Dans les villes où il y aura *plusieurs paroisses ou succursales*, le maire sera de droit membre du conseil de *chaque fabrique*. — *Art. 4 et 5.*

980. **II. Élection des membres et renouvellement du conseil.**

a) Dans les paroisses ou succursales dans lesquelles le conseil de fabrique sera composé de *neuf membres*, non compris les membres de droit, *cinq* des conseillers seront pour la première fois à la *nomination de l'Évêque*, et *quatre* à celle du *préfet*.

Dans celles où il ne sera composé que de *cinq* membres, l'*Évêque* en nommera *trois*, et le *préfet*, *deux*. — *Art. 6.*

b) Le conseil de fabrique se renouvelle *partiellement tous les trois ans*, savoir : à l'expiration des trois premières années dans les paroisses où il est composé de *neuf membres* sans y comprendre les membres de droit, par la sortie de cinq membres, qui pour la première fois seront désignés par le sort, et des quatre plus anciens après les six ans révolus.

Pour les fabriques dont le conseil est composé de *cinq*

membres, par la sortie de trois membres désignés par la voie du sort après les trois premières années, et des deux autres après les six ans révolus.

Dans la suite, ce sont toujours les plus anciens en exercice qui devront sortir. — *Art. 7.*

Dans le cas de vacance par *mort* ou *démission*, l'élection en remplacement devra être faite dans la première séance ordinaire du conseil de fabrique qui suivra la vacance. — Les nouveaux fabriciens ne seront élus que pour *le temps d'exercice qui resterait* à ceux qu'ils sont destinés à remplacer. — *Ordonn. du 12 janv. 1825, art. 3.*

c) Les *élections ordinaires* sont fixées au dimanche de *Quasimodo* par l'ordonnance du 12 janvier 1825.

Les conseillers qui devront remplacer les membres sortants seront *élus par les membres restants*. Les membres sortants pourront être réélus. — *Décret de 1809, art. 8.*

Si, un mois après l'époque fixée, le conseil de fabrique n'a pas procédé aux élections, l'*Évêque nommera* lui-même. — *Ord. de 1825, art. 4. — Conseil d'État, 17 mai 1878.*

d) Le conseil nommera au scrutin son *secrétaire* et son *président*. — Ils seront *renouvelés* le dimanche de *Quasimodo* de chaque année, et pourront être *réélus*. — *Art. 9; — et ordonn. de 1825, art. 2.*

Le *curé* ou *recteur*, et le *maire*, ne peuvent être présidents du conseil de fabrique. — *Conseil d'État, 7 fév. 1867.* — L'art. 4 du décret de 1809 a été interprété dans ce sens par tous les ministres qui se sont succédé dans le département des cultes.

e) Si les élections ont été *irrégulières*, le ministre des cultes seul peut en prononcer la nullité. — *Conseil d'État, 15 janv. 1845.*

En attendant cette décision, les actes d'administration posés par la fabrique seraient *valables*, parce que les administrateurs investis d'un mandat putatif peuvent exercer leurs fonctions aussi longtemps que le vice de leur mandat n'a pas été officiellement constaté. — *Conseil d'État, 18 janv. 1873.*

f) Il est possible *qu'une fabrique entière soit soumise au renouvellement,* par exemple si, pour une cause grave, elle a été révoquée par le ministre des cultes sur la demande de l'Évêque et l'avis du préfet (*ordonn. de 1825, art. 5*) ; ou si l'on a négligé pendant plus de six ans le renouvellement triennal; ou, enfin, si tous les membres électifs étaient démissionnaires.

Dans ce cas, il doit être procédé à une organisation nouvelle concurremment par l'Évêque et le préfet, de la manière prescrite par l'article 6 du décret de 1809. — *Ordonn. de 1825, art. 5.*

g) Les fabriques des *cathédrales* sont régies par les règlements épiscopaux approuvés par le Gouvernement. — *Art. 104.*

Ces règlements contiennent toujours la distinction du *conseil* et du *bureau.* L'Évêque a seul la *nomination* des membres tant du conseil que du bureau, de leurs présidents et secrétaires, et du trésorier.

981. **III. Séances du conseil.**

a) Le conseil s'assemblera : le dimanche de *Quasimodo,* et le premier dimanche du mois de *juillet,* d'*octobre* et de *janvier,* à l'issue de la grand'messe ou des vêpres, dans l'église, dans un lieu attenant à l'église, ou dans le presbytère. — *Art. 10; — et ordonn. du 12 janvier 1825, art. 2.*

L'*avertissement* de chacune de ces séances sera publié le dimanche précédent au prône de la grand'messe. Tel est le seul mode de convocation prévu par la loi. Mais l'invitation sera généralement plus efficace si elle se fait à domicile, soit de vive voix, soit par écrit.

Le conseil peut *proroger une séance légale* au lendemain ou au dimanche suivant, dans le cas où il ne pourrait terminer l'examen des questions à l'ordre du jour, car la loi ne défend pas cette prorogation, et laisse au conseil la liberté, commune à tous les corps délibérants, de rester réuni pendant tout le temps nécessaire à l'expédition des affaires.

b) Le conseil pourra de plus s'assembler *extraordinairement* sur l'autorisation de l'Évêque ou du préfet, lorsque l'urgence des affaires ou de quelques dépenses imprévues l'exigera. — *Art. 10.*

L'Évêque et le préfet devront *réciproquement se prévenir* des autorisations d'assemblées extraordinaires qu'ils accorderaient aux conseils de fabrique, et des objets qui devront être traités dans ces assemblées extraordinaires. — *Ordonn. de 1825, art. 6.*

c) Dans les *séances ordinaires* on peut délibérer sur tous les objets qui sont de la compétence des fabriques. — Dans les *séances extraordinaires* on ne peut s'occuper que des affaires qui ont motivé la convocation, et cela sous peine de nullité. — *Décision minist. du 4 sept. 1849.*

d) Pour délibérer validement, il faut *plus de la moitié* des membres du conseil. — *Art. 9.*

Si, à l'occasion des élections triennales, de démission ou de décès, le conseil de fabrique n'est composé que d'*une partie* des membres qui doivent concourir à sa formation suivant les art. 3 et 4 du décret, il est établi par la jurisprudence que c'est d'après le nombre *effectif*, et non d'après le nombre *légal* des fabriciens que l'on doit calculer celui des membres dont la présence est nécessaire aux réunions pour les rendre régulières. — *Décis. minist., 18 août 1841.*

Tous les membres présents *signent* la délibération, qui sera arrêtée à la pluralité des voix, le président ayant, en cas de partage, voix prépondérante. — *Art. 9.*

e) L'article 9, qui donne au *président* du conseil de fabrique *voix prépondérante* en cas de partage, ne s'applique qu'aux délibérations du conseil pour la gestion des intérêts de la paroisse. Cette disposition n'est pas applicable aux *élections* que le conseil est appelé à faire pour remplacer les membres sortants ou décédés. — *Conseil d'État, arrêt du 11 août 1859.*

Lors donc que, dans une élection de conseillers de fabrique, les voix sont partagées au premier tour de scrutin, il y a lieu de procéder à un second tour; et, si le second vote

amène le même partage des voix, *le plus âgé des candidats* doit obtenir la préférence. — *Com. de l'int., 9 juill. 1839.*

982. **IV. Fonctions du conseil.**

a) Aussitôt que le conseil aura été formé, il choisira au scrutin, parmi ses membres, ceux qui comme *marguilliers* entreront dans la composition du bureau.

Et, au dimanche de *Quasimodo* de chaque année, il fera, également au scrutin, élection de celui de ses membres qui remplacera le marguillier sortant. — *Art. 11 et 15; — ordonn. de 1825, art. 2.*

b) Seront soumis à la *délibération du conseil :*

1o Le *budget* de la fabrique.

2o Le *compte annuel* du trésorier.

3o L'*emploi* des fonds excédant les dépenses, du montant des legs et des fondations ; et le *remploi* des capitaux remboursés.

4o Toutes les *dépenses extraordinaires* au delà de 50 francs dans les paroisses au-dessous de 1,000 âmes, et de 100 francs dans les paroisses d'une plus grande importance.

5o Les *procès* à entreprendre ou à soutenir, les *baux* emphytéotiques ou à longues années, les *aliénations* ou *échanges*, et généralement tous les objets excédant les bornes de l'administration ordinaire des biens des mineurs. — *Art. 12.*

§ II. Du bureau des marguilliers.

983. **I. Composition du bureau.**

a) Le bureau des marguilliers se composera :

1o Du *curé* ou *desservant* de la paroisse ou succursale, qui en sera membre perpétuel et de droit.

2o De *trois membres du conseil* de fabrique.

Le curé ou desservant aura la première place, et pourra se faire remplacer par un de ses vicaires.

Ne pourront être en même temps membres du bureau : les *parents* ou *alliés*, jusques et y compris le degré d'oncle et de neveu. — *Art. 13 et 14.*

b) Tous les ans, à la séance de *Quasimodo*, l'un des marguilliers sera *remplacé*.

Des trois marguilliers qui seront pour la première fois nommés par le conseil, deux sortiront successivement par la voie du sort à la fin de la première et de la seconde année, et le troisième sortira de droit, la troisième année révolue.

Dans la suite, ce seront toujours les marguilliers les plus *anciens* en exercice qui devront sortir. — *Art. 15 et seq.*

Si le conseil négligeait cette nomination, un mois après elle serait dévolue à l'Évêque. — *Art. 18; — et ordonn. du 12 janvier 1825, art. 4.*

Le marguillier sortant peut être immédiatement *réélu*.

c) Les membres du bureau nommeront entre eux un *président*, un *secrétaire* et un *trésorier*. — *Art. 19.*

1° Le *curé* ou *desservant* ne peut être nommé *président* du bureau des marguilliers, ni *trésorier* de la fabrique; mais rien ne s'oppose à ce qu'il soit élu *secrétaire*. — *Décisions minist. des 15 mars 1846, 26 octobre 1848, et 23 décembre 1871.*

2° D'après la jurisprudence ministérielle, le *maire* ne peut être nommé *marguillier;* et, par suite, il ne peut être appelé aux fonctions de *président*, de *secrétaire* ou de *trésorier*, puisque les membres du bureau seuls doivent être choisis pour ces diverses fonctions. — *Lettre du min. des cultes du 25 décembre 1833.*

3° *Un fabricien* ne saurait être *en même temps* président et secrétaire du bureau, pas plus que président du bureau et trésorier.

Mais le même fabricien peut être secrétaire du conseil et président du bureau, secrétaire du conseil et secrétaire du bureau, président du conseil et président ou secrétaire du bureau. — *Lettre minist., 8 juillet 1861.*

d) Dans les paroisses où il y avait ordinairement des *marguilliers d'honneur*, il pourra en être choisi *deux* par le conseil, parmi les principaux fonctionnaires publics domiciliés dans la paroisse.

Ces marguilliers, et tous les membres du conseil, auront une place distinguée dans l'église ; ce sera le *banc de l'œuvre*. — Le curé ou desservant aura dans ce banc la première place, toutes les fois qu'il s'y trouvera pendant la prédication. — *Art. 21.*

984. **II. Séances du bureau des marguilliers.**

a) Une *réunion ordinaire* du bureau est autorisée pour *chaque mois ;* elle doit se faire au lieu indiqué pour la tenue des séances du conseil. — *Art. 22.*

Dans les *cas extraordinaires* le bureau est convoqué, soit d'*office* par le président, soit *sur la demande du curé ou desservant*, sans qu'il soit besoin de recourir à l'Évêque ou au préfet. — *Art. 23.*

b) Les membres du bureau ne peuvent *délibérer* s'ils ne sont au nombre de *trois*. — En cas de partage, le président aura *voix prépondérante*. — Toutes les délibérations seront signées par les membres présents. — *Art. 20.*

985. **III. Fonctions du bureau.**

a) Le bureau des marguilliers dressera le *budget* de la fabrique, et préparera les affaires qui seront portées au conseil. — Il sera chargé de l'*exécution* des délibérations du conseil, et de l'*administration journalière* du temporel de la paroisse. — *Art. 24.*

b) Les marguilliers sont chargés de veiller à ce que toutes *fondations* soient fidèlement acquittées et exécutées suivant l'intention des fondateurs, sans que les sommes puissent être employées à d'autres charges.

Un extrait du sommier des titres contenant les fondations qui doivent être desservies pendant le cours du trimestre, sera *affiché dans la sacristie*, au commencement de chaque trimestre, avec les noms du fondateur et de l'ecclésiastique qui acquittera chaque fondation.

Il sera *rendu compte*, à la fin de chaque trimestre, par le curé ou desservant, au bureau des marguilliers, des fondations acquittées pendant le cours du trimestre. — *Art. 26.*

c) Ils fourniront tous les objets de consommation *néces-*

saires au culte, et pourvoiront aux réparations et achats d'ornements, meubles et ustensiles de l'église et de la sacristie. — *Art. 27.*

Tous les marchés seront arrêtés par le bureau des marguilliers, et signés par le président, ainsi que les mandats. — *Art. 28.*

d) L'article 33 accordait au bureau la faculté de nommer et de révoquer *les serviteurs de l'église,* sur la proposition du curé ou desservant.

Mais l'article 7 de la loi de 1825 autorise les curés dans les paroisses *rurales* à faire *seuls* cette nomination.

e) Le *trésorier* est chargé de procurer la rentrée de toutes les sommes dues à la fabrique, soit comme faisant partie de son revenu annuel, soit à tout autre titre.

De même, toute la *dépense de l'église* et les frais de sacristie seront faits par le trésorier.

En conséquence, il ne sera rien fourni par aucun marchand ou artisan sans un *mandat* du trésorier, au pied duquel le sacristain, ou toute autre personne apte à recevoir la livraison, certifiera que le contenu dudit mandat a été rempli. — *Art. 25 et 35.*

f) Le trésorier sera tenu de présenter, *tous les trois mois,* au bureau des marguilliers, un *bordereau* signé de lui, et certifié véritable, de la situation active et passive de la fabrique pendant les trois mois précédents. Ces bordereaux seront *signés* de ceux qui auront assisté à l'assemblée, et déposés dans la caisse de la fabrique, pour être représentés lors de la reddition du compte annuel. — *Art. 34.*

g) Le montant des fonds perçus pour le compte de la fabrique, à quelque titre que ce soit, sera, au fur et à mesure de la rentrée, *inscrit,* avec la date du jour et du mois, sur un *registre* coté et parafé, qui demeurera entre les mains du trésorier. — *Art. 74.*

ARTICULUS II.

DES REVENUS ET DES CHARGES DE LA FABRIQUE.

986. **I. Les revenus de la fabrique se forment :**

a) Du produit des *biens et rentes restitués* aux fabriques en vertu de l'*arrêté du 7 thermidor an XI*.

b) Du produit des *biens*, *rentes* et *fondations* qu'elles ont été autorisées à accepter, ainsi que du produit des *biens célés au domaine*, dont la fabrique a été autorisée à se mettre en possession.

c) Du produit de la location des *chaises*, et de la concession des *bancs* placés dans l'église.

d) Des *quêtes* faites pour les frais du culte, et de ce qui sera trouvé dans les *troncs* placés pour le même objet.

e) Des *oblations volontaires* faites à la fabrique, ainsi que des *droits* que, selon les règlements épiscopaux approuvés par décrets, les fabriques perçoivent dans les services religieux. — *Cf. n. 956.*

f) Du *supplément* donné par la commune, le cas échéant *(cf. n. 1005). — Art. 36.*

Le *produit spontané* des terrains servant de *cimetières*, attribué aux fabriques par l'art. 36, § 4, du décret de 1809, est compté désormais parmi les revenus de la commune. — *Loi municipale du 5 avril 1884, art. 133, § 9. — Cf. num. 1336.*

987. **II. Les charges de la fabrique sont :**

a) De fournir aux *frais nécessaires du culte*, savoir : les ornements, les vases sacrés, le linge, le luminaire, le pain et le vin, l'encens ; le paiement des vicaires, des sacristains, chantres, organistes, sonneurs, suisses, bedeaux et autres serviteurs de l'église, selon la convenance et les besoins du lieu.

b) De payer l'honoraire des *prédicateurs* de l'Avent, du Carême et autres solennités.

c) De pourvoir à la *décoration* et aux dépenses relatives à l'*embellissement intérieur* de l'église. — *Art. 37.*

1° Mais nul *cénotaphe*, nulles inscriptions, nuls monuments funèbres ou autres, de quelque genre que ce soit, ne pourront être placés dans les églises que sur la proposition de l'*Évêque diocésain*, et la permission du *ministre des cultes*. — *Art. 73.*

2° On ne doit pas oublier que les églises et les objets mobiliers qui ont un *intérêt historique* ou *artistique*, et qui ont été *classés*, « ne peuvent être l'objet d'un travail de restauration, de réparation ou de modification quelconque, si le ministre de l'Instruction publique et des Beaux-Arts n'y a donné son consentement ». — *Loi du 30 mars 1887.*

3° En vertu de la *direction du culte* et du droit de *police* dans l'église, les curés ont le droit de déterminer seuls l'emplacement des *autels*, et ils peuvent s'opposer à l'installation des *tableaux* qu'ils ne croient pas devoir admettre. — *Cf. n. 1283 et 997.*

d) De veiller à l'*entretien des églises et presbytères*, et, en cas d'insuffisance des revenus de la fabrique, de faire toutes les diligences nécessaires pour que la commune pourvoie aux réparations et reconstructions nécessaires. — *Art. 1 et 37 du décret de 1809; — art. 136 de la loi municipale du 5 avril 1884. — Cf. n. 1336.*

En conséquence, les curés n'ont pas qualité pour faire exécuter des *travaux* dans l'église sans l'*autorisation* du conseil de fabrique, alors même qu'ils les prendraient à leur charge. Il en est de même des modifications à apporter au *presbytère*; ils doivent faire prendre préalablement une délibération à cet effet.

1° Lorsque les réparations excéderont 50 francs dans les paroisses au-dessous de 1,000 âmes, et 100 francs dans les paroisses d'une plus grande importance, le bureau sera tenu d'en faire *rapport au conseil*, qui pourra ordonner toutes les réparations qui ne s'élèveraient pas à plus de 100 francs dans les communes au-dessous de 1,000 âmes, et de 200 francs dans celles d'une plus grande population.

2° Néanmoins ledit conseil ne pourra, même sur le revenu

libre de la fabrique, ordonner les réparations qui excéderaient la quotité ci-dessus énoncée, qu'en chargeant le bureau d'en faire dresser le *devis estimatif*, et de procéder à l'*adjudication au rabais, ou par soumission*, après trois affiches renouvelées de huitaine en huitaine. — *Art. 42.*

3° Lorsque les dépenses des travaux de construction ou de reconstruction à entreprendre ne s'élèvent pas à 20,000 francs, l'adjudication et l'exécution peuvent avoir lieu sur la *simple approbation du préfet;* mais, lorsque la dépense est supérieure à ce chiffre, les plans et devis doivent être soumis au *ministère de l'intérieur.* — *Ordonnance du 8 août 1821, art. 4.*

ARTICULUS III.

DU BUDGET DE LA FABRIQUE.

Il sera présenté chaque année au bureau, par le *curé* ou *desservant*, un *état*, par aperçu, des dépenses nécessaires à l'exercice du culte, soit pour les objets de consommation, soit pour réparation et entretien d'ornements, meubles et ustensiles d'église.

Cet état, après avoir été, article par article, approuvé par le bureau, sera porté en bloc sous la désignation de *dépenses intérieures* dans le projet de budget général; le détail de ces dépenses sera annexé audit projet. — *Art. 45.*

988. **I. Ce projet établira la recette et la dépense de l'église.** — *Art. 46.*

Les recettes et les dépenses se divisent en *ordinaires* et *extraordinaires.*

a) Une circulaire ministérielle, *du 21 novembre 1879*, a imposé une *formule* pour la rédaction des comptes et budgets de la fabrique.

Cette formule établit une distinction entre les dépenses *obligatoires* et les dépenses *facultatives.*

Par dépenses *obligatoires*, l'auteur de la circulaire du 21 novembre entend celles auxquelles les fabriques sont te-

nues en premier lieu d'affecter toutes leurs ressources, et pour l'ensemble desquelles, *antérieurement à la loi du 5 avril 1884*, il était permis d'avoir recours aux communes, quand ces ressources étaient insuffisantes.

Les dépenses *facultatives* sont celles qui ne peuvent être effectuées que sur les fonds restant disponibles, après balance de toutes les dépenses obligatoires ordinaires et extraordinaires, sans que dans aucun cas les communes soient obligées d'y pourvoir.

b) On peut s'étonner de voir figurer parmi les dépenses *facultatives* celles, par exemple, qui résultent de l'obligation de faire acquitter les messes de fondation, ou de prélever le sixième du profit de la location des bancs et des chaises pour le fonds de secours aux prêtres âgés ou infirmes.

Une circulaire du ministre de l'intérieur et des cultes, datée du 17 janvier 1880, explique que ces dépenses sont appelées *facultatives*, en ce sens qu'elles s'imposent aux *fabriques seulement*. — Celles-ci sont tenues de les prélever sur les revenus correspondants ou sur leurs ressources disponibles; mais *elles ne pourraient faire appel aux communes pour y suppléer*, et c'est ce qu'a voulu simplement indiquer la classification adoptée, qui après la loi municipale de 1884 paraît désormais inutile, excepté en ce qui regarde les constructions et grosses réparations des églises et des presbytères. — *Cf. n. 1005.*

989. **II. Le budget sera soumis au conseil de fabrique** dans la séance de *Quasimodo* de chaque année; et sera envoyé à l'Évêque diocésain pour avoir sur le tout son approbation. — *Art. 47.*

a) *L'Évêque* peut *inscrire* lui-même sur le budget les dépenses urgentes que la fabrique aurait refusé de voter ; il peut de même *réduire* ou *retrancher* les dépenses exagérées ou inutiles votées par elle. — *Décis. ministér. des 23 juin 1840 et 15 octobre 1857.*

b) L'article 70, § 5, de la loi municipale de 1884 appelle le *conseil municipal* à donner son *avis* sur les budgets des

fabriques et autres administrations préposées aux cultes, dont les ministres sont salariés par l'État.

Une circulaire ministérielle du 18 mai 1885 en prescrit le dépôt à la mairie, *avant* de les soumettre à l'approbation épiscopale. — *Cf. n. 1003.*

ARTICULUS IV.

DE LA RÉGIE DES BIENS DE LA FABRIQUE.

990. **I. Caisses et registres de la fabrique.**

a) Chaque fabrique aura une *caisse ou armoire fermant à trois clefs*, dont une restera entre les mains du trésorier, l'autre dans celles du curé ou desservant, et la troisième dans celles du président du bureau. — *Art. 50.*

Seront *déposés dans cette caisse* tous les deniers appartenant à la fabrique, ainsi que les clefs des troncs de l'église. — *Art. 51.*

Nulle somme ne peut être extraite de la caisse sans *l'autorisation du bureau*, et sans un *récépissé* qui y sera déposé. — *Art. 52.*

b) Seront aussi déposés dans une caisse, ou armoire, les *papiers, titres et documents* concernant les revenus et affaires de la fabrique, et notamment les comptes avec les pièces justificatives, les registres de délibération autres que le registre courant, le sommier des titres et les inventaires ou récolements. — *Art. 54.*

Un seul meuble peut servir à la fois d'armoire pour les archives et de caisse pour le numéraire.

c) Nul titre ni pièce ne pourra être extrait de la caisse sans un *récépissé* qui fera mention de la pièce retirée, de la *délibération du bureau* par laquelle cette extraction aura été autorisée, de la qualité de celui qui s'en chargera et signera le récépissé, de la raison pour laquelle elle aura été tirée de ladite caisse ou armoire, et, si c'est pour un procès, le tribunal et le nom de l'avoué seront désignés.

Ce *récépissé*, ainsi que la décharge au temps de la remise, sera inscrit sur le sommier ou registre des titres. — *Art. 57.*

d) Les registres des fabriques seront sur papier *non timbré. — Art. 81.*

Mais les acquisitions, donations ou legs au profit des fabriques sont soumis aux droits proportionnels d'*enregistrement* et de transcription établis par les lois existantes. — *Loi du 18 avril 1831, art. 17.*

991. **II. Inventaires et récolements.**

a) Il sera fait *deux inventaires* : l'un des ornements, linges, vases sacrés, argenterie, ustensiles, et en général de *tout le mobilier* de l'église ; l'autre des *titres, papiers et renseignements*, avec mention des biens contenus dans chaque titre, du revenu qu'ils produisent, de la fondation à la charge de laquelle les biens ont été donnés à la fabrique. Un double inventaire du mobilier sera remis au curé ou desservant. — *Art. 55.*

b) Il sera fait tous les ans un *récolement desdits inventaires*, afin d'y porter les additions, réformes et autres changements; ces inventaires et récolements seront signés par le curé ou desservant, et par le président du bureau. — *Art. 55.*

992. **III. Dons et legs.**

a) Tout établissement ecclésiastique, reconnu par la loi, peut *accepter, avec l'autorisation du Gouvernement*, tous les biens meubles, immeubles ou rentes, qui lui seront donnés par actes entre-vifs ou par actes de dernière volonté. — *Loi du 2 janvier 1817, art. 1.*

b) Tout *notaire* devant lequel il aura été passé un acte contenant donation entre-vifs ou disposition testamentaire au profit d'une fabrique, sera tenu d'en donner avis au curé ou desservant. — *Art. 58.*

En attendant l'acceptation, la fabrique fera tous les actes conservatoires qui seront jugés nécessaires. — *Ordonnance du 2 avril 1817, art. 5.*

c) Tout acte contenant des dons et legs à une fabrique *sera remis au trésorier*, qui en fera son rapport à la prochaine séance du bureau. — Cet acte sera ensuite adressé

par le trésorier, avec les observations du bureau, à l'*Archevêque* ou *Évêque* diocésain, pour que celui-ci donne sa délibération s'il convient ou non d'accepter. — *Art. 59.*

d) Les *pièces à produire*, pour obtenir l'autorisation d'accepter un legs, sont :

1o Une *copie du testament* délivrée par un notaire.

L'*extrait* de la partie du testament qui est relative aux legs pieux suffit, quand il n'y a pas d'opposition de la part des héritiers. *Si les héritiers font opposition*, la circulaire du 10 avril 1862 demande que le testament soit produit tout entier.

2o L'*acte de décès* du testateur sur papier timbré, et légalisé par le président du tribunal de l'arrondissement, ou par le juge de paix du canton.

3o Un procès-verbal d'*estimation* des biens légués.

4o Une *délibération* du conseil de fabrique tendant à obtenir l'autorisation, et indiquant, s'il y a lieu, le montant des charges d'après le tarif de la paroisse.

L'avis du *conseil municipal* est également demandé par la loi municipale du 5 avril 1884, art. 70, § 5.

5o L'état de l'*actif* et du *passif* de la fabrique, ainsi que des revenus et charges, vérifié et certifié par le préfet. — *Ordonn. du 14 janvier 1831, art. 5.*

L'état de l'actif et du passif des établissements religieux doit être dressé d'après le tableau suivant (*circul. minist. du 15 déc. 1880*) :

BIENS-FONDS.

SITUATION ET CONTENANCE	PROVENANCE	DATE DE L'AUTORISATION	VALEUR		CHARGES ET FRAIS D'EXÉCUTION
			en CAPITAL	en REVENUS	

RENTES.

NATURE	PROVENANCE	DATE DE L'AUTORISATION	CAPITAL	CHARGES ET FRAIS D'EXÉCUTION

Cependant, en ce qui concerne les fabriques, il pourra être *supplée* à la production de ce document par celle d'une *copie de leur dernier budget*, à la condition toutefois qu'il aura été dressé suivant les observations contenues dans la circulaire ministérielle du 21 nov. 1879, et qu'on aura eu soin d'y faire figurer toutes les énonciations d'un véritable état de l'actif et du passif. — *Circul. minist. du 15 déc. 1880.*

Les termes de la même circulaire supposent que le nouveau tableau de l'actif et du passif ne dispense point de lui joindre les *derniers comptes annuels*. Mais l'administration des cultes se contente d'un *Résumé* indiquant les chiffres généraux des recettes et des dépenses.

6° Une copie du *tableau des fondations*, quand le legs est grevé de services religieux.

7° L'acte d'*adhésion* ou d'*opposition* des héritiers à la délivrance du legs. — Cet acte peut être passé devant notaire ou fait sous seings privés ; dans ce dernier cas, il est écrit sur papier timbré.

Les signatures des héritiers seront *légalisées* par le maire, et la signature du maire sera aussi légalisée par le président du tribunal, ou le sous-préfet de l'arrondissement, ou le juge de paix du canton.

Si les héritiers *refusent*, sur une simple invitation, de fournir l'acte de leur consentement, ou de produire leurs moyens d'opposition, le trésorier de l'établissement légataire devra les appeler par acte *extrajudiciaire;* c'est-à-dire au moyen d'une sommation par huissier, constatant que les héritiers ont été mis en demeure de présenter leurs observations.

Si les héritiers, ainsi mis en demeure, donnent leur *consentement* ou motivent leur *refus*, l'acte sera joint au dossier. — *S'ils refusent de se présenter*, cet acte sera remplacé par l'original de la *sommation* qui leur aura été signifiée par huissier.

S'il n'y a pas d'*héritiers connus*, on produira un acte constatant qu'un extrait du testament a été *affiché*, de huitaine en huitaine, et à trois reprises consécutives, au chef-

lieu de la mairie du domicile du testateur, et inséré dans le *journal* judiciaire du département, avec invitation aux héritiers d'adresser au préfet, dans le même délai, les réclamations qu'ils auraient à présenter. — *Ordonnance du 14 janvier 1831, art. 3; — circul. du 10 avril 1862.*

e) Le tout sera envoyé au *ministre des cultes*, sur le rapport duquel la fabrique sera, s'il y a lieu, autorisée à accepter.

L'acte d'acceptation, dans lequel il sera fait mention de l'autorisation, sera *signé par le trésorier* au nom de la fabrique. — *Art. 59.*

On ne peut présenter à l'autorisation du Gouvernement les donations qui seraient faites à des établissements ecclésiastiques ou religieux *avec réserve d'usufruit en faveur du donateur. — Ordonn. du 14 janv. 1831, art. 4.*

f) L'acceptation des dons et legs faits aux fabriques des églises peut être *autorisée par les préfets*, sur l'avis préalable des Évêques, lorsque ces libéralités n'excèdent pas la valeur de *1,000 francs*, ne donnent lieu à aucune réclamation, et ne sont grevées d'autres charges que l'acquit de fondations pieuses dans les églises paroissiales, et de dispositions au profit des communes, des pauvres ou des bureaux de bienfaisance. — *Décr. du 15 fév. 1862, article 1er.*

Lorsqu'un même acte de libéralité contient *plusieurs dispositions* dont l'ensemble dépasse la somme de 1,000 fr., mais qui *prises isolément sont toutes inférieures à ce chiffre*, il y a lieu de reconnaître en principe qu'il doit être statué sur ces libéralités, non par décret, mais par arrêté préfectoral. — *Lettre du ministre des cultes, 13 décembre 1866.*

L'autorisation ne sera accordée qu'après l'*approbation provisoire de l'Évêque diocésain*, s'il y a charge de services religieux. — *Ordonnance du 2 avril 1817, art. 2; décret du 15 fév. 1862, art. 2. — Cf. n. 1376.*

L'autorisation pour l'acceptation ne fera aucun obstacle à ce que *les tiers intéressés* se pourvoient par les voies de

droit contre les dispositions dont l'acceptation aura été autorisée. — *Ordonn. du 2 avril 1817, art. 7.*

8° Il faut enfin l'avis de l'*Archevêque* ou *Évêque*, et celui du *préfet.*

g) Les conseils de fabrique ont besoin, pour *renoncer aux legs* faits en leur faveur, de la même autorisation que pour les accepter.

Dans ce cas il suffit de joindre à la délibération les copies *sur papier libre* de la donation ou du testament, et de l'acte de décès du testateur. — *Circulaire du 10 avril 1862.*

h) Les *pièces à produire* pour les *donations* sont :

1° Une *copie de l'acte de donation* sur papier timbré, et par-devant notaire.

2° Le *certificat de vie* du donateur, délivré par le maire sur papier timbré.

3° Le procès-verbal d'*évaluation* des biens donnés.

4° Une *délibération de la fabrique*, tendant à obtenir l'autorisation, et indiquant, s'il y a lieu, le montant des charges d'après le tarif.

L'article déjà cité de la nouvelle loi de 1884 exige également l'*avis du conseil municipal.*

5° L'état de l'*actif* et du *passif* d'après le tableau ci-dessus.

6° Une copie du *tableau des fondations*, quand le don est grevé de services religieux.

7° Une pièce prouvant que *la donation n'a été l'effet d'aucune suggestion.* — Cette pièce est délivrée par le maire de la commune du donateur, et timbrée du sceau de la mairie.

8° L'avis de l'*Évêque* et celui du *préfet.*

i) Le Gouvernement ne reconnaît aux établissements religieux qu'une sorte de *capacité d'acquérir* restreinte à *l'objet principal* de leur institution.

1° Le conseil d'État avait, il y a quelques années, reconnu que les capacités établies par l'ordonnance du 2 avril 1817 n'étaient pas *exclusives,* et que les fabriques pouvaient recevoir et administrer les dons ou legs ayant

pour but la fondation ou l'entretien des écoles et le soulagement des pauvres. — *Arrêts des 27 fév., 6 mars, 24 juillet 1873.*

Mais cette jurisprudence réparatrice n'a pas été maintenue, et un nouveau décret du conseil d'État, *13 juillet 1881*, a déclaré les fabriques incapables de recevoir des biens dans l'intérêt des pauvres.

2o Les legs faits aux fabriques en faveur des *pauvres* sont attribués par le Gouvernement aux *Bureaux de bienfaisance.*

Cependant, s'il ressort des dispositions testamentaires que le testateur s'est préoccupé avant tout *du choix des personnes* qu'il entendait charger de la dispensation de ses libéralités, les *héritiers* pourraient se refuser à la délivrance du legs.

L'Assistance publique de Paris a été ainsi déboutée par un jugement du tribunal de la Seine, *19 février 1890.*

D'autre part, un legs fait aux pauvres d'une paroisse sous la *condition formelle* que les revenus en seront *distribués par le curé* et ses successeurs, serait, il est vrai, attribué au Bureau de bienfaisance; mais la jurisprudence actuelle reconnaîtrait la validité de cette clause, s'il paraît que le mode de distribution a été la cause impulsive et déterminante du legs. — *Cf. Journal des conseillers de fabrique, an. 1891, pag. 197 et seq.*

993. **IV. Acquisitions, baux, ventes et échanges.**

a) Tout établissement ecclésiastique reconnu par la loi peut, *avec l'autorisation* du Gouvernement, *acquérir* des biens immeubles ou des rentes. — *Loi du 2 janvier 1817, art. 2.*

b) Les biens immeubles de l'église ne peuvent être *vendus*, *aliénés* ou *échangés*, sans une délibération du conseil, l'avis de l'Évêque diocésain, et l'autorisation du Gouvernement. — *Art. 62.* — *Cf. loi du 2 janvier 1817, art. 3.*

c) Voici la liste des *pièces* que les fabriques doivent produire pour obtenir l'autorisation d'*acquérir* ou d'*échanger*:

1o Une *délibération du conseil de fabrique*, indiquant les motifs de la vente ou de l'échange, et les ressources sur lesquelles elle compte pour payer l'acquisition. — Si elle acquiert à l'aide d'une *souscription* ou d'un *emprunt*, elle doit produire, à l'appui, les pièces de la souscription ou de l'emprunt.

2o Un état de l'*actif* et du *passif* de la fabrique.

3o Une *estimation* de l'immeuble à acquérir ou échanger, faite sur papier timbré contradictoirement par deux experts, dont l'un est nommé par la fabrique, et l'autre par le vendeur ou échangiste.

4o Un *plan figuré* et détaillé des lieux.

5o Le *consentement* du vendeur ou échangiste sur papier timbré.

6o L'avis de l'*Évêque diocésain*.

7o L'administration civile doit joindre à ces pièces un procès-verbal d'enquête *de commodo et incommodo*, l'avis du *conseil municipal* et celui du *préfet*.

d) Pour *aliénation* :

Mêmes pièces que ci-dessus, à l'exception de la soumission de l'acquéreur et de l'expertise contradictoire, les ventes ne pouvant avoir lieu qu'aux *enchères publiques*.

Le conseil de fabrique, dans sa délibération, doit faire connaître *l'origine* de la propriété qu'il s'agit d'aliéner, et déclarer si elle est ou non grevée de fondations.

S'il s'agit d'anciens immeubles restitués aux fabriques par le *décret du 7 thermidor an XI*, le trésorier devra compulser les archives pour savoir si la fabrique a été régulièrement *mise en possession* de ces biens. — Si cette formalité n'a pas été remplie en temps opportun, le conseil devra demander cet envoi en possession par une délibération spéciale.

L'administration civile joint à ces pièces un procès-verbal *de commodo et incommodo*, l'avis du *conseil municipal* et celui du *préfet*.

e) Pour obtenir l'autorisation d'abattre des *arbres futaies* réunis en bois ou épars, la fabrique doit produire :

1º une *délibération* exposant les motifs de cette coupe; 2º un procès-verbal d'*estimation* des arbres; 3º l'état de l'*actif* et du *passif* de la fabrique.

Ces coupes peuvent être autorisées par un simple arrêté du *préfet*.

f) Les maisons et biens ruraux appartenant à la fabrique seront *affermés*, régis et administrés par le bureau des marguilliers, dans la forme déterminée pour les biens communaux. — *Art. 60.*

Les fabriques peuvent *affermer* leurs biens immeubles pour *dix-huit ans* et au-dessous, sans les formalités requises à l'art. 62 du décret de 1809. — *Lois des 25 mai 1835 et 5 avril 1884, art. 68.*

Les seules *formalités* pour les baux au-dessous de dix-huit ans sont les suivantes :

1º Un *cahier des charges* doit être dressé par le bureau des marguilliers, pour être soumis à l'approbation de l'Évêque et à l'homologation du préfet. — *Ordonn. du 7 oct. 1818.*

La délibération du bureau des marguilliers est exécutoire de plein droit si, dans le délai d'*un mois après le dépôt*, le préfet n'a pas fait d'opposition; et il n'est pas besoin de soumettre de nouveau l'acte définitif à l'approbation préfectorale. — *Loi du 5 avril 1884; et circul. minist. du 15 mai suivant.*

2º Le bail est annoncé, un mois d'avance, par des *publications* faites à l'issue de la grand'messe, de dimanche en dimanche, tant à la porte de l'église de la situation des immeubles, qu'à celles des principales églises les plus voisines, et par des *affiches* apposées de quinzaine en quinzaine aux lieux accoutumés. — *Loi du 5 nov. 1790, art. 13.*

3º Le jour indiqué par les affiches, *le bureau des marguilliers* procède à l'adjudication du bail, à la chaleur des *enchères*. — *Ordonn. du 7 octobre 1818.*

g) Pour les *baux au-dessus de dix-huit ans*, il faut, outre les formalités détaillées précédemment : une *estimation* par deux experts, un plan figuré des lieux, une enquête *de commodo et incommodo* par un commissaire que le

préfet désigne, et une délibération du conseil de fabrique.— *Arrêtés des 7 germ. an IX, et 14 ventôse an XI; — circul. minist., 12 avril 1819.*

Le *préfet* est compétent pour statuer, quelle que soit la durée de la location. — *Décret du 25 mars 1852.*

h) Aucun des *membres du bureau des marguilliers* ne pourra se porter, soit pour *adjudicataire,* soit même pour associé de l'adjudicataire des ventes, marchés de réparations, constructions, reconstructions, ou baux des biens de la fabrique. — *Art. 61.*

994. **V. Mainlevée d'hypothèques.**

a) La Section de l'intérieur et des cultes du conseil d'État, considérant que la *mainlevée d'hypothèque* a un caractère *d'aliénation,* est d'avis que les fabriques et autres établissements ecclésiastiques ne peuvent donner *mainlevée d'hypothèques* prises à leur profit, sans y avoir été *autorisés* par un décret. — *28 juil. 1885.*

b) Les *pièces à produire* sont : 1º une *délibération* du conseil de fabrique ; — 2º la justification de la *libération* du débiteur ; — 3º le dernier *budget* de la fabrique ; — 4º l'avis du *conseil municipal,* l'avis de l'*autorité diocésaine* et l'avis du *préfet.*

995. **VI. Placement des fonds disponibles.**

a) Le placement en *biens-fonds,* quel que soit le montant de la somme, ne peut s'effectuer sans l'autorisation du conseil d'État. – *Décret du 16 juil. 1810, art. 4.*

b) Une circulaire ministérielle, du 6 mai 1881, a rappelé que les fabriques doivent employer leurs fonds libres uniquement en acquisitions de titres nominatifs de *rentes sur l'État.*

c) L'*autorisation du préfet* suffit pour placer en rentes sur l'État une somme quelconque provenant de remboursement de capitaux. — *Décret du 13 avril 1861, art. 4.*

Une circulaire ministérielle du 2 décembre 1861, étendant la portée du décret, autorise les préfets à statuer sur les demandes des fabriques et des établissements religieux de

placer sur l'État tous les fonds sans emploi, provenant soit d'*économies* ou d'*excédents de recettes*, soit de *remboursements* de créances ou de rentes.

d) Si l'argent provient de *dons* et de *legs*, le décret qui en autorise l'acceptation prescrit ordinairement le mode d'emploi. — S'il ne le prescrit pas, le placement en rentes sur l'État est autorisé par le *préfet* jusqu'à 1,000 fr.; par décret du *chef de l'État* au delà de cette somme.

e) Les *pièces à produire* par la fabrique, pour emploi de fonds en *achat de rentes sur l'État*, sont :

1° La *délibération* du conseil motivant la demande d'autorisation, et indiquant la provenance des sommes à placer.

2° Un état de l'*actif* et du *passif* de la fabrique.

f) Les *pièces à produire*, pour acceptation du *remboursement d'une rente*, sont :

1° La *demande du débiteur*, formulée sur papier timbré, et adressée au trésorier de la fabrique.

2° La *délibération* du conseil de fabrique, indiquant l'origine de la rente, les charges dont elle pourrait être grevée, et l'emploi à faire du capital remboursé.

996. **VII. Emprunts**.

a) Les fabriques peuvent contracter des emprunts *avec l'autorisation* du Gouvernement.

b) Les *pièces à produire* sont :

1° Une *délibération de la fabrique*, indiquant les motifs de l'emprunt, la destination de la somme à emprunter, le délai et les conditions du remboursement, les ressources qui y seront affectées.

Si l'emprunt est fait en vue du *paiement de travaux*, la fabrique doit produire l'état de l'ensemble des ressources destinées au paiement de la totalité des travaux, ainsi que les plans et devis.

2° Le *dernier budget de la fabrique* dressé conformément à la circulaire du 21 novembre 1879, visé et certifié par le *préfet*, ainsi que les comptes des trois dernières années visés et certifiés par le *maire* conformes aux exemplaires déposés à la mairie.

3° L'*avis du conseil municipal*, l'avis de l'*Archevêque* ou *Évêque*, et celui du *préfet*.

997. **VIII. Bancs et chaises.**

a) Le *prix des chaises* sera réglé pour les différents offices, par délibération du bureau approuvée par le conseil. Cette délibération sera affichée dans l'église. – *Art. 64.*

b) Il est expressément défendu de rien percevoir pour l'entrée de l'église, ni de percevoir dans l'église *plus que le prix des chaises*, sous quelque prétexte que ce soit.

Il sera même *réservé* dans toutes les églises *une place*, où les fidèles qui ne louent pas de chaises, ni de bancs, puissent commodément assister au service divin et entendre les instructions. — *Art. 65.*

c) Le placement des bancs ou chaises dans l'église ne pourra être fait que du consentement du curé ou desservant, sauf le recours à l'Évêque. — *Art. 30 ; — décis. minist. du 18 mars 1865.*

d) Le bureau des marguilliers pourra être autorisé par le conseil, soit à *régir la location* des bancs et chaises, soit à les mettre en *ferme*. — *Art. 66.*

Quand la location des chaises sera mise en *ferme*, l'adjudication aura lieu après trois affiches de huitaine en huitaine. — Les *enchères* seront reçues au bureau de la fabrique par soumission, et l'adjudication sera faite au plus offrant, en présence des marguilliers. — De tout quoi il sera fait mention dans le bail, auquel sera annexée la délibération qui aura fixé le prix des chaises. — *Art. 67.*

e) Aucune *concession* de bancs ou de places dans l'église ne pourra être faite, soit par bail pour une prestation annuelle, soit au prix d'un capital ou d'un immeuble, pour un temps plus long que la vie de ceux qui l'auront obtenue, sauf l'exception de l'article 72. — *Art. 68.*

1° La demande de concession sera *présentée au bureau* qui, préalablement, la fera *publier* par trois dimanches et afficher à la porte de l'église pendant un mois, afin que chacun puisse obtenir la préférence pour une offre plus avantageuse. – *Art. 69.*

2o S'il s'agit d'une concession pour *immeuble,* le bureau le fera évaluer en capital et en revenu, pour être cette évaluation comprise dans les affiches et publications. — *Art. 69.*

3o Après ces formalités remplies, le bureau fera son *rapport au conseil.*

S'il s'agit d'une concession de bail pour une *prestation annuelle*, et que le conseil soit d'avis de faire cette concession, sa délibération sera un titre suffisant. — *Art. 70.*

S'il s'agit d'une concession pour un *immeuble*, il faudra, sur la délibération du conseil, obtenir l'autorisation du Gouvernement dans la même forme que pour les dons et legs.

Il en serait de même s'il s'agissait d'une *valeur mobilière* atteignant la quotité pour laquelle cette autorisation est également nécessaire. — *Art. 71.*

f) Celui qui aurait entièrement *bâti une église* pourra retenir un banc ou une chapelle pour lui et sa famille, tant qu'elle existera.

Tout *donateur* ou *bienfaiteur* d'une église pourra obtenir la même concession, sur l'avis du conseil de fabrique approuvé par l'Évêque et par le ministre des affaires ecclésiastiques. — *Art. 72.*

L'article organique 47 donne aux *fonctionnaires civils et militaires catholiques* le droit d'occuper une place distinguée dans les cathédrales et paroisses. — Mais, d'après la jurisprudence constante du ministre des cultes, ils n'ont droit à une place réservée et gratuite qu'aux jours de fêtes à la fois civiles et religieuses auxquelles les autorités assistent en corps, en costume, et après invitation officielle.

998. **IX. Quêtes dans les églises.**

a) Tout ce qui concerne les quêtes dans les églises sera réglé *par l'Évêque*, sur le rapport des marguilliers. — *Art. 75.*

Les marguilliers doivent donc être consultés, mais l'Évêque n'est pas obligé de suivre leur avis. — *Conseil d'État, 6 juil. 1831.*

L'établissement des *troncs* doit être réglé, comme celui des quêtes, par l'Évêque, sur le rapport des marguilliers.

b) Les quêtes pour les pauvres auront lieu dans les églises toutes les fois que les *bureaux de bienfaisance* le jugeront convenable. — *Art. 75.*

Les administrateurs des bureaux de bienfaisance ne peuvent quêter que par eux-mêmes. — *Décret du 12 sept. 1806.* — Les personnes qu'ils auraient chargées de les remplacer doivent donc être agréées par le curé. — *Décis. minist. des 29 mars et 12 juin 1847.*

c) Un arrêt du 5 prairial an XI permettait également aux *administrateurs des hospices* de quêter dans les églises, toutes les fois qu'ils le jugeraient opportun. — Le décret de 1809 n'a conservé ce droit qu'aux *bureaux de bienfaisance;* et une décision minist., du 15 fév. 1827, porte que le droit des hospices doit être considéré comme aboli.

999. **X. Procès.**

a) Les marguilliers ne pourront entreprendre aucun procès, ni y défendre, sans autorisation du *conseil de préfecture*, auquel sera adressée la *délibération* qui devra être prise à ce sujet par le conseil et le bureau réunis. — *Art. 77.*

Le conseil municipal est également appelé à donner son avis. — *Loi du 5 avril 1884, art. 70.*

b) Toutefois le trésorier sera tenu de faire tous *actes conservatoires* pour le maintien des droits de la fabrique, et toutes diligences nécessaires pour le recouvrement de ses revenus. — *Art. 78.*

c) L'autorisation n'est pas nécessaire pour assigner *en référé* (*17 nov. 1868*) ; — ni pour intenter une action possessoire (*loi du 8 juillet 1837, art. 55; arrêt du conseil d'État du 17 nov. 1863*); — ni pour intenter une action devant le conseil de préfecture ; ni pour former un pourvoi devant le conseil d'État (*arrêt du conseil d'État, 13 février 1868*).

d) Les procès sont soutenus au nom de la *fabrique*, et les diligences faites à la requête du *trésorier*, qui donnera connaisssance de ces procédures au bureau. — *Art. 79.*

Cependant le trésorier n'a pas la direction absolue des

procès. Il doit se rendre aux volontés du conseil, qui peut choisir l'avoué, l'avocat, et donner le sens des conclusions. — *Décis. minist., 9 mars 1861.*

e) Toutes *contestations* relatives à la propriété des biens, et toutes poursuites à fin de recouvrement des revenus, seront portées devant les juges ordinaires. — *Art. 80.*

f) Les actions que *les particuliers* veulent intenter aux fabriques doivent également être précédées d'un mémoire adressé au préfet.

Le conseil de préfecture autorise, s'il le juge à propos, la fabrique à se défendre. Mais il ne peut pas paralyser l'action du *demandeur;* et, faute de réponse dans les deux mois à partir de la date du récépissé, ou en cas de réponse négative, l'action est intentée, et la fabrique est jugée par défaut. – *Ravelet, Code manuel, num. 418.*

1000. **XI. Transactions.**

Par *transaction* on entend un acte par lequel deux parties terminent leurs débats en se cédant mutuellement des droits litigieux. — *Cf. Code civil, art. 2044.*

a) L'autorisation du *chef de l'État* est nécessaire pour toutes les transactions *immobilières,* et les transactions *mobilières* au-dessus de 3,000 francs.

Le *préfet* autorise les transactions *mobilières* au-dessous de 3,000 francs, par arrêté délibéré en conseil de préfecture.

b) Les *pièces à produire* sont : 1° La délibération du conseil de fabrique ; — 2° l'avis du conseil municipal ; — 3° l'avis de trois jurisconsultes désignés par le préfet ; — 4° l'avis du conseil de préfecture ; — 5° l'avis de l'Évêque diocésain ; — 6° l'avis du préfet, qui doit envoyer le dossier au ministre des cultes.

ARTICULUS V.

DES COMPTES DE LA FABRIQUE.

1001. **I. Le compte à rendre chaque année par le trésorier sera divisé** en deux chapitres, l'un de *recettes*, et l'autre de *dépenses*. — *Art. 82*. — *Cf. n. 988.*

Le reliquat d'un compte formera toujours le premier article du compte suivant. — *Art. 82*.

a) Le modèle de comptes proposé aujourd'hui par l'administration des cultes divise le titre des recettes en trois chapitres comprenant : 1° le *résultat* de l'exercice précédent, si le compte était établi avec un excédent de recettes sur les dépenses; 2° les recettes *prévues* au budget; 3° les recettes *non prévues* et recouvrées en vertu d'autorisations supplémentaires ou spéciales.

b) Le titre des dépenses se divise également en trois chapitres comprenant : 1° le *résultat* de l'exercice précédent, si le compte était établi en déficit; 2° les dépenses *prévues* au budget ; 3° les dépenses *non prévues* au budget, et faites en vertu d'autorisations supplémentaires ou spéciales.

c) La loi de finances de 1892, art. 78, a établi que « les comptes et budgets des fabriques doivent être soumis à toutes les règles de la *comptabilité* des autres établissements publics ».

« Un règlement d'administration publique déterminera les conditions d'application de cette mesure. »

1002. **II. Le trésorier sera tenu de rendre son compte annuel au bureau des marguilliers**, dans la séance du premier dimanche du mois de *mars*.

a) Le compte avec les pièces justificatives leur sera communiqué sur le *récépissé* de l'un d'eux. — Ils feront au conseil, dans la séance du dimanche de *Quasimodo*, le rapport du compte; il sera examiné, clos et arrêté dans cette séance, qui sera pour cet effet prorogée au dimanche suivant si besoin est. — *Art. 85*.

b) S'il arrive quelques débats sur un ou plusieurs articles du compte, le compte n'en sera pas moins clos *sous la réserve* des articles contestés. — *Art. 86*.

c) L'*Évêque* pourra nommer un *commissaire* pour assister en son nom au compte annuel.

Mais, si ce commissaire est autre qu'un grand vicaire, il ne pourra rien *ordonner* sur le compte, mais seulement dresser *procès-verbal* sur l'état de la fabrique et sur les fournitures et réparations à faire à l'église.

Dans tous les cas, les *Archevêques* et *Évêques* en cours de visite, ou leurs vicaires généraux, pourront se faire représenter tous les comptes, registres et inventaires, et vérifier l'état de la caisse. — *Art. 87*.

1003. **III. Lorsque le compte sera arrêté,** le *reliquat* sera remis au trésorier en exercice, qui sera tenu de s'en charger en *recette*.

a) Il lui sera en même temps remis un *état* de ce que la fabrique a à recevoir par baux à ferme, une copie du tarif des droits casuels, un tableau par approximation des dépenses, celui des reprises à faire, celui des charges et fournitures non acquittées.

b) Il sera dans la même séance dressé, sur le registre des délibérations, *acte de ces remises*, et copie en sera délivrée en bonne forme au trésorier sortant, pour lui servir de décharge. — *Art. 88*.

c) Le compte annuel sera en *double copie*, dont l'une sera déposée dans la caisse ou armoire à trois clefs, l'autre à la mairie. — *Art. 89 ; — loi munic., art. 70, § 5*.

d) D'après une circulaire ministérielle du 18 mai 1885, la *communication* des comptes et budgets de la fabrique doit être faite à la mairie *aussitôt après la séance de Quasimodo*, en sorte que les conseils municipaux puissent en prendre connaissance dans leur session de mai.

e) Lorsque les fabriques réclament *le secours des communes* pour les dépenses restées subsidiairement à leur charge (*cf. n. 1005*), elles sont tenues de produire, à l'ap-

pui de leur demande, toutes les pièces de nature à éclairer le conseil municipal sur leur véritable situation financière, et notamment toutes les *quittances* et tous les *documents justificatifs* des recettes et dépenses portées aux comptes des dernières années. — *Circul. minist., 18 mai 1885.*

1004. **IV. Les contestations sur les comptes des trésoriers** de fabriques sont tranchées par le *conseil de fabrique*, sous l'approbation de l'évêque. — *Arrêt du conseil d'État du 22 juil. 1862.*

Faute par le trésorier *de présenter son compte* à l'époque fixée, *et d'en payer le reliquat,* celui qui lui succédera sera tenu de faire, dans le mois au plus tard, les diligences nécessaires pour l'y contraindre ; et, à son défaut, le *procureur de la République*, soit d'office, soit sur l'avis qui lui en sera donné par l'un des membres du bureau ou du conseil, soit sur l'ordonnance rendue par l'*Évêque en cours de visite,* sera tenu de poursuivre le comptable devant le tribunal de première instance, et le fera *condamner* à payer le reliquat, à faire régler les articles débattus, ou à rendre son compte s'il ne l'a été, le tout dans un *délai* qui sera fixé ; sinon, ledit temps passé, à payer provisoirement, au profit de la fabrique, la somme égale à la moitié de la recette ordinaire de l'année précédente, sauf les poursuites ultérieures. — *Art. 90.*

ARTICULUS VI.

DES CHARGES DE LA COMMUNE RELATIVEMENT AU CULTE.

1005. **I. Les charges de la commune relativement au culte sont :**

a) De fournir une *indemnité de logement* aux curés et desservants, lorsqu'il n'existe pas de bâtiment affecté à leur logement, et lorsque les fabriques ne pourront pourvoir elles-mêmes au paiement de cette indemnité. — *Loi munic. du 5 avril 1884, art. 136, § 11. — Cf. n. 948.*

b) De pourvoir aux *grosses réparations* des édifices consacrés aux cultes, sauf l'application préalable des reve-

nus et ressources disponibles des fabriques à ces réparations. — *Ibid.*, § *12*.

1° S'il y a *désaccord* entre la fabrique et la commune quand le concours financier de cette dernière est réclamé par la fabrique, il est statué par décret sur les propositions des ministres de l'intérieur et des cultes. — *Ibid.*

2° La direction des cultes a décidé qu'il faut considérer comme *ressources disponibles* les immeubles et rentes, déduction faite du capital qui doit être prélevé sur le produit de la vente pour assurer l'acquit des charges qui peuvent grever ces biens.

c) L'article 92 du décret de 1809, et l'article 30 de l'ancienne loi municipale de 1837, portaient au nombre des *dépenses obligatoires des communes*, les secours aux fabriques des églises, en cas d'*insuffisance* de leurs revenus pour les dépenses ordinaires.

Mais la nouvelle loi municipale, en omettant volontairement ces dispositions, a rendu *facultative* la contribution de la commune.

1006. **II. La direction des travaux,**

a) Appartient à la *commune* lorsqu'elle supporte la *totalité* ou la *plus forte partie* de la dépense. Si, au contraire, le contingent de la *fabrique* dans la dépense est plus élevé que celui de la commune, l'établissement religieux est fondé à réclamer la direction de l'entreprise.

Cependant la fabrique, dans le premier cas, et la commune, dans le second, ont un droit de *surveillance*.

Les fonds doivent être *centralisés* dans la caisse de l'établissement qui a la direction des travaux. — *Lettre du ministre des cultes, 23 juillet 1854; — décis. minist., bulletin de l'Int., 1854, p. 428; 1858, p. 65.*

b) Les *souscriptions* recueillies au nom des fabriques, en vue d'assurer la restauration ou la reconstruction des églises et des presbytères, appartiennent aux *fabriques*, et doivent être déclarées leur propriété.

c) Les *secours de l'État* peuvent être accordés, soit à la

commune, soit à la *fabrique*, suivant que l'une ou l'autre fournit la majeure partie des fonds nécessaires.

Si donc c'est la *fabrique* qui se trouve dans ce cas, les secours dont il s'agit lui revenant à elle-même, ne sauraient en aucune manière être compris au nombre des sommes fournies par la commune, ni, par suite, autoriser celle-ci à s'emparer de la direction des travaux. — *Décis. du min. des cultes, 12 juil. 1874.*

1007. **III. Les conseils généraux** ont à leur disposition certains secours variables qu'ils votent annuellement en faveur des églises et des presbytères.

Les fabriques qui veulent y participer doivent en faire la demande avant la session du conseil général.

Pour cela elles adresseront à l'Évêque : 1° une *délibération* de leur conseil ; 2° les *plans et devis* des travaux à exécuter ; 3° une *copie de leur budget* de l'année courante.

L'Évêque transmet ces pièces, avec son avis, au préfet qui complète le dossier de la demande.

1008. **IV. Pour obtenir un secours du Gouvernement,** il faut produire les pièces suivantes :

1° Une *délibération* du conseil de fabrique.

2° Les *plans et devis* des travaux projetés.

3° Le dernier *budget* de la fabrique, visé et certifié par le préfet, et les *comptes* des trois dernieres années, visés et certifiés par le maire conformes aux exemplaires déposés à la mairie.

4° L'avis motivé de l'*Évêque*.

L'administration préfectorale ajoute à ces pièces une délibération du *conseil municipal*, le dernier *budget* de la commune, et l'avis du *préfet*.

Aux termes de l'article 68 de la loi du 10 août 1871, les secours pour les travaux concernant les églises et les presbytères ne peuvent être alloués que par le *ministre* compétent, sur la proposition du *conseil général* du département.

CAPUT IX.

DE CESSATIONE MUNERIS PAROCHIALIS.

Cessare potest munus parochiale per renuntiationem, translationem, vel privationem. — *Cf. n. 216 et seq., ubi de amissione jurisd. ordinariæ.* Agendum est, distinctis articulis : de parochis *inamovibilibus*, et de iis qui ad nutum Episcopi *amoveri* possunt.

ARTICULUS I.

DE PAROCHIS INAMOVIBILIBUS.

1009. **I. De jure communi, parochi sunt inamovibiles,** ita ut *ad nutum Episcopi* non possint mutari, aut destitui, et parœciæ privatio fieri non possit, nisi constet de culpis omnino gravibus, quibus *ex jure* gravissima hæc privationis pœna infligitur, *judiciali ordine* servato qui in his causis præscribitur. — *Cf. n. 1709 et seq., ubi de pœnis vindicativis ; n. 1477 et seq., ubi de ordine servando in judiciis ecclesiasticis.*

a) Quod enim de beneficiis ecclesiasticis sæcularibus generatim statutum est, *speciatim* applicatur beneficiis *curatis*. — Revera, curæ animarum congruit aliqua *stabilitas*, nec non *independentia* ab influxu sæcularium, imo (quod Deus avertat) ab injusta vexatione Episcoporum; et fidentius exstirpanda vitia, promovendumque animarum bonum, perpetuus in officio suo parochus aggreditur.

b) Ideo specialem mentionem perpetuitatis curatorum habemus in *cap. 1, De capellis monachorum, in 6°.* — Et concilium Tridentinum voluit ut Episcopus unicuique parœciæ suum «*perpetuum*» pastorem adsignet. — *Sess. 24, cap. 13, De ref.*

1010. **II. Episcopus potest tamen parochos inamovibiles, etiam invitos, transferre** ad parœcias *majoris* aut *æquivalentis* saltem redditus, posita *necessitate* aut *magna utilitate* animarum. — *Cf. n. 231.*

a) Legitur enim in *cap. Quæsitum, 5, De rerum permutatione* : « Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ».

b) Revera, inamovibilitas non potest cedere *in detrimentum Ecclesiæ*, nec censetur excludere causam *necessitatis* aut *utilitatis*, quia bonum *privatum* non est bono *publico* præferendum; et parœcia non est pro parocho, sed parochus pro parœcia et animarum salute.

Ideo, etiam *absque beneficiati culpa*, urgens causa publicæ utilitatis exigere potest ipsius *translationem* seu *permutationem*, ex gr. si gravis exsurgat aversio et odium populi adversus parochum, ita ut ejus verba nullum amplius fructum afferant, populus divina contemnat, et scandala oriantur.

c) Hæc communis sententia Canonistarum confirmatur *variis decisionibus Sacræ Congregationis Concilii, ex. gr. 19 dec. 1857, 22 dec. 1860, etc.*

d) *Ipse Episcopus*, non obstante conjugio spirituali cum sua ecclesia, translationi suæ consentire tenetur, si bonum publicum ecclesiæ id postulet *(cf. n. 230)*. — Ergo, a fortiori, parochus debet suæ mutationi consentire quam animarum salus exigit.

1011. **III. Parochis illiteratis et imperitis**,

a) Si alias honestæ vitæ sint, Episcopus potest, etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, *coadjutores* aut *vicarios* pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu adsignare. — *Trid., sess. 21, cap. 6, De ref.*

Item potest Episcopus coadjutorem deputare parocho qui, propter perennem aliquam *animi* aut *corporis infirmitatem*, nequit parœciam suam recte regere. — *Cf. n. 1038.*

b) Quod si parochus, *ex defectu scientiæ practicæ*, v. gr. ex indole iracunda, vel ex habituali considerationis defectu, populi odium in se concitaverit, errores intolerabi-

les passim committat, et, amissa quavis existimatione, ab omnibus spernatur,

1° Tunc videndum est utrum in *correctionibus* vel, si casus ita ferat, aliquibus pœnis, aut *remotione temporanea*, aut *spontanea resignatione* et acceptatione pensionis, etc., remedii spes collocari valeat;

2° Verum, si bono animarum Ordinarius aliter prospicere non potest quam per *coactivam* et *perpetuam* parochi *remotionem*, ad hanc devenire potest, præfigendo parocho terminum quo parœciæ renuntiet, eoque renuntiare renuente, procedendo ad parœciæ privationem, *prævio processu saltem summario.*

Attamen, decreta hac *œconomica* remotione, succurrendum est parocho assignatione *pensionis* aut alterius beneficii. — *Cf. cap. 9, De renunt.; — et resol. S. C. C. 12 aug. 1865; 21 jun. 1879; 11 sept. 1880; 23 mart. 1889, etc.*

ARTICULUS II.

DE PAROCHIS AMOVIBILIBUS AD NUTUM EPISCOPI.

Paulo post concordatum anni 1801, a Summo Pontifice cum Galliæ Gubernio initum, *duplex ea in regione parœciarum species* inolevit. — Nam, præter parochos *inamovibiles*, dotationem a Gubernio accipientes, cum consensu ipsius eligendos, alii invecti fuere libere ab Episcopis electi, et *ad eorum nutum amovibiles*, qui ab initio eleemosynis tantum fidelium alebantur, sed postea pensionem quoque a Gubernio obtinuerunt. — *Cf. n. 942.*

Equidem, *de jure communi* parochi inamovibiles constituendi sunt. — Attamen :

1012. **I. Perpetuitas non est de essentia parochiatus.** — *Cf. Bouix, De parocho, p. 1, sect. 3, cap. 3.*

a) Nam tota ratio parochialis officii in eo stat ut quis exercendam habeat animarum curam ex *obligatione*, et *nomine proprio*, quoad *certum* alicujus diœcesis populum, qui vicissim ab eo sacramenta recipere teneatur. —

Atqui, *omnia hæc requisita verificantur*, etiamsi parochus sit ad nutum Episcopi *revocabilis*. — Ergo, qualitas hæc perpetuitatis, vel manualitatis, est officio parochiali omnino *accidentalis* et *extrinseca*.

b) Hinc, quoties a Sacra Congregatione Concilii quæsitum est num *obligationes*, quæ de jure parochis incumbunt, censeantur adstringere curatos ad nutum amovibiles, responsum est *affirmative*, modo isti curati proprio nomine curam actualem exercendam habeant.

1013. **II. Curam animarum exerceri per parochos ad nutum Episcopi amovibiles, non omnino adversatur ecclesiasticæ disciplinæ.**

a) In ecclesiis quæ *monasteriis unitæ* sunt, cura animarum exercenda est per parochos ad nutum Superioris amovibiles.

b) In aliis ecclesiis quæ *uniuntur Capitulis, piis locis*, etc., possunt quidem Episcopi procurare ut per vicarios « *perpetuos* » cura animarum exerceatur; verum id eorum relinquitur arbitrio, prout magis expedire videbitur. — *Trid., sess. 7, cap. 7, De ref.*

c) Idem concilium unicuique parochiæ suum *perpetuum* pastorem adsignandum esse decernit; verum Episcopos non arctat ad institutionem perpetui parochi, adeo ut non possint « *alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit* », providere. — *Trid., sess. 24, cap. 13, De ref.*

Unde, merito *cardinalis Gousset* ait : « Il n'existe aucune loi émanée de l'autorité de l'Église, aucun décret canonique, aucune constitution Apostolique, qui rende inamovibles *tous les prêtres qui ont charge d'âmes*, ou qui ont, en vertu d'une institution épiscopale, la direction et l'administration d'une paroisse. » — *Lettre pastorale, 1er mai 1865.*

1014. **III. Neque bono Ecclesiæ hæc eadem amovibilitas per se contraria est.** — Nam,

a) Curatorum amovibilium institutio de se apta est ad *bonos effectus* producendos.

Prodésse eam ut curati sint promptiores ad obediendum, et curam melius exerceant, dum sciunt se facile amovendos, sapienter advertit *Pignatelli*.

Item posse interdum perutilem esse nonnullorum curatorum ad alias parœcias aliave munera migrationem, atque ejusmodi mutationes ex eorum amovibilitate *multo facilius expediri*, nullus inficias ibit.

b) Effectus autem *mali* qui inde pariter oriri possunt, *non necessario* ex ipsa curatorum amovibilium conditione sequuntur.

Nam, quod quis Episcopus, ex aliquo abreptus non secundum scientiam zelo, incautave mutationum prurigine, perturbationem molestiamve gravissimam suo clero inferat, ex quo et non parva suboriantur incommoda et detrimenta, id non necessario consequitur, sed *per accidens*.

Idem dicendum est de cæteris nocivis effectibus, quibus aperiri januam per amovibilitatis institutionem, fuso, et quandoque etiam minus temperato calamo, nonnulli hodierni scriptores conquesti sunt. — Hæc nempe facilem abusum plus minusve probant, malam *intrinsece* rem, aut Ecclesiæ bono *per se* adversam, non arguunt. — *Bouix, De parocho, loc. cit., cap. 4*.

c) Cæterum, posita parochorum *inamovibilitate*, et hic similiter *abusus* præ foribus est, cum et accidere possit ut, hac ipsa perpetuitate fretus, parochus negligenter munere suo fungatur, in corrigentem Episcopum facilius insolescat, aliisque modis in transversum agatur.

Quæ tamen omnia, cum *per accidens*, non vero necessario ex perpetuitate fluant, non ideo *per se* adversa Ecclesiæ bono inamovibilium parochorum institutio dicenda erit. — *Bouix, loc. cit.*, § *2*.

1015. **IV. Amovibilitas quorumdam parochorum inducta est occasione legum civilium in Gallia.**

a) Nec in Concordato, nec in bullis subsequentibus, neque in decreto exsecutoriali cardinalis Caprara, ullum verbum habetur de altera specie parochorum qui dicuntur *succursalistæ;* sed, pro omnibus parœciis novæ circumscrip-

tionis, *unica proponitur species parochorum*, qui nempe omnes a Gubernio sunt *approbandi* et *dotandi*, ac proinde omnes æque *perpetui* seu *inamovibiles*.

b) Verum *Articuli organici* statuerunt :

« Il y aura au moins une *paroisse* par justice de paix. — Il sera en outre établi autant de *succursales* que le besoin pourra l'exiger. » — *Art. 60.*

« Les vicaires et desservants exerceront leur ministère sous la surveillance et la direction des curés. — Ils seront approuvés par l'Évêque et *révocables* par lui. » — *Art. 31.*

Porro, in jure, ecclesia succursalis est ecclesia filialis, id est adjutrix, seu *pars* ac *membrum* ecclesiæ parochialis, pro commodiori curæ exercitio ac sacramentorum administratione. Qui curam animarum in succursali exercet, is parochi matricis ecclesiæ *vicarius* est, ideoque curam exercet non *proprio nomine*, sed alieno, et sub alterius ductu.

c) Episcopi autem, metuentes ne magnum spirituale detrimentum sequeretur si deservitores succursalium non essent *veri parochi*, mediam viam inierunt inter id quod a Gubernio requiri intellexerant, et regimen quod olim in præfatis ecclesiis obtinebat.

Retenta igitur *succursalium* denominatione, limites earum definierunt, et deservitores seu succursalistas constituerunt *omnibus juribus parochialibus* gaudentes, una inamovibilitatis prærogativa excepta. — *Cf. de Brabandère, Juris can. compend.*, *n. 492.*

d) Nec reclamavit cardinalis Caprara contra succursalistarum amovibilitatem.

Re quidem vera, spectatis infaustissimorum illorum temporum difficultatibus, *inamovibilitas omnium parochorum* poterat tunc esse valde *periculosa*. — Nam, ex presbyteris quos Episcopi deputare cogebantur ad curam animarum, alii erant recens conversi a schismate ad unitatem catholicam, alii vixerant hactenus in Congregationibus religiosis absque ullo experimento regiminis parochiarum, alii sacris ordinibus initiati fuerant ob temporum necessitates, in sacra disciplina haud sufficienter informati ; ideoque *provida ratione*

Antistites nostri consuluerant regimini diœceseon per institutionem rectorum amovibilium.

1016. V. **Hodie in regimine dictarum succursalium nulla immutatio facienda est.**

a) Hanc disciplinam quæ, fatentibus concilii Turonensis Patribus, « tot indubie salutaria et perutilia rectæ diœceseon administrationi, animarum bono, ipsiusque cleri ac religionis honori consectaria habuit, et etiamnunc habet », legitimam declaraverunt *concilia provincialia* in Galliis celebrata.

b) Episcopus *Leodiensis* in Belgio, a S. Cong. Concilii, anno 1845, petiit « an, attentis præsentium rerum circumstantiis, in regionibus in quibus, ut in Belgio, sufficiens legum civilium fieri non potest immutatio, *valeat* et *in conscientia obliget*, usque ad aliam S. Sedis dispositionem, disciplina inducta post Concordatum anni 1801, ex qua Episcopi jurisdictionem pro cura animarum conferre solent parochis *ad nutum revocabilem*, et illi, si revocentur vel alio mittantur, *teneantur obedire?* »

Summus Pontifex Gregorius XVI, « universa rei, de qua in precibus, ratione mature perpensa, gravibusque ex causis animum suum moventibus, *benigne annuit* ut in regimine ecclesiarum succursalium de quibus agitur, *nulla immutatio fiat, donec aliter a S. Apostolica Sede statutum fuerit* ».

Eadem responsio jussu Pii IX data est Episcopo *Ebroicensi*, anno 1864, et Archiepiscopo *Avenionensi*, anno 1866.

c) Unde, quæstio de amovibilitate succursalistarum reponitur inter *causas majores* Sedi Apostolicæ reservatas.

Eam ob causam, cum synodus provinciæ *Rhemensis*, habita anno 1849, decretum edidisset de augendo numero parochorum inamovibilium, S. Congregatio ab hujus decreti executione supersedendum duxit.

1017. **VI. Ut remotio parochi etiam amovibilis legitime fiat,** *aliqua gravis causa necessaria est.*

a) Quemadmodum nemini licet ab ecclesia cui adscitus

est *recedere*, ita nec Episcopo liberum est clericos, præsertim parochos, ab ecclesia cui semel adscripsit *removere*, sine causa severitate canonica discussa. — *Cf. n. 606 et seq.*

Etenim, qui præcipit ut clerici in sua ecclesia *perseverent*, *permaneant*, et prohibet ne *incertis vagentur sedibus*, eodem actu vetat ne Prælatus eos ejiciat sine causa legitima : quoniam aliter præceptum maneret sine effectu, et omnia mala consequerentur quæ legislator præpedire intendit. — *Pierantonelli, Praxis fori eccles., tit. 4, num. 8.*

b) Neque *mutatio*, seu *translatio*, facienda est absque legitima et sufficienti causa.

Unde, necesse est ut « Episcopi hac rectores revocandi vel transferendi auctoritate *haud frequenter*, et nonnisi *prudenter* ac *paterne* utantur, adeo ut sacri ministerii *stabilitati*, quantum fieri potest, ex hisce rerum adjunctis satis consultum videatur ». Sub his enim conditionibus, quas expressit Episcopus *Leodiensis* in suo supplici libello, præfata Sac. Cong. Conc. responsio data est.

1018. **VII**. Attamen, causam remotionis aut translationis Episcopus non tenetur manifestare, multoque minus probare ; **nec generatim ullus datur parocho ad Superiorem recursus.**

a) Recursus quidem daretur, juxta communem Doctorum sententiam, et consonam Sacrarum Congregationum praxim,

1º Si amotio fiat ex legitime præsumpto vel aperto *odio*.

2º Si cedat in *infamiam* revocati ; v. gr. si quis ex dictis parochis, viribus pollens, *sine causa* revocetur, quin simul alteri parochiæ vel muneri præficiatur ; tunc enim ex gravi culpa remotus censetur.

3º Si remotio notabile ipsi *damnum* inferat ab amissione beneficii diversum, aut cedat in damnum tertii, præsertim parochiæ.

b) Sed *parocho probandum* incumbit damnum ab Episcopo illatum. — *Cf. Bouix, De parocho, p. 418 et seq.*

1019. **VIII**. Ne clericus « cum summo ordinis dedecore

mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere » cogatur *(Trid., sess. 21, cap. 2, De ref.)*, **debet Episcopus amoti clerici necessitatibus subvenire,** si destitutus aliunde non habeat unde vivere possit. — *Cf. varias causas amotionis paroch. apud S. C. Concilii.*

Non tamen pensio solvenda esset clericis ratione *delicti* destitutis, si clericus sit *contumax,* et timendum sit ne forte foveantur *scandala* si, non obstante hac contumacia, ipsius necessitatibus provideatur.

CAPUT X.

DE VICARIIS PAROCHIALIBUS.

Vicarii quos *parochiales* simpliciter appellamus, illi sunt qui deputantur ad *auxiliandum* parochis parochiam suam administrantibus et in ea residentibus, eorumque vices gerunt in munere pastorali.

Agendum est : de eorum institutione et remotione; — de eorum facultatibus; — et de congrua ipsis adsignanda.

ARTICULUS I.

DE INSTITUTIONE ET REMOTIONE VICARIORUM PAROCHIALIUM.

1020. **I. Ad ipsum parochum pertinet, de jure communi, vicarios sibi eligere.** — Quod probatur :

a) *Ex concilio Tridentino, sess. 21, cap. 4, De ref.* — Dum enim decernunt Tridentini Patres ut Episcopi « in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, ubi populus ita numerosus est ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, *cogant* rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum », aperte et æquivalenter nominationem hanc *parochis ipsis tribuunt.* Nam, si vicarius nominetur ab Episcopo, et sola auctoritate Episcopi deputetur, jam non potest *cogi* parochus ad adjungendum sibi vicarium; siquidem, ea ipsa Episcopi nominatione et deputatione, jam adjunctus est et constitutus.

b) Ex constitut. *Apostolici ministerii*, Innocentii XIII, *13 mai 1723*, quam confirmavit Benedictus XIII, constitutione *In supremo, 23 sept. 1724.*

c) Et idem constat ex variis *S. Cong. Concilii* declarationibus, nec non ex communi *Doctorum* sententia.

d) Probatur etiam ex principio generaliter admisso : illius esse sibi adjungere auxiliares qui habet jurisdictionem *ordinariam*, nisi jus obstiterit.

1021. **II. Ad Episcopum pertinet determinare utrum et quot vicarios adjutores debeat parochus sibi adjungere,** ut constat ex citatis concilii Tridentini verbis.

a) « Quod si parochi ab Episcopo moniti, congruo iisdem termino præfixo, coadjutores sive vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere *neglexerint*, poterunt *ipsi Episcopi* eos quos huic muneri idoneos censuerint auctoritate propria deputare ». — *Constit. Apostolici ministerii, Innocentii XIII, § 11.*

b) Item, si vicarii a parochis electi *qualitatibus* opportunis careant, nec parochi intra terminum ab Episcopo præfixum alios vere idoneos nominaverint, tunc pariter ad ipsos Episcopos libere spectat deputatio. — *Constit. Innocentii XIII, loc. cit.*

1022. **III. Vicarii a parochis nominati debent ab Episcopo approbari.**

a) Ex citata enim constitutione Innocentii XIII, « ubi prædicti vicarii temporarii a parochis nominati vel assumpti fuerint, eorum *de idoneitate Episcopis constare* per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec satis sit quod ad confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus ad curam animarum recte exercendam opportunis præditi noscantur ».

b) Episcopus *denegare* nequit approbationem personæ dignæ eam petenti. In hoc enim non procedit per viam gratiæ, sed magis ut *judex* et per justitiam.

Revera, sacerdos ex ipso sacerdotio eligibilis est ad curam animarum, et ideo *jus habet* ad petendum examen de sua idoneitate. — Ex alia vero parte, Episcopus, consentiendo examini, eo ipso *se obligat* ad approbandum sacerdotem examinatum, si idoneus inveniatur.

c) Nec Episcopus sine causa *revocare* potest approbationem vicario semel datam.

Nam, qui semel tanquam idoneus approbatus est, non est tanquam indignus rejiciendus, nisi constet eum factum esse indignum.

Insuper, approbatio non est gratia, vel favor, sed *juridica* quædam declaratio ex justitia *debita ;* ergo non potest *juste* revocari *sine causa.*

1023. **IV. De jure communi, vicarius ab ipso parocho removeri quoque potest.**

Jus enim nominationis et jus revocationis sunt *correlativa,* juxta regulam 1am juris : « *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* ».

Alioquin, potestas parochi vicarios sibi eligendi prorsus *vana* et *illusoria* evaderet, si, quoties aliquem sibi assumpsisset parochus in vicarium, statim posset Episcopus eumdem removere.

1024. **V. In Gallia, vicarii parochorum ab Episcopo nominantur, atque ad ejus nutum transferuntur aut removentur.** — Hæc disciplina in *diuturna* et *legitima consuetudine* fundatur.

a) Notæ sunt difficultates, *ait Bouix,* quæ, ab ineunte sæculo decimo nono ad hunc usque diem, obstitere ne in ordinandis clericis servari potuerint juris communis quoad *ordinationis titulos* dispositiones.

Porro, si vicarii, qui exstant in Gallia quamplurimi, a parochis ipsis pro nutu assumerentur et removerentur, frequenter contingeret aliquem presbyterum omni prorsus ecclesiastico munere, atque adeo *sustentatione omni carere.* — Id olim contingere nequibat ; siquidem vicarius a parocho remotus, utpote qui debuerat ad titulum vel *beneficii* vel *patrimonii* ordinari, suum adhuc, relicto vicariatus munere, retinebat beneficium vel patrimonium.

Hinc, ex ipsa dictum præcavendi incommodum *necessitate* consequitur ut *penes Episcopum* esse debeat vicarios illos nominare et revocare, nec non pro opportunitate ad alia munera transferre. — *Bouix, De parocho, pag. 660.*

b) *Sancta Sedes indulsit* ut hæc disciplina servetur, donec aliter ab ipsa ordinatum fuerit.

Sacra enim *Congregatio Concilii,* interrogata an servandus sit usus in Galliarum diœcesibus obtinens, quo vicariorum nominatio exclusive pertinet ad Episcopum, *die*

14 aug. 1863, Episcopo Aturensi respondit : « Attentis peculiaribus circumstantiis, *servandum esse usum* in cæteris diœcesibus obtinentem, usque dum aliter fuerit a S. Sede declaratum ».

Verum, nequit licite vicarius amoveri absque *honesta* et *rationabili causa;* et amovendorum honori consulendum est, juxta ea quæ dicta sunt de parochis amovibilibus. — *Cf. n. 1019.*

1025. **VI. Regulariter, clerici sæculares non tenentur vitam communem ducere.**

Unde, secluso casu legitimæ *consuetudinis*, Episcopus non potest *cogere*, sed tantum *hortari* parochum ut vicarios suos recipiat in presbyterio et nutriat, æquo pretio soluto. — *S. C. C., in Aturensi, 14 aug. 1863.*

ARTICULUS II.

DE JURISDICTIONE VICARIORUM PAROCHIALIUM.

1026. **I. Vicariorum parochialium potestas**, cum tota pendeat ex Superioris delegatione, determinatur ex *litteris deputationis*, ex *praxi* et *consuetudine*, nec non ex *statutis diœcesanis*.

a) Plerumque vicarius deputatur ad *universalitatem causarum*, nempe ad omnes functiones parochiales et ad omnia sacramenta administranda. — *Cf. n. 235 et seq., ubi de jurisdictione delegata.*

b) Vicarius ad universalitatem causarum deputatus, cum sit *quasi-ordinarius*, probabilius potest, etiam extra territorium parœciæ, imo extra diœcesim, non modo *absolvere* parochianos, sed et eorum *matrimoniis* valide adsistere, nisi obstent consuetudo et statuta diœcesium. — *Cf. n. 180.*

Et *subdelegare* potest, non quidem ad audiendas confessiones, cum Episcopus soleat jurisdictionem cum *approbatione* conferre, sed ad adsistendum *matrimonio* in aliquo particulari casu. — *Cf. n. 237.*

1027. **II. Hæc vicariis jurisdictio tribuitur, ut eam exerceant de licentia parochi.**

a) Cum enim vicarii nomine parochi ejusque loco munera pastoralia exerceant, non tantum ab Episcopo, sed et *ab ipso parocho dependent* eique sunt *subordinati*. — Hoc exigit natura ipsa eorum delegationis; hoc exigit bonus ordo in parochia servandus, et unitas regiminis in omni hierarchiæ gradu constituta.

Ista subordinatio quandoque *expressis* terminis ab Episcopo in litteris delegationis præscribitur.

Unde vicarius, v. g., non sibi assumat delegare ad functiones publicas sacerdotem extraneum, præsente parocho.

b) Cæterum, etsi vicario omnia generatim commissa sint, præ oculis tamen habenda est *regula 81 juris, in 6o :* « *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus* » ; ac proinde vicarius ad parochum deferre debet negotia quæ communiter *graviora* reputantur.

c) Vicarii « *nominis sui meminerint*, aiunt Patres concilii provinciæ Turonensis, an. 1849; quamvis enim sint approbati et missi *ab Episcopo*, atque ad solum ejus nutum revocabiles, *vice tamen parochi* tantum, et *sub ejus directione*, sacro ministerio inservire debent, nedum ipsis liceat contra ejus auctoritatem aut voluntatem attentare. Sint igitur *subjecti*, *obedientes*, *benevolenti animo*, ad omne opus bonum sibi injunctum *semper expediti*, atque parochum senio vel infirmitatibus gravatum, quantum in ipsis est, exonerent et filiali obsequio consolentur ». — *Acta concilii, in civit. Rhedonen. celebr., decret. 10, § 6.*

d) Vicissim « *parochos*, quibus in adjutorium ministerii adjunguntur vicarii sacerdotes, *monet eadem synodus* ut eos *paterno affectu* suscipiant, per teneræ *caritatis* officia sibi devinciant, semper memores se illius esse ministros qui subditorum *patres*, non dominos, jubet esse quos aliis præficit. — Cum sit præcipui eorum muneris eos ad pastoralis muneris exercitium præparare et informare, paulatim varias functiones obeundas iis pro sua prudentia commit-

tant. Juniores præsertim consiliis quæ suppeditat experientia adjuvent ». — *Loc. cit.*

1028. **III. Vicarii non possunt discedere, et abesse a parochia, absque expressa parochi licentia.**

a) « Vicarii non debent *etiam ad breve tempus* abesse, nisi sciente et consentiente parocho. » — *Synod. prov. Turon., an. 1849, decr. 13, § 4. — Cf. S. C. C., 3 oct. 1735.*

b) Attento *jure communi*, sola sufficit licentia parochi ut vicarius absit etiam per tempus satis longum, dummodo ex ejus absentia cura parochiæ nihil detrimenti accipiat. Sed *statuta diœcesana* plerumque requirunt Episcopi licentiam ut vicarius abesse possit ad quindecim dies.

ARTICULUS III.

DE CONGRUA VICARIIS PAROCHIALIBUS ADSIGNANDA.

1029. **I. Ad Episcopum pertinet determinare congruam vicariis parochialibus adsignandam.** — *Constit. Apostolici ministerii, Innoc. XIII; — Trid., sess. 21, cap. 6, De ref.*

a) Determinanda est hæc congrua « in ea *quantitate* quæ Episcopo, *pro suo prudenti arbitrio* et conscientia, conveniens videbitur, ratione videlicet habita reddituum et emolumentorum ecclesiæ parochialis in qua deputati fuerint, necnon inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris et quantitate expensarum quas commissi officii necessitas postulaverit ». — *Constit. Apostolici ministerii, Innoc. XIII.*

b) Hæc congrua *desumenda* est ex *redditibus ecclesiæ parochialis*; vel, si redditus non sufficiant, a *parochianis* præstanda est, qui ab Episcopis compelli possunt ad ea ministranda quæ sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam. — *Trid., sess. 21, cap. 4, De ref.*

1030. **II. Oblationes quæ fiunt occasione alicujus functionis parochialis et administrationis sacramen-**

torum, generatim *ad parochum pertinent*, licet illæ functiones a vicario peragantur.

Sed, ex legitima *consuetudine*, ex *statutis* diœcesanis, aliqua pars harum oblationum reservari potest pro *vicariorum* sustentatione. Et hanc reservationem Episcopus facere potest. — *Cf. n. 955.*

1031. **III. In Gallia**, *pensio annua* 450 francorum, in parochiis quæ non habent 5,000 incolarum, a Gubernio singulis vicariis solvitur, quando erectio vicariatus ab ipso *approbata* est. — *Decret. diei 31 jul. 1821.*

a) « Le traitement des vicaires datera du jour de leur installation, constatée par le bureau des marguilliers. » — *Ordonnance du 13 mars 1832, art. 2.*

Le *procès-verbal* de cette installation doit être adressé à l'*Évêque diocésain*, et au *Préfet* du département, pour servir à la formation des états de paiement. — *Ibid., art. 3.*

b) « Le nombre de prêtres et de vicaires habitués à chaque église sera fixé par l'Évêque, après que les marguilliers en auront délibéré, et que le conseil municipal de la commune aura donné son avis. » — *Décret du 30 déc. 1809, art. 38.*

c) Articulus 39 ejusdem decreti hæc statuebat : « Si dans le cas de la nécessité d'un vicaire, reconnue par l'Évêque, la fabrique n'est pas en état de payer le *traitement*, la décision Épiscopale devra être adressée au préfet, et il sera procédé ainsi qu'il est expliqué à l'article 49, concernant les autres dépenses de la célébration du culte, pour lesquelles *les communes suppléent* à l'insuffisance des revenus des fabriques. »

Verum hic articulus *abrogatus est* per articulum 136 legis de regimine municipiorum, *5 apr. 1884.*

d) « Les *annuels* auxquels les fondateurs ont attaché des honoraires, et généralement tous les annuels emportant une rétribution quelconque, seront donnés de préférence aux *vicaires*, et ne pourront être acquittés qu'*à leur défaut* par les prêtres habitués ou autres ecclésiastiques, à moins qu'il n'en ait été autrement ordonné par les fondateurs. » — *Décret du 30 décembre 1809, art. 31.*

CAPUT XI.

DE VICARIIS CURATIS, DE VICARIIS ADMINISTRATORIBUS, ET DE COADJUTORIBUS PAROCHORUM.

ARTICULUS I.

DE VICARIIS CURATIS.

1032. **I. In parochiis quæ perpetuo unitæ et adnexæ reperiuntur** cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, collegiis aut piis locis, decrevit Tridentina synodus ut constitueretur *vicarius* ad curam animarum exercendam. — *Trid., sess. 7, cap. 7, De ref.*

Hujusmodi sunt, ex. gr., in Gallia, parochiæ Capitulis cathedralium adnexæ.

a) Rector principalis, id est Capitulum, monasterium, non retinet nisi curam *habitualem*, nec potest in exercitio curæ sese intromittere; vicarius autem curatus totam curam *actualem* habet.

b) Porro, vicarius curatus, quando parochus principalis habitualem dumtaxat curam habet, est *verus et proprie dictus parochus*, cum *actualis cura* penes ipsum *tota* resideat *independenter* a principali parocho, ideoque illam habeat *proprio nomine* exercendam.

1033. **II. Vicarii curati in parochiis unitis, « non ad liberam Ordinariorum electionem**, sed ad nominationem eorum *in quorum ecclesiis unitis ponuntur*, cum ipsorum Ordinariorum prævio examine et approbatione deputentur ». — *Constit. Pii V, Ad exsequendum. — Cf. num. 855.*

a) *In Gallia* igitur, nominatio Vicarii curati in plerisque ecclesiis cathedralibus, de jure communi, non ad Episcopum, sed ad *Capitulum* pertineret.

b) Verum, a tempore Concordati, *consuetudo* inducta est in favorem *Episcoporum* ut et hujusmodi vicarios curatos deputent. — *Cf. resol. S. C. negotiis extraord. præpositæ, in Tarbien., 19 jul. 1888.*

ARTICULUS II.

DE VICARIIS ADMINISTRATORIBUS.

Vicarii administratores sunt illi qui, *vacante parochia*, vel *absente parocho*, ad regendam parochiam deputantur, donec vel revertatur parochus, vel novus constituatur. — *Cf. Trid., sess. 6, cap. 2; sess. 22, cap. 1; sess. 24, cap. 18, De ref.*

1034. **I. In legitima parochi absentia,** *nominatio* vicarii regulariter spectat ad *parochum;* sed postea nominatus *approbandus* est ab *Episcopo :* « Quandocumque, *ait conc. Trid., sess. 23, cap. 1, De ref.*, eos (parochos), causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis adsignatione, relinquant ».

1035. **II. In parochia vacante,** nominatio vicarii pertinet ad *Episcopum*, qui debet, « statim habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis adsignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur ». — *Trid., sess. 24, cap. 18, De ref.*

1036. **III. Vicarii administratores, sicut quoad jura, ita quoad obligationes parum a parochis differunt.**

a) Vacante parœcia, vicarius administrator tenetur ad applicationem Missæ pro populo. — *S. C. Conc., in Briocen., 23 aug. 1888.*

b) Utrum jurisdictio vicarii administratoris *in parochia vacante* constituti sit *ordinaria, quasi-ordinaria*, vel *delegata ad universalitatem causarum,* disputant Auctores.

Hac de re interrogata S. C. C., controversiam dirimere

noluit, sed, ad quæstionem practicam : « An œconomus curatus, vacante parochia, ab Episcopo constitutus in vim dispositionis *conc. Trid., sess. 24, cap. 18,* possit alium sacerdotem *delegare* ad *omnia* officia, vel ad aliquos tantum actus ? » die 12 sept. 1874 respondit : « *Affirmative ad primam partem,* nisi obstet voluntas Ordinarii ».

ARTICULUS III.

DE COADJUTORIBUS PAROCHORUM.

1037. **I. Coadjutor parochi proprie dictus** differt a vicario parochiali, et est sacerdos ad auxiliandum parocho, in regimine ecclesiæ parochialis, *auctoritate Ordinarii* deputatus, *ex causis a jure determinatis.*

Coadjutores distinguuntur in *temporaneos*, seu absque futura successione, et *perpetuos*, nempe cum futura successione. Sed nequit Episcopus coadjutores perpetuos deputare. — *Cf. Trid., sess. 25, cap. 7, De reformatione.*

1038. **II. Coadjutor dari potest :**

a) Cum, ex aliqua *perenni corporis* aut *animi infirmitate,* jam nequit parochus parœciam suam recte regere. — *Ita Doctores unanimiter,* ex variis capitibus juris quæ recte coadjutoribus parochorum applicantur.

Equidem, benigna Mater Ecclesia statuit parochum propter infirmam valetudinem non posse a suo loco dimoveri, ne afflictio afflictioni addatur. — *Cf. tit. De clerico ægrotante vel debilitato.*

Verum, quando infirmitas parochi *temporanea* est et curabilis, locus non est deputationi coadjutoris proprie dicti, sed potius assumptioni *vicarii* temporanei.

b) Potest quoque dari coadjutor illi parocho qui necessaria ad officium suum *scientia* destitutus reperitur. — *Trid., sess. 21, cap. 6, De ref.*

Et hac lege Tridentina attinguntur etiam parochi *exempti*, cum Episcopis tribuatur dicta potestas etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis.

1039. **III. Potest Episcopus parochis etiam invitis coadjutores dare** ob causas canonicas supra expressas; et *congrua* coadjutoris *ab Episcopo determinanda* est et taxanda.

Attamen a decreto Episcopi parochus *appellare* potest, ad effectum etiam *suspensivum*, si coadjutor datus sit ob causam *infirmitatis* animi aut corporis; et ad effectum tantum *devolutivum*, si ob causam *imperitiæ* fuerit deputatus. — *Trid., s. 21, c. 6, De ref. — Constit. Ad militantis, § 12.*

1040. **IV. Jura et officia coadjutoris** determinantur ex *causis* ob quas datus est, ex *litteris* deputationis, ex *praxi*, et ex *statutis diœcesanis.*

a) Remanet coadjuto *residendi* onus; et ipsum coadjutorem ad residendum teneri tradunt communiter Doctores. — *Cf. Bouix, De paroch., p. 539.*

b) Si parochus *omnino inhabilis* evaserit, ad coadjutorem pertinet parochiam regere perinde ac si ipse parochus esset.

CAPUT XII.

DE CAPELLANIS.

De capellanis *Communitatum* quæ *exemptæ* sunt a jure parochiali egimus *num. 913 et seq.*

Aliquid dicendum superest de capellanis militum et navium, — nec non de capellanis et confessariis Monialium.

ARTICULUS I.

DE CAPELLANIS MILITUM ET NAVIUM.

1041. **I. De jure communi,**

a) Si milites, in castris aut papilionibus exsistentes, non habeant *capellanum castrensem* pro animarum cura a S. Sede deputatum, vel ab Ordinario in cujus diœcesi exsistunt approbatum, *vagis* adnumerantur. — Consequenter, eorum parochus erit ipse parochus loci in quo *pro tempore* exsistunt. — *Cf. n. 911.*

b) *Capellani* militum, si sint specialiter *delegati a Summo Pontifice*, aut a *Capellano majori* quem Ipse approbaverit, possunt *ubique* facultates suas exercere juxta tenorem indulti, absque ulla Episcoporum approbatione.

c) Si capellanus jurisdictionem suam *ab Episcopo* acceperit, et contigerit exercitum duci in aliam diœcesim, debet recurrere ad *Ordinarium loci*, quia delegationes non extenduntur ultra territorium concedentis.

Attamen, in *itinere* et in *castris*, ex tacito Episcoporum consensu, ut fert consuetudo universalis, milites extra diœcesim Episcopi approbantis absolvere potest.

1042. **II. Ad præcavendum difficultates,** illæsis juribus Episcoporum, SS. Pontifices sæpe dederunt *indulta.*

Summus Pontifex Pius IX, litteris Apostolicis *Quæ supremi,* 31 mart. 1857, plures prærogativas tribuerat *supremo*

Eleemosynario, seu Imperialis sacelli Capellano qui tunc temporis erat.

Cum vero, quibusdam abhinc annis, cessaverit officium majoris Capellani, Summus Pontifex, *brevi Apostolico Quæ catholico nomine, 6 jul. 1875*, necessitatibus spiritualibus animarum providit hæc statuendo :

a) Quamdiu Gallorum copiæ *in stativis habeantur*, eorum locorum Archiepiscopis aut Episcopis capellani militum præsidiarii in spiritualibus subjiciantur.

b) Quum eadem copiæ e stativis *eductæ fuerint* (*mobilisées*), singuli capellanorum, tam *in ditione* quam *extra ditionem Reipublicæ Gallorum*, omnes et singulas facultates exercere libere et licite valeant quibus in diœcesi, ex concessione proprii Archiepiscopi vel Episcopi, utebantur antequam copiæ stativa reliquissent.

c) Alias facultates S. Pontifex adjecit quibus capellani possint:

1º Una etiam hora, vel ante auroram, vel post meridiem, ac, necessitate id urgente, *extra ecclesiam* et sub dio, decenti tamen in loco, super altari *portatili* lapide sacro et necessaria ad id supellectili instructo, *præsentibus quoque infidelibus*, *hæreticis* atque *excommunicatis*, dummodo aliter fieri nequeat, et absit periculum scandali et irreverentiæ, sacrum peragere, illudque, necessitate pariter urgente, servatis tamen servandis, *bis eodem die* facere; nec non, qualibet feria secunda vel tertia non impeditis, unam Missam *de Requiem* super eodem altari portatili celebrare.

2º Singulis Christifidelibus qui Gallorum vel in exercitu militant, vel in re præsenti quovis modo *ad exercitum pertinuerint*, Ecclesiæ *sacramenta* ministrare, eosque *absolvere* a quibusvis reatibus *reservatis* tum Sedi Apostolicæ, tum Ordinariis locorum per quæ exercitus iidem transeant, vel in quibus consistant.

3º Iisdem Christifidelibus qui, vere pœnitentes et confessi, ac sacra communione refecti, dominica Resurrectionis, et festivitatibus Nativitatis Domini, et Immaculatæ Concep-

tionis, et Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, pro christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, *plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem*, etiam defunctis applicabilem, concedere.

4° Tandem, vasa, tabernacula, vestes, ornamenta, et quidquid ad cultum divinum spectet, et spirituali servitio sit necessarium, *benedicere*.

His facultatibus uti valent capellani militum *durante tantum expeditione*, quin eas Ordinariis locorum per quæ aut exercitus transeat, aut in quibus expeditionis causa constiterit, subjicere teneantur.

1043. **III. Capellani navium,** aliique sacerdotes iter arripientes, ex diuturna *consuetudine* confirmata a *S. C. Sancti Officii*, possunt « *ab Ordinariis locorum unde naves solvunt* approbari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium *confessiones* valide et licite excipere valeant, usquedum perveniant ad locum ubi alius Superior jurisdictione pollens constitutus sit ». — *17 mart. 1869, ad Episcopum Nannetensem.*

Attamen, ad *Missam* in navi celebrandam, Apostolicum indultum requiritur. — *Cf. Bened. XIV, de sacrif. Missæ, lib. 3, cap. 6.*

1044. **IV. In Gallia, civilis potestas** aliquem concursum sibi vindicat in *nominatione* capellanorum collegiorum, hospitalium, carcerum, militum et navium.

a) « Les aumôniers des *hospices* sont nommés par les Évêques diocésains, sur la présentation de trois candidats par les commissions administratives. » — *Décret du 31 octobre 1821, art. 18.*

b) « Les aumôniers des *collèges* sont nommés par le ministre de l'instruction publique. » — *Ordonnance du 8 avril 1824, art. 2.*

c) « Les préfets nommeront directement, sans l'intervention du Gouvernement, et sur la présentation des

divers chefs de service, les aumôniers des *maisons d'arrêt*, de justice et de correction. » — *Décret du 13 avril 1861, art. 5.*

d) « Les aumôniers *militaires* sont nommés par le ministre de la guerre, sur la présentation des Évêques ou des Consistoires, qui lui font parvenir leurs propositions par l'intermédiaire du ministre des cultes. » — *Décret du 27 avril 1881, art. 3.*

« Il sera attaché des ministres des différents cultes aux camps, forts détachés, et autres garnisons placées hors de l'enceinte des villes, contenant un rassemblement de 2,000 hommes au moins, et éloignés des églises paroissiales et des temples de plus de trois kilomètres, ainsi qu'aux hôpitaux et pénitenciers militaires. » — *Loi du 8 juillet 1880, art. 2.*

« *En cas de mobilisation*, il est attaché un aumônier catholique à chaque quartier général d'armée, à chacune des diverses ambulances des corps d'armée, à chaque division de cavalerie, et à chaque division active de l'armée territoriale. » — *Décret du 27 avril 1881, art. 1.*

e) Les aumôniers de *marine* sont nommés par le ministre de la marine, sur la présentation de lettres testimoniales fournies par les Évêques, depuis que la charge d'aumônier en chef de la flotte a été supprimée.

ARTICULUS II.

DE CAPELLANIS ET CONFESSARIIS MONIALIUM.

Agendum est : de duplici Monialium confessario ; — de approbatione et deputatione confessarii Monialium ; — de ejusdem qualitatibus ; — et demum, de confessariis Monialium quæ vota solemnia non emiserunt.

§ I. DE CONFESSARIIS MONIALIUM ORDINARIO ET EXTRAORDINARIO.

Ad excipiendas confessiones Monialium regularium quæ *vota solemnia* profitentur, ideoque sub *clausura* vivunt,

duplex confessarius deputandus est, *ordinarius* scilicet et *extraordinarius*.

1045. **I. Generaliter statutum est ut, pro singulis Monialium monasteriis, unus dumtaxat confessarius ordinarius deputetur,** neque liceat unicuique Moniali peculiarem confessarium pro libitu sibi deligere. — *Benedictus XIV, constit. Pastoralis curæ, 5 aug. 1748.*

Verum Moniales quæ extra monasterium *per accidens* versantur, *cuilibet confessario* pro fidelibus approbato confiteri possunt, quia constitutiones SS. PP. non videntur intelligendæ nisi de Monialibus in monasteriis degentibus. — Præterea, nimium *incommodum* adesset si Moniales peregrinæ solis confessariis specialiter approbatis confiteri deberent; sæpe enim carere deberent sacramentis Pœnitentiæ et Eucharistiæ. — *S. C. Episc. et Reg., 27 aug. 1852; 22 apr. 1872.*

1046. **II. « Præter ordinarium autem confessorem, alius extraordinarius,** ab Episcopo aut aliis Superioribus, *bis* aut *ter* in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. » — *Trid., sess. 25, cap. 10, De regul.*

a) Quod quidem non alia de causa præscriptum fuit quam quia satis constabat nonnullas aliquando Moniales esse, quæ nulla ratione adduci possunt ut aliquod peccatum suum *ordinario* confessario confiteantur, adeo ut necesse omnino sit alterius confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis *integre*, *rite* atque *utiliter* confiteri possint. — *Bened. XIV, ibid.* — *Cf. S. Thom., Suppl., q. 8, art. 4, ad 6.*

b) Usu invaluit ut hæc confessarii extraordinarii deputatio *Quatuor anni Temporibus* fiat.

1047. **III. Non tamen omnibus et singulis Monialibus præcipitur ut peccata sua extraordinario sacerdoti confiteantur.**

a) Nihil enim aliud requiritur ab omnibus in monasterio degentibus, tam scilicet a Superiorissa cæterisque Monialibus professis atque novitiis quam a sæcularibus quæ,

vel educationis causa, vel alio titulo, in eodem monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario confessario *se sistant*, sive ad sacramentalem confessionem apud ipsum si placuerit peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem confessionem, ab ipso accipienda.

b) Atque ita *prudentissime* consultum est, ne, si Moniales aliquæ extraordinarium confessarium adirent, aliæ autem coram ipso non comparerent, suspiciones atque oblocutiones excitarentur, et illæ quidem censerentur necessarias habuisse causas ob quas ad extraordinarii confessarii opem confugere coactæ essent, aliæ vero ab hujusmodi necessitatibus et causis immunes censerentur vel judicarentur. — *Bened. XIV, cit. const. Pastoralis curæ*, § *3*.

1048. **IV. Si aliqua Monialis confessarium peculiarem sibi concedi petat,** licet universæ communitati bis terve intra annum confessarii extraordinarii copia facta sit, hujusmodi petitioni *indulgendum est.*

a) Summus Pontifex Leo XIII, constit. *Quemadmodum, 17 dec. 1890*, « Præsules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis confessarium *quoties, ut propriæ conscientiæ consulant, ad id subditi adigantur*, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre id ferre demonstrent ».

b) « Ac, ne evanida tam provida dispositio fiat, *Ordinarios* exhortatur, ut in locis propriæ diœceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, *idoneos sacerdotes* facultatibus instructos *designent*, ad quos pro sacramento Pœnitentiæ recurrere eæ facile queant. » — *Cit. constit. Quemadmodum*. — *Cf. n. 1190 et 1191.*

c) Tenentur Superiores subditorum precibus indulgere, quamvis plane videant necessitatem esse *fictam*, et vel scrupulis, vel alio mentis defectu, ut *veram* ab ipso petenti apprehensam. — Subditi tamen moneantur non posse extraordinarios Confessarios patere, *nisi ad id adigantur* ut propriæ conscientiæ consulant. — *S. Cong. Episc. et Regul., 17 aug. 1891.*

d) Sed qui concessus est Monialibus favor recurrendi ad confessarium extraordinarium quoties *ut propriæ conscientiæ consulant ad id adigantur,* non ita limitibus et conditionibus caret ut ipsæ eo uti queant *constanter,* quin unquam confessarium ordinarium adeant, et ne ab Episcopo quidem *redargui* et *impediri* aliquo modo valeant, si rationibus haud probandis aut futilibus ductæ fuerint.

Decretum enim *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituit, *firmo remanente* quod a S. Concilio Tridentino et a constitutione Bened. XIV, *Pastoralis curæ,* præscriptum habetur. — *S. C. Ep. et Reg., 1 feb. 1892.*

e) Et *confessarii adjuncti,* si quando cognoscunt non esse probabilem causam ad ipsos recurrendi, tenentur in conscientia ad *declinandam* confessionum auditionem. — *S. C. Ep. et Reg., eadem die.*

1049. **V. Quo tempore extraordinarius confessor, alicui communitati deputatus, ministerio suo fungitur,** ordinarius confessor nullum ipsi *impedimentum* afferre audeat, multoque minus præsumat per id temporis alicujus Monialis, sive Superiorissæ, sive novitiæ, sive conversæ, neque demum alterius cujusque personæ intra septa monasterii aut piæ domus commorantis, sacramentalem *confessionem audire.*

Nec confessarius *extraordinarius,* postquam officium suum impleverit, ad idem monasterium *ulterius accedere,* aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ aut necessitatis obtentu et colore, audeat aut præsumat. — *Benedictus XIV, ibid., § 17 et 18.*

§ II. DE APPROBATIONE ET DEPUTATIONE CONFESSARII MONIALIUM.

1050. **I. Approbatio et deputatio confessarii, sive ordinarii, sive extraordinarii,**

a) Pendet *ab Episcopo,* si Moniales non sint exemptæ, vel si sint exemptæ, sed immediate S. Pontifici subjectæ. — *Bened. XIV, constit. cit. — Cf. n. 1210.*

b) Quando autem Moniales Prælatis regularibus sunt subjectæ, earumdem confessarii *approbatio* pertinet ad Episcopum loci, *deputatio* vero ad Prælatum regularem. — *Trid., sess. 25, cap. 10, De Regul.;—constit. Inscrutabili, Gregorii XV, 5 feb. 1622, § 5; — Bened. XIV, ibidem.*

c) Confessarii Monialium *eligi* nequeunt ab ipsis Monialibus. — Ex fundatione tamen vel consuetudine, Monialibus competere posset jus sibi eligendi confessarium ab Episcopo approbandum. — *Cf. Ferraris, v. Moniales, art. 5, num. 1 et 85.*

1051. **II. Ejusmodi approbatio specialis esse debet** ad audiendas Monialium confessiones, et pro unoquoque earumdem monasterio, nisi confessarius fuerit approbatus in genere pro Monialibus. — *Cit. const. Greg. XV; — et const. Superna, Clementis X, 21 jun. 1670.*

1052. **III. Si Episcopus extraordinarii confessarii copiam Monialibus suis facere prætermittat,** *cardinalis Major Pœnitentiarius* illum deputat, ex iis tamen qui approbati sunt ab Ordinario ad Monialium confessiones excipiendas.

Si Prælatus regularis, quando ad ipsum pertinet confessarii extraordinarii deputatio, eam omittat, deputatio hæc ad *Episcopum* devolvitur. — *Cit. constit. Pastoralis Benedicti XIV, § 4.*

1053. **IV. Moniales nequeunt recusare unum confessarium, extraordinarium seu ordinarium, et alium petere,** nisi adsignata justa causa recusationis.

Possunt tamen Moniales, etiam sine causa, recusare confessarium extraordinarium, nullum alium loco ipsius petendo, quia confessarius extraordinarius inductus est in earum *favorem*, et « liberum sit cuique juri suo renuntiare ». — *Cap. Si de terra, 6, De privilegiis. — Cf. regulam 61 juris, in 6°.*

1054. **V. Confessarii Monialium constitui nequeunt nisi ad triennium,** quo elapso, ut confessiones *valide* audire pergant in eodem monasterio, *indigent licen-*

tia Sacræ Congreg. Episc. et Reg. — *Cf. Ferraris, v. Confessarius, art. 4, num. 19 et seq.*

Confessarius si, *expleto triennio*, ex dispensatione Sacræ Congregationis eligatur ad aliud triennium, non potest rursus, expleto secundo triennio, absque alia dispensatione eligi ad aliud triennium. — *Ferraris, ibid.*

1055. **VI. Quando ex indulto secundum triennium conceditur,** fere semper requiritur *consensus*, per secreta suffragia præstandus, duarum saltem ex tribus partibus sororum quæ capitulo intersunt.

Si vero quæstio sit de ulterioribus trienniis, requiritur *unanimitas* absoluta earumdem sororum. — *Cf., ex. gr., decis. S. C. Episc. et Reg., 22 apr. 1872; 28 jul. 1876.*

§ III. DE QUALITATIBUS CONFESSARII MONIALIUM.

1056. **I.** « **Monialium confessarii debent esse ætate provecti, prudentes, zelo flagrantes et vita exemplari conspicui.** » — *Enc. Clem. XI, 3 mart. 1703.*

Nec « ullo unquam tempore dubitatum fuit an in hujusmodi sacerdote ætatis maturitas, morum integritas, prudentiæ lumen requiratur; quas quidem dotes in eo qui ad hujusmodi munus adhibetur necessarias esse omnes fatentur ». — *Bened. XIV, constit. Pastoralis, § 9. — Cf. ephem. Le Canoniste contemp., tom. 4, pag. 214 et seq.*

a) *Vicarii generales* munus confessarii Monialium obire nequeunt, ne Moniales de ipsis non confidant. — *Cf. decl. S. C. E. apud Ferraris, verb. Confess., art. 4, num. 24.*

Id a fortiori prohibetur, si Vicarius generalis ab Episcopo sit deputatus ut in moderamine ac ductu Monialium Episcopi vices gerat. Quod enim in una eademque persona fori *interni* ministerium et *externi* regiminis auctoritas cumuletur, uti periculosum respuit S. C. Ep., 28 feb. 1845. — *Cf. Lucidi, cap. 5, num. 155, 427, 434.*

b) Nec parochi illud munus suscipere possunt, nisi cura parochiæ nullum detrimentum exinde patiatur. — *Cf. decis. S. C. Ep., apud Ferraris, loc. cit., n. 25, 30.*

1057. **II. Pro Monialibus Episcopo immediate subjectis,** regula est ut *ordinarius* earum confessarius sit sacerdos sæcularis. — *Extraordinarium* vero, ex Ordinibus Regularibus sæpissime assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat. — *Bened. XIV, constit. Pastoralis,* § *10.*

1058. **III. Monialibus sibi subjectis Prælati Regulares** confessarium designant e suo ipsorum Ordine; extraordinarium etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt. — *Bened. XIV, constit. cit.,* § *10.*

Insuper, Prælati Regulares etiam eisdem Monialibus, semel saltem in anno, in confessarium extraordinarium deputare tenentur vel *sæcularem* sacerdotem, vel Religiosum *alterius Ordinis;* atque, si id negligant, ad Episcopum diœcesanum devolvitur jus talem deputationem perficiendi. — *Innoc. XIII, constit. Apostolici ministerii, 13 maii 1723; et cit. constit. Ben. XIV,* § *11.*

§ IV. DE CONFESSARIIS MONIALIUM QUÆ VOTA SOLEMNIA NON EMISERUNT.

Præmissæ dispositiones generaliter statutæ sunt pro Monialibus quæ vota *solemnia* edunt.

Attamen hujusmodi decreta vim habent etiam pro Monialibus *quæ non emiserunt vota solemnia,* sive ex *motivo* illorum decretorum, sive ex recentioribus SS. Congreg. Rom. *declarationibus,* sive ex *statutis diœcesanis* in Gallia ubique vigentibus.

1059. **I. Ratio legis æque militat pro Monialibus non solemniter professis.**

a) Quæ jure communi decernuntur de Monialium extraordinario confessario, præsertim statuta sunt ob illarum Monialium *clausuram;* ergo eadem adest legis ratio, seu necessitas et utilitas, sive Moniales claustrales emittant vota solemnia, sive simplicia.

b) Benedictus XIV, in cit. constit. *Pastoralis,* enixe hortatur ut eadem disciplinæ forma de confessario extraor-

dinario observetur, « tam cum aliis Monialibus quæ, licet *clausuræ legibus minime adstrictæ sint*, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum aut puellarum cœtibus seu conservatoriis, quoties tam illæ quam istæ *unicum Pœnitentiæ ministrum* a Superioribus designatum habeant; quæcumque enim circa Moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque mulieribus, sive regularibus, sive sæcularibus, in communitate aut collegio degentibus, locum habere possunt, ideoque *pari providentia* iisdemque remediis arceri aut emendari debent ». — *Constit. cit.*, § *3.*

1060. **II. Unde, S. C. Ep. et Reg. sæpe declaravit** omnes juris canonici præscriptiones de Monialium regularium confessariis applicandas esse Monialibus quæ vota tantum *simplicia* emiserunt, cum clausura aut absque clausura. — *Cf. Analecta juris Pontificii, an. 1860, col. 1277 et seq.*

Imo, « confessarii ordinarii conservatoriorum et monasteriorum sunt singulis trienniis mutandi, etsi feminæ in conservatoriis degentes, cum non sint stabilitate loci impeditæ, identidem, præsertim sorores charitatis hospitalibus inservientes, passim de una domo et loco in alium locum et domum transferantur ». — *S. C. Ep. et Reg., 29 jan. 1847 ; 22 apr. 1872 ; 20 jul. 1875.*

1061. **III. In Gallia praxis generalis est** ut Episcopi pro hujusmodi communitatibus confessarios *specialiter* approbent, et, statutis temporibus, *extraordinarios* eisdem concedant.

a) Stante autem hac praxi, certum est Episcopum, dum aliquem approbat simpliciter pro confessionibus in diœcesi, nequaquam ipsi dare facultatem *etiam pro dictis communitatibus*; alioquin non approbaret aliquos *specialiter* pro iisdem communitatibus, nec statutis temporibus *extraordinarios* deputaret.

Hinc, erraret presbyter qui, simpliciter approbatus pro confessionibus, non autem *specialiter* pro Monialibus, contenderet ejusmodi communitatum confessiones licite et va-

lide a se excipi posse, ex ea ratione quod *vota solemnia* non habeant, nec proinde sint veræ Moniales.

b) Proinde, dictarum Congregationum confessariis applicandæ veniunt *juris dispositiones* quæ confessarios Monialium Ordinariis subjectarum respiciunt, exceptis tamen iis quæ ad clausuram papalem spectant. — *Bouix, De jure Regul., tom. 2, pag. 337.*

CAPUT XIII.

DE CONFRATERNITATIBUS.

Confraternitas est societas seu congregatio fidelium, a societatibus religiosis diversa, auctoritate ecclesiastica instituta, ut in vinculo fraternæ dilectionis, certa pietatis, misericordiæ vel charitatis opera exerceant. — *Cf. Tachy, Des confréries, apud ephem. Revue des sciences ecclés., an.* 1890 *et seq.*

Archiconfraternitas est confraternitas quæ privilegium habet alias confraternitates sibi *aggregandi*, eisque communicandi spirituales gratias sibi a S. Sede concessas.

Agendum est : de erectione et aggregatione confraternitatum ; — de membrorum adscriptione ; — de confraternitatum statutis et conventibus ; — et de juribus parochorum in confraternitates.

ARTICULUS I.

DE ERECTIONE ET AGGREGATIONE CONFRATERNITATUM.

1062. **I. Episcopus confraternitates erigere potest in sua diœcesi, auctoritate ordinaria.**

a) *Vicarii generales*, in erigendis confraternitatibus, earum statutis approbandis, ac litteris testimonialibus pro ipsarum aggregatione concedendis, haud pollent potestate ordinaria, sed speciali indigent delegatione *(S. C. C., in Aurelianen., 18 aug. 1861)*, nisi vigore litterarum vicariatus deputati sint, non solum ad generalia, sed etiam ad *specialia* loco Episcopi peragenda. — *Sac. Cong. Indulgent., 16 nov. 1888.*

b) Et in his « *Vicarius* quoque *Capitularis* se abstineat ». — *S. C. C., 23 nov. 1878.*

1063. **II. Eas etiam erigere possunt Generales religiosorum Ordinum, ex privilegio** ; ejusmodi quippe privilegium omnibus fere Religionibus concessit seu confirmavit Paulus V.

Imo, quarumdam confraternitatum erectio Regularibus *exclusive* reservata est, ita ut Episcopi absque indulto Sedis

Apostolicæ minime possint eas in suis diœcesibus erigere. — *Cf. Boudinhon, Des confréries (Le canoniste contemporain, an. 1890, pag. 7, 121, etc.).*

a) Attamen, nulla confraternitas erigi potest nisi de *consensu Ordinarii loci*, et cum litteris ejusdem *testimonialibus*, quibus confraternitatis erigendæ pietas et christianæ charitatis opera quæ exercere cupit commendentur. — *Constit. Quæcumque, Clement. VIII, 7 dec. 1604, § 2.*

b) Præterea, confraternitates laicorum in quibusvis ecclesiis, etiam Regularium exemptorum, institutæ, subsunt *jurisdictioni* et *visitationi Episcopi*; eorumque *capellas* in iisdem ecclesiis Regularium exsistentes visitare potest, in his tamen quæ confraternitatum administrationem respiciunt. — *S. C. C., apud Bened. XIV, Inst. 105, n. 131.* — *Cf. Trid., sess. 22, cap. 8.*

c) Ex ipsa sua erectione, confraternitates nullo *indulgentiarum* privilegio fruuntur; sed *Sancta Sedes adeunda est* ut dignetur indulgentiis confraternitatem ditare.

Quibus precibus benigne annuit S. Pontifex, si alias dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata non sit. — *Cf. Béringer, Les indulgences, leur nature et leur usage, 2e partie, 4e sect., § 5.*

1064. **III. Aggregatio confraternitatis alicui archiconfraternitati**, ad habendas easdem *indulgentias* et alias spirituales gratias, per Officiales illius archiconfraternitatis peragitur.

a) Non potest aggregari confraternitas quæ alteri confraternitati jam fuerit aggregata. — *Constit. Clementis VIII.* — *Cf. decret. S. C. Indulg., 8 jan. 1861.*

b) Neque aggregatio facienda est absque prævio loci Ordinarii *consensu*, ejusque litteris testimonialibus. — *Constit. Clementis VIII, § 3.*

c) Et gratiæ nec non indulgentiæ confraternitati communicatæ, *prævia cognitione Ordinarii* dumtaxat promulgandæ sunt. — *Decret. S. C. Indulg., 8 jan. 1861.*

1065. **IV. Nulla determinata formula Episcopo in erigendis confraternitatibus injuncta est.**

a) Verum *Superiores Ordinum Regularium, Religionum* et *Institutorum,* quibus potestas facta est confraternitates et congregationes erigendi, servare debent, saltem in substantialibus, *formulam* a S. C. Indulg. præscriptam, decreto diei 8 jan. 1861, per quod confirmata est et pristinæ observantiæ restituta constitutio Clementis VIII. — *Cf. Acta Sanctæ Sedis, tom. 2, pag. 58.*

b) Formula pariter determinata est, quæ item, in substantialibus saltem, servanda est ab archiconfraternitatibus et congregationibus, pro *aggregatione* confraternitatum et congregationum. — *Cit. decret. S. C. Indulg. — Cf. declarat. ejusd. decreti, ab eadem S. Cong., die 19 oct. 1866.*

c) Litteræ erectionis et aggregationis *gratis* omnino expediri et concedi debent; solummodo titulo *expensarum* pro pergamena, scriptura, etc., aliquid recipere licet. — *Decret. S. C. Indulg., 8 jan. 1861.*

1066. **V. Unica tantum confraternitas ejusdem instituti et generis** potest in ecclesiis, tam sæcularium quam Regularium, institui et aggregari. — *Constit. Clementis VIII.*

a) Imo, ad erectionem alicujus confraternitatis, requiritur ut *alia similis* confraternitas in alio ad tria milliaria propinquo loco erecta non fuerit; requiritur nempe distantia unius circiter leucæ. — *Decret. 8 jan. 1861.*

b) Ab hac regula generali, ex benigna S. Sedis concessione, quædam confraternitates exceptæ sunt. — *Cf. Béringer, Les indulgences, loc. cit., § 4.*

c) Nec intelligitur prohibitio de confraternitatibus jam erectis ante publicationem dictæ bullæ Clementis VIII. — *Cf. Ferraris, v. Confraternitas, art. 1, n. 29 et seq.*

1067. **VI. Ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta** quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, seu archiconfraternitati aggreganti *nominatim* et *in specie,* non autem quæ per extensionem vel *communicationem* sibi quovis modo

concessa sunt, et illa quidem non sub generali formula verborum, sed *expresse* et *in specie* tantum, archiconfraternitates confraternitati erigendæ vel aggregandæ communicare valent. — *Constit. Clementis VIII, § 4.*

a) Et quidem Regulares, cujusvis Ordinis, non possunt confraternitatibus ullo modo communicare indulgentias *ipsis Regularibus* concessas, sed tantum illas quas, *ut hujusmodi confraternitatibus communicent*, facultas eis *specifice* et nominatim per Sedem Apostolicam concessa fuerit. — *S. C. Indulg., 19 mart. 1671.*

b) In Gallia, *antiquæ sodalitates* quæ post Concordatum anni 1801 noviter ac canonice erectæ non fuerunt, privilegia et indulgentias ipsis concessa amiserunt. — *S. C. Indulg., 22 febr. 1847; 20 jan. 1858.*

c) Confratres aliqua corporis *infirmitate* laborantes, vel *carceribus* detenti, gaudere possunt eisdem omnibus et singulis indulgentiis quibus gaudent cæteri confratres, ita tamen ut, omissa visitatione ecclesiæ, *alia pia opera* a discreto confessario injuncta, quæ pro viribus peragere possunt, fideliter ac devote exsequantur.

Neque necessarius est *specialis* recursus cujuslibet confraternitatis ut hoc indulto perfrui valeat. — *S. C. Indulg., 20 aug. 1887.*

1068. **VII. Erecta confraternitate, moderator ejusdem ab Episcopo designandus est.**

Ipsum *parochum* Episcopus designare potest, ita ut, defuncto actuali parocho, vel amoto, qui sodalitati præerat, novus parochus non indigeat *nova* Episcopi nominatione ad hoc ut rector confraternitatis seu sodalitatis eligatur. — *S. C. Indulg., 8 jan. 1861; 16 jul. 1887.*

ARTICULUS II.

DE MEMBRORUM ADSCRIPTIONE.

1069. **I. Legitima sodalium adscriptio necessaria est** ut *indulgentias* alicui proprie dictæ confraternitati concessas lucrari valeant.

a) Ille qui habet facultatem adscribendi socios in aliquam confraternitatem vel piam associationem, *seipsum* illi adscribere valet, ita ut possit indulgentias quæ eidem adnexæ sunt lucrari, modo hæc facultas habeatur *indiscriminatim*, non vero *taxative*. — *S. C. Indulg., 16 jul. 1887.*

b) Quum fidelium piis sodalitatibus adscriptio per se actus sit religionis et pietatis, adeo ut dies qua fidelis piæ alicui societati inscribitur plerumque a Sancta Sede indulgentiis ditata sit, decet omnino ut ipsa inscriptio *serio* ac *devote*, certo aliquo modo fiat, ac *debita forma*.

1º Quanquam vero ad hoc per se non requiratur necessario *personalis præsentia*, quum etiam gravissima negotia inter absentes per litteras vel interpositam personam perfici possint, tamen ipsa personalis præsentia *ex regula generali* exigitur, ut adscribendorum devotioni potius quam numero consulatur, ac pluribus abusibus via præcludatur. — *Decret. S. C. Indulg., 26 nov. 1880. — Cf. decreta ejusdem S. C., 28 apr. 1761, et 13 apr. 1878.*

2º Verumtamen, hac regula generali firma remanente, plures *exceptiones* locum habere póssunt, vel ex peculiari sodalitatum quadam *constitutione* quæ sua natura exceptionem postulare videtur, vel ex specialibus quarumdam *privilegiis*, vel ex intrinsecis *circumstantiis*, vel ex benigna Apostolica *dispensatione*.

Ideo ab eadem S. Cong. Indulg., *die 26 nov. 1880*, per dispositivam declarationem provisum est pro opportunis exceptionibus. — Nempe :

1070. **II. Sodalitates pro certa tantum diœcesi vel regione canonice erectæ**, non possunt adscribere fideles qui extra limites hujusmodi localibus sodalitatibus constitutos commorantur. Isti enim, non modo simpliciter absentes, sed etiam *extranei* dici possunt.

1071. **III. Sodalitates etiam universales**, relate ad quas nulli sunt primo hoc sensu absentes seu extranei, nequeunt in confratres admittere simpliciter absentes ; scilicet requiritur ex jure adscribendorum *personalis præsentia*.

a) Sufficit quidem præsentia coram quocumque qui, in

quocumque loco, *delegatam* vel *subdelegatam* legitime habeat adscribendi facultatem.

b) Non sufficit vero *moralis*, vel *interpretativa* præsentia per litteras, aut alio quovis modo, per interpositas etiam personas; atque hic est alter sensus quo adscriptiones absentium *irritæ* declarantur.

1072. **IV. Præterea æquum visum est distinguere inter sodalitia quæ strictiori sensu collegia dici possunt,** ut esse solent pleræque proprii nominis confraternitates, ad modum corporis organici constitutæ, et sodalitia quæ *laxiori* modo sociali vinculo colligantur, ut esse solent plures etiam confraternitates, et pleræque piæ associationes, congregationes, aggregationes, uniones ac pia opera, ut vocant.

a) Collegia *strictiori sensu*, seu proprii nominis confraternitates, et sodalitia quæ ad illas in organica sui constitutione magis accedunt, solent etiam, juxta proprias leges, pro sodalium inscriptione *certam aliquam habere formam*, cum aliqua solemnitate ac ritu, ut publica candidatorum petitio ac præsentatio, probatio aliqua ac novitiatus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cincturæ, quæ ex sui natura *personalem* præsentiam requirunt.

1º Pro hujusmodi itaque sodalitatibus, cujuscumque sint nominis, *nulla datur exceptio* a lege de non adscribendis absentibus.

2º Tantum conceditur eorum moderatoribus, eorumque delegatis, ut in casibus singularibus dispensare possint a statuta forma inter *præsentes*, ac *absentes*, etiam per singularem seu *extraordinariam exceptionem*, rite adscribere.

b) Pro sodalitatibus etiam, piis unionibus, piis operibus, et cujuscumque sint nominis societatibus quæ *nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac cæremoniam inter præsentes*,

1º Decretum quoad absentes, *quantum fieri potest, rite servetur*; et potius præsentium adscriptio *facilior* reddatur, ac pro viribus promoveatur, multiplicatis canonice associa-

tionum centris, auctoque, pro opportunitate, zelatorum, zelatricium, promotorum, vel quovis nomine nuncupentur eorum numero qui, juxta approbatas sodalitii leges, non modo inscriptionum utcumque promovendarum officium, sed etiam *adscribendi subdelegatam habeant facultatem.*

2º Sed, cum id nec semper nec ubique fieri possit, nec plane sufficiat, Apostolica benignitate indultum est ut qui præsentes esse commode nequeunt, non omnino excludantur, sed, *quamvis absentes*, per litteras, vel interpositas personas quæ eos repræsentent, adscribi valeant, vitando simul abusus quibus maxime præcavendis adscribendorum præsentia exigitur : non temere scilicet, leviter, nec turmatim collectis nominibus, sed *discrete*, ne alii, quantum fieri potest, inscribantur nisi qui absentes corpore, sed præsentes spiritu, scientes et volentes piæ societati adscribi, injuncta opera adimplere, et indulgentias lucrari intendunt. — *Ex cit. declarat. S. C. Indulg., 26 nov. 1880.*

ARTICULUS III.

DE CONFRATERNITATUM STATUTIS ET CONVENTIBUS.

1073. **I. Statuta confraternitatum examinanda sunt et probanda ab Episcopo diœcesano,** et ejusdem Episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus semper subjecta remanent. — *Constit. Clementis VIII, § 5.*

a) Nec archiconfraternitas sua *statuta* impertiri potest *confraternitati aggregatæ*, nisi Ordinarius statuta hæc quoad confraternitatem *approbet;* hinc, aggregatio nihil detrahit jurisdictioni quam habebat Episcopus in confraternitatem antequam esset aggregata. — *Constit. Clementis VIII, ibid. — S. C. Indulg., 14 sept. 1872.*

b) Ab hac tamen regula generali excipienda sunt statuta *Sedis Apostolicæ* auctoritate confirmata, nec non statuta in vim *contractus* condita.

1074. **II. Confraternitates possunt congregari ubi et quoties eis placuerit,** etiam absque Episcopi licentia.

a) Potest vero *Ordinarius*, per seipsum, vel per suum delegatum, intervenire et *adsistere* congregationibus confraternitatum et electionibus Officialium, licet votum dare non debeat. — *Ferraris, v. Confrat., art. 3, n. 16 et 33.*

b) Episcopus nequit prohibere nec restringere solita exercitia, bene vero *insolita*, si talia ea esse existimet quæ offensionem aut scandalum excitare possint. — *Ferraris, ibid., n. 29 et seq.*

1075. **III. Electio sive confratrum sive Officialium,** ad confratres pertinet; nec potest *Episcopus* confratres expellere, aut novos admittere.

Gravibus tamen ex causis, Episcopus potest electos Officiales provisorie *suspendere*, novosque sufficere, ne causa pia detrimentum capiat. — *Cf. resolut. S. C. C., 15 jun. 1878.*

1076. **IV. Licet confraternitatibus se transferre de una ecclesia ad aliam ecclesiam,** posito consensu majoris partis confratrum collegialiter præstito. — *Ferraris, loc. cit., art. 1, num. 56.*

Facta alicujus confraternitatis translatione de una ad aliam ecclesiam, non ideo amittuntur privilegia et indulgentiæ quæ, non intuitu loci, sed *ratione Instituti* concessæ sunt. — *Cf. n. 1298, ubi de altari privilegiato.*

1077. **V. Confraternitates bonorum suorum temporalium administrationem habent** absque ulla dependentia a parocho. — *S. C. Rit., decret. anni 1703, n. 31.*

a) Verum *Episcopus* providere debet ut hæc bona in usum statutis confraternitatum et intentione donatorum determinatum impendantur; et compellere potest eorum administratores ad reddendam sibi rationem. — *Cf. conc. Trid., sess. 22, cap. 9, De ref.*

b) *Eleemosynas* excipere aut erogare non potest confraternitas, nisi juxta formam per Ordinarium præscribendam. *Decret. S. C. Indulg., 8 jan. 1861.*

1078. **VI. Juxta leges vigentes in Gallia,** confraternitates non sunt Instituta quæ *possidere* valeant coram lege civili. — *Cf. n.1355.*

Attamen, ait *Dubief*, « la jurisprudence du Conseil d'État admet les libéralités faites à des confréries, lorsque ces associations ont pour but l'entretien du culte ou d'un autel sous la direction exclusive du *conseil de fabrique*, ou du *curé* ou *desservant* ». — *Code ecclésiastique, page 185.*

ARTICULUS IV.

DE JURIBUS PAROCHORUM IN CONFRATERNITATES.

Distinctio facienda est inter sodalitates erectas in ecclesia parochiali, vel in oratoriis aut sacellis quæ *ipsi parochiæ adnectuntur*, et alias sodalitates addictas ecclesiis publicis quæ *a parochia non dependent*, quamvis intra illius limites positas.

Distinguere etiam debemus jura *parochialia*, nec non functiones quasdam usu constanti parocho attributas, a cæteris functionibus mere *sacerdotalibus* quæ, nec inter jura parochialia recensentur, nec usu conveniunt parocho *privative*.

Quæ sint functiones proprie parochiales accurate definivit S. C. Rit., decreto diei 10 dec. 1703. — *Cf. n. 939 et seq.*

1079. **I. Confraternitates erectæ in ecclesia parochiali, vel in oratoriis tam publicis quam privatis parochiali ecclesiæ adnexis,** pendent a parocho quoad omnes functiones ecclesiasticas, etiam non parochiales. — *Decret. S. C. Rit., 10 dec. 1703, num. 1 et 2.*

Cæteroquin, confraternitates, sive erectæ sint in ecclesia parochiali, sive extra illam, possunt pro libitu, et juxta uniuscujusque peculiaria statuta, congregationes suas facere absque interventu vel licentia *parochi*, dummodo non impediant functiones et divina officia. — *Ibid., n. 30.*

1080. **II. Confraternitates quæ erectæ sunt in ecclesiis publicis sejunctis ab ecclesia parochiali,** non pendent a parocho in iis quæ referuntur ad functiones mere *ecclesiasticas*, nec munia parochorum propria reputantur. — *Ibid., num. 4.* — *Cf. n. 899.*

a) Non potest parochus sese immiscere in administratione *oblationum* et *eleemosynarum* in dictis ecclesiis recollectarum. — *Ibid., num. 28.*

b) Nec valet, cessante speciali ac legitimo titulo, ex solo jure parochialitatis, confraternitatum rectores invitos compellere ad *adsistendum* functionibus ecclesiæ parochialis. *Ibid., num. 25.*

c) Neque doctrinam christianam, invitis confratribus, *docere* potest in prædictis ecclesiis a parochiali divisis, nisi adsit *necessitas*, arbitrio Ordinarii. — *Decret. n. 17.* — *S. C. C. 29 aug. 1733.*

1081. **III. Cum dubiæ quæstiones proponuntur,** ea opinio seligenda videtur quæ *parochis magis suffragatur*, tum quia sitam habent intentionem in vetustiori titulo et magis universali, tum quia hac ratione minus a pristina Ecclesiæ disciplina receditur. — *Cf. Benedict. XIV, Instit. ecclesiast. 105, num. 92.*

1082. **IV. Denique, quoties intervenit licentia Ordinarii,** parochus non potest se opponere ne aliquid a capellanis vel Officialibus confraternitatis fiat, quia animarum cura et populi directio principaliter incumbit Episcopo, qui est parochus parochorum. — *Ferraris, loc. cit., art. 6, n. 14.* — *Cf. decret. anni 1703, num. 15, 18, 22.*

TRACTATUS VIII.

DE REGULARIBUS.



Familiæ religiosæ, « ad majorem Omnipotentis Dei gloriam et salutem animarum procurandam, a sanctissimis viris, divino afflante Spiritu, institutæ...., lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituunt, quæ maxime, tum christianæ, tum civili reipublicæ usui, ornamento atque præsidio fuerunt ». — *Epist. encycl. Pii IX, 17 jun. 1847.*

Agendum est : de ipso statu religioso ; — de approbatione Ordinum religiosorum, et conventuum erectione ; — de ingressu in Religionem ; — de obligationibus status religiosi ; — de regimine Regularium ; — de eorum juribus et privilegiis ; — de recessu a Religione, et de Regularibus extra claustra degentibus ; — de Tertiariis ; — et demum de iis quæ a Gubernio civili in Gallia decreta sunt respectu status religiosi.

CAPUT I.

DE IPSO STATU RELIGIOSO.

Videlicet : de natura status religiosi ; — de ipsius origine et utilitate ; — de varietate Ordinum religiosorum ; et de votorum solemnitate.

ARTICULUS I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

1083. **I. Definitio nominis.** — Vox *Religio* varias significationes habet.

a) Accipitur enim : 1° pro *virtute* qua Deo debitus exhibetur cultus ; — 2° pro universitate seu communitate verum Deum rite colentium, et sic comprehendit omnes *christianos*, unde etiam *religio christiana* dicitur ; —

3° pro communitate quæ per *specialem* vivendi modum se Deo ejusque obsequio dedicat, quod *dupliciter* fieri potest : *minus stricte*, per ordinem susceptum, votum castitatis, vel aliud quodcumque vinculum; et *strictius*, per tria vota substantialia in Religione ab Ecclesia approbata.

b) Hoc ultimo sensu accepta Religio, *status religionis* dicitur, quia hominem in certo ac ex natura sua perpetuo statu collocat.

Illi autem qui eam profitentur vocantur *Religiosi* et *Regulares* : Religiosi quidem, a Religione quam profitentur ; Regulares autem, a regula sub qua vivunt. — *Schmalzgr., De Regular., num. 1 et 2.*

1084. **II. Status religiosus proprie dictus, qualis a præsenti Ecclesiæ disciplina agnoscitur, communiter definitur** : Stabilis in communi vivendi modus fidelium, sub certa regula, ad christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuæ castitatis, paupertatis et obedientiæ, ab Ecclesia, tributa votis solemnitate, approbatus.

a) Dicitur : *stabilis in communi vivendi modus.*

Re quidem vera, status religiosus ex natura sua non requirit necessario vitam *communem ;* non enim illam requirit ratione *status* ut sic, quia hic solum dicit immobilitatem ; nec ratione *perfectionis*, quia ad hanc tendere etiam vitam solitariam degens potest.

Verum, spectato *jure ecclesiastico hodierno,* a pluribus sæculis vigente, requiritur approbatio Ecclesiæ ; et Ecclesia non approbat nisi statum *cœnobiticum*, seu in communi viventium sub uno Prælato, et sub una regula ad perfectionem tendentium. — *Schmalzgr., loc. cit., n. 20.*

b) Dicitur : *editis tribus substantialibus votis perpetuæ castitatis, paupertatis et obedientiæ.*

1° Nam status Religionis tendit ad perfectionem vitæ christianæ. Porro, perfectio vitæ christianæ requirit praxim consiliorum evangelicorum paupertatis, castitatis et obedientiæ, quibus coercetur *triplex concupiscentia* carnis, oculorum et superbiæ.

Et revera, *tria sunt impedimenta* quæ obstare solent ne homo ad perfectam Dei charitatem perveniat, suntque: rerum temporalium sollicitudo, voluptatis illecebræ, et propriæ libertatis exercitium; e contra, trium dictorum consiliorum praxis, *præfata impedimenta removendo*, facilem reddit perfectionis prosecutionem. — *Cf. S. Th., 2. 2; q. 186, art. 7.*

2° Cum autem ad rationem *status* requiratur aliqua causa *permanentiam* seu *firmitatem* inducens, cumque homo nequeat stabilis reddi in observantia consiliorum per auctoritatem id ei *ab extrinseco* imperantem, obligatio proinde stabilitatis, seu permanendi in observantia consiliorum, non poterit oriri nisi ex voluntaria et libera hominis promissione, seu *voto* Deo facto. — *Cf. n. 1133.*

3° Vocantur autem hæc vota *substantialia*, quia debent esse in omnibus Religionibus. Sed hoc non impedit quod possint et *alia* superaddi, v. gr. ministrandi infirmis etiam peste infectis, vel non ambiendi dignitates, etc.

c) Dicitur : *ab Ecclesia approbatus.*

Disputatur equidem utrum hæc approbatio de *jure divino*, ex ipsa status religiosi natura, requiratur; an dumtaxat de *jure ecclesiastico.* — Verum hæc quæstio mere speculativa est; nam certum est vota *solemnia* emitti non posse in Religione ab Ecclesia, et quidem a S. Pontifice non approbata. — *Cf. n. 1097 et seq.*

d) Dicitur : *tributa votis solemnitate.*

Licet enim solemnitas votorum non sit *jure divino* de essentia status religiosi, requiritur tamen *jure ecclesiastico*, ita ut non censeatur verus Religiosus, in sensu stricto, qui emittit vota solummodo *simplicia*, nisi speciale *indultum* accesserit quo derogetur juri communi; quod privilegium concessum est *Societati Jesu*, decreto Gregorii XIII statuentis vota emissa in Societate Jesu, tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota habenda esse, eaque emittentes vere ac proprie *Religiosos* esse, et ubique censeri et nominari debere, perinde ac si in professorum numero adscripti fuissent. — *Constit. Quod fructuosius, an. 1583*; — *et Ascendente Domino, an. 1584.*

Regulares igitur *proprie* non dicuntur nisi qui vota *solemnia* emiserunt. Hujusmodi vota constituunt *statum religiosum*, cui soli applicandæ sunt leges canonicæ statum regularem respicientes.

ARTICULUS II.

DE ORIGINE ET UTILITATE STATUS RELIGIOSI.

1085. **I. Status religiosus, quoad substantiam suam, a Christo Domino immediate traditus et institutus est; non autem quoad accidentalia.** — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 3, cap. 2, num. 3.*

a) Status religiosus, quoad *substantialia*, fuit *immediate* a Christo institutus, ac proinde est de *jure divino* non præcipiente, sed *consulente*.

Nam Christus Dominus dedit Ecclesiæ suæ *præcepta* et *consilia*.

1º *Præcepta* sunt vere mandata, sine quorum observatione non potest obtineri finis, seu assecutio regni cœlorum, juxta verbum Domini apud *Matthæum*, XIX, *17* : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ».

2º *Consilia* autem ab ipso proposita sunt pro his qui volunt perfectionem christianæ charitatis assequi, dicente Christo Domino de *castitate* : « Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum » (*Matth.*, XIX, *12*); et de *paupertate* : « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me » (*Matth.*, XIX, *21*); et de *obedientia* : « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum » (*Matth.*, XVI, *24*).

Atqui, substantia status religiosi in his tribus votis consistit; ergo hic status ab ipso Christo traditus est. — *Suarez, ibid., num. 5.*

b) Verum status religiosus non est institutus a Christo quoad *accidentalem* ejus determinationem ad talem regulam vel finem particularem. *Accidentalia* status religiosi,

in his quæ spectant ad determinatum modum in eo vivendi, excogitarunt, labentibus sæculis, viri sanctitate conspicui, et Ecclesiæ approbationi proposuerunt.

1086. **II. Unde, Ecclesia jus proprium habet ea ordinandi quæ ad perfectionem vitæ christianæ spectant**, ut fideles libere consilia evangelica sequi valeant. — *Cf. n. 19 et seq.*

a) Ubicumque est Ecclesiæ catholicæ *libertas* constituta, ibi religiosi Ordines *sponte* coalescunt; ipsi enim tanquam ex stirpe quadam exsistunt, et quasi *nascuntur* ex Ecclesia, quæ ipsa eos gignit et materna sollicitudine alit ad omne decus virtutis et humanitatis. — *Epist. Leonis XIII, ad card. Guibert, Archiep. Parisien., 22 oct. 1880.*

Ideo, *abolitio Regularium a Gubernio civili decreta* « lædit statum publicæ professionis consiliorum evangelicorum; lædit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tanquam Apostolicæ doctrinæ consentaneam; lædit ipsos insignes fundatores quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas instituerunt societates ». — *Breve Quod aliquantum, Pii VI, 10 mart. 1791.*

b) Revera, Familiæ religiosæ sunt velut *instrumenta* quibus Ecclesia ad divinum cultum et salutem animarum securius promovendum utitur : sicut peculiares consociationes civiles, puta quæ ad industriam, vel artes, vel commercium pertinent, instrumenta sunt status politici, quibus civilem suum finem assequi nititur. —Tum etiam *militiam* quamdam sacram constituunt, quæ fidei armis Ecclesiam defendat et amplificet, ac veluti exercitibus permanentibus assimiletur.

1o Sicut igitur *status politicus* præpediri nequit quominus suas societates efformet, et ad se tutandum copias militum instruat, ita etiam de *Ecclesia* dicendum est. — Et quemadmodum, si contrarium fieret, jura civilis societatis violarentur, sic etiam *jura violantur Ecclesiæ* si ejusmodi sacra consortia a civili potestate prohibentur.

2o Sed violantur insuper *jura ipsorum civium*, qui certe nulla auctoritate terrena impediri possunt quominus divino

cultui et propriæ saluti æternæ prospiciant eo modo quem, Ecclesia duce, opportunum et sibi congruentiorem existimant. — *Liberatore, Eth., p. 2, n. 126.*

1087. **III. Sodalitates religiosæ sunt in Ecclesia Catholica constitutæ :**

a) « Ad perfectionem absolutionemque virtutis *in sodalibus ipsis* progignendam.

b) » In actionem autem vitæ, quæ *foras* eminet, et propria est singularum, nihil aliud est ipsis propositum quam aut *sempiternam proximorum salutem*, aut *miseriarum humani generis levamen*, quibus rebus student alacritate mirabili, assiduitate quotidiana.

c) » Neque uno tantum nomine plurimum iis debet *civilis hominum societas*, cum et sanctitate *morum* ad recte faciendum incitare animos multitudinis consueverint, et *doctrinæ* copia sacras profanasque disciplinas illustrare; demum omnium optimarum *artium* patrimonium mansuris ingenii sui fructibus locupletare.

d) » Et, quibus temporibus major exstitit clericorum penuria, ex cœnobiis prodivere sacrorum operariorum manipuli, præstanti sapientia et sedulitate, qui *adjumento Episcopis* essent in excolendis ad pietatem animis, in doctrina evangelica disseminanda, in instituenda ad litteras bonosque mores juventute.

e) » Eorum autem qui ad *barbaros populos*, Evangelii causa, mittuntur, maximum numerum semper contulerunt domus sodalium religiosorum in Gallia consistentium, qui magnis pro catholica fide exantlatis laboribus, una cum Evangelio christiano, *Gallorum nomen et gloriam* ad dissitas gentes transtulerunt.

f) » Nullum vero in conditione humana prope est *infortunii* genus, quod non lenire, nullus casus in quo nomen poni solet *calamitatis*, cui non sodales religiosi tempestivam admovere medicinam studuerint, in nosocomiis, in domibus infimæ plebi recipiundæ, in urbium pace et otio, in trepidatione atque æstu tumultuum bellicorum; idque ea

suavitate et misericordia quæ non potest nisi a divina charitate proficisci. Cujus charitatis cunctis provinciis, urbibus, oppidis in conspectu sunt nobilissima exempla egregiique fructus. » — *Ep. Leonis XIII ad Arch. Paris., 22 oct. 1880.* — *Cf. de Montalembert, Les moines d'Occident.*

ARTICULUS III.

DE ORDINUM RELIGIOSORUM VARIETATE.

1088. **I. Principia distinctionis Ordinum.**

a) Omnes Ordines religiosi conveniunt in *fine essentiali*, nempe perfectione propria assequenda, et in *mediis essentialibus*, scilicet in triplici voto paupertatis, castitatis et obedientiæ.

b) Verum status religiosus, præter finem primarium omnibus Religionibus communem, alios *fines secundarios* admittit vel minus principales ; itemque, præter vota essentialia, alia *media propria*, sive ad obtinendum finem primarium, sive ad obtinendum finem proximum unicuique Ordini proprium.

Unde, diversitas Ordinum religiosorum exsurgit : tum ex diversitate *finis proximi*, tum ex diversitate *mediorum accidentalium*, nempe regularum.

1089. **II. Ratione finis proximi,** Ordines generatim distinguuntur in tres classes, quatenus vitam *contemplativam*, vel *activam*, vel *mixtam* profitentur.

a) Religiones *contemplativæ* principaliter contemplationi rerum cœlestium et orationi vacant : ut sunt Religiones S. Basilii, S. Benedicti, S. Brunonis, etc., quæ *monachales* proprie dicuntur.

b) Religiones *activæ* principaliter se exercent in operibus misericordiæ et charitatis erga proximum, sive spiritualibus, sive corporalibus : ut Ordines militares et hospitalarii.

c) Religiones *mixtæ* utramque vitam contemplativam et activam conjungunt : ut Religiones S. Augustini, S. Do-

minici, S. Francisci, Societatis Jesu, Theatinorum, Barnabitarum, SS. Redemptoris, etc.

Et quidem *clericales* dicuntur Religiones quæ, ex proprio instituto, ministeriis *sacerdotalibus* vacant, et ad ea deputantur sacra ordinatione; *mendicantes* autem, quæ absolutam paupertatem profitentur, et nequeunt, etiam *in communi,* bona temporalia possidere. — *Cf. n. 1152.*

d) Inter Religiones, *supremum* gradum tenent *mixtæ,* quia, sicut magis est illuminare quam lucere tantum, sic magis est contemplata aliis ex charitate tradere quam contemplari tantum. — *Cf. S. Thom., 2. 2., q. 188, art. 6.*

Vita autem *contemplativa* præponitur *activæ,* juxta illud Christi : « Maria optimam partem elegit ». — *Luc.,* x, *42.*

1090. **III. Ratione mediorum,** *quatuor* sunt *regulæ principaliores,* nempe : regulæ S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti et S. Francisci.

Unam ex his regulis amplexati sunt plerique fundatores Ordinum, adjectis *peculiaribus statutis* seu *constitutionibus,* quibus suam quisque familiam ad finem proprium adduceret. — *De his consulantur historici.*

ARTICULUS IV.

DE VOTORUM SOLEMNITATE.

Quo tempore inducta sit votorum solemnitas, disputant Auctores. — Videtur disciplinam ea de re, temporis progressu, et quasi gradatim, jure Pontificio fuisse introductam, donec ubique invaluerit circa medietatem sæculi XI. — *Cf. Suarez, de Relig., tract. 7, lib. 4, cap. 22.*

1091. **I. Votum solemne castitatis** speciale habet quod et dirimat matrimonium antea *contractum,* quando nondum est usu consummatum; et quod insuper sit perpetuum impedimentum *contrahendi* valide matrimonium subsequens. — *Cap. Quod votum, De voto, in 6o; — Cf. Trid., sess. 24, De matrim., can. 6 et 9.*

Votum autem *simplex* impedit solummodo ne quis matrimonium *licite* contrahat.

1092. **II. Votum solemne paupertatis** importat cujuscumque proprietatis abdicationem, et incapacitatem ad illam de cætero acquirendam, ut præscribitur *cap. 6, De statu monachorum.*

a) Canonistæ omnes consentiunt non esse de essentia paupertatis evangelicæ ut *dominio* rerum temporalium privet, sed tantum ut excludat *usum independentem*, ita ut quis non possit absque Superioris consensu ulla re uti, vel de ulla re disponere.

Ideo professi votorum *simplicium* dominium *radicale* suorum bonorum retinent. — *Cf. n. 1157.*

b) Verum jure canonico sancitum est ut solemne votum paupertatis excludat *capacitatem dominii*, ita ut vovens non possit valide aliquid temporale tanquam proprium obtinere. — *Cap. 6, De statu monachorum;* — *Trid., sess. 25, cap. 2, De Regul.*

1093. **III. Votum solemne obedientiæ** efficit ut persona vovens, suam voluntatem ita abdicet in futurum, ut non possit valide se obligare erga Deum vel homines, nisi ad sui Prælati arbitrium, qui consequenter valet *promissiones* et *vota* irritare. « Arbitrium (Religiosi) non ex sua, cum *velle* et *nolle* non habeat, sed ex illius, quem vice Dei super caput suum posuit, voluntate dependet ». — *Cap. Si Religiosus, 27, De elect., in 6°.*

Simplex obedientiæ votum non inducit tantam subjectionem et dependentiam in vovente, nec dat tantam potentiam ei cui promittitur ; sed huic tantum dat potestatem *præcipiendi*, et illi imponit obligationem *obediendi*, in his quæ præceperit intra latitudinem materiæ talis voti. — *Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 2, cap. 13, num. 9.*

1094. **IV. Unde oriatur votorum solemnitas**, non una est sententia apud Doctores. — *Communior sententia* Canonistarum tenet :

a) Distinctionem votorum in solemnia et simplicia, non

ab *apparatu* vel *cæremoniis*, aut aliquo ritu benedictionis vel consecrationis oriri. — Quod probatur :

1° Ex *professione tacita*. Illa enim professio fit absque ulla consecratione aut sacra cæremonia; et tamen certum est ei adnexum esse votum castitatis substantialiter solemne. — *Cf. cap. Quod votum, De voto, in 6°*.

2° Ex *praxi multarum Religionum*, in quibus fiunt vota substantialiter solemnia, quamvis nulla interveniat ejusmodi benedictio aut consecratio ; dum, vicissim, in nonnullis Congregationibus vota simplicia emittuntur cum magno apparatu cæremoniarum. — *Cf. Suarez, loc. cit., cap. 6, num. 4.*

b) Neque solemnitatem votorum consistere in *sui traditione* quæ a simplici promissione differat.

1° Secus enim dicendum esset a *voluntate voventium* pendere quod sua vota sint solemnia aut simplicia, et quod ipsi ad certos actus inhabiles fiant ; hoc autem sensui communi Canonistarum et disciplinæ ecclesiasticæ repugnat.

2° Accedit quod in Religione *Societatis Jesu*, post biennium, fit votum castitatis cum reliquis, simul cum sui *traditione*, siquidem Gregorius XIII voluit per scholasticorum ejusmodi vota matrimonium subsequens *irritari*. Attamen idem Pontifex declaravit ea esse tantummodo *simplicia;* ergo solemnitas in dicta traditione non consistit.

c) Verum potius solemnitatem votorum non esse ipsis *intrinsecam* et essentialem, ita ut votum simplex et solemne differant *specie*, sed eam *ab Ecclesiæ dispositione* pendere.

Quod probatur ex *cap. Quod votum, De voto, in 6°*, in quo Bonifacius VIII declaravit voti solemnitatem « ex *sola constitutione Ecclesiæ* esse inventam ». — *Cf. bull. Greg. XIII, Ascendente Domino, an. 1584.*

Unde sequitur posse idem votum fieri *ex solemni simplex*, et *ex simplici solemne*, independenter a voluntate voventis. Et ratio est quia, ut ait *Suarez*, hæc solemnitas pendet ex *lege Ecclesiæ*, quæ, licet supponat votum editum, nihilo-

minus non pendet ex voluntate vel intentione voventis. Et ideo solemnitas voti, seu virtus ad inhabilitandam personam, præcipue est in *lege.* Et, licet dicatur esse in *voto* morali modo, revera non addit illi nisi denominationem *extrinsecam;* et ideo, sine mutatione intrinseca voti vel voventis, per ablationem legis auferri potest. — *De Relig., loc. cit., cap. 11.*

1095. **V. Hinc, ab Ecclesia pariter pendet id omne quod, ipsius judicio, hanc solemnitatem debet constituere.**

a) Proinde, ad Ecclesiam pertinet statuere *incapacitatem* voventibus inhærentem quoad certos actus hujusmodi votis oppositos; et id quidem, *non obstante civili potestate* contrarium ordinante, cum Ecclesia sit omnino independens a sæculari auctoritate quoad objecta finem spiritualem spectantia.

Ideo, non solum invalidum esset *matrimonium* a solemniter professo contractum, sed nulli omnino et irriti essent omnes *actus proprietatis* ab eodem peracti, quantumvis validi a jure civili alias haberentur.

b) Ex dictis intelligitur cur vota solemnia in Ordine ab Ecclesia ad hoc approbato sint emittenda; imo, in domibus auctoritate S. Sedis erectis. — *Cf. Bened. XIV, De syn., lib. 9, cap. 1.* — *Cf. n. 1097 et seq.*

Item apparet quomodo etiam *in Gallia,* non obstante lege civili, solemnia esse possunt vota Jesuitarum, Carthusianorum, Benedictinorum, Trappistarum, Cappuccinorum, etc.; quomodo pariter a S. Sede *solemnia* reputentur vota Monialium in Sabaudia et in diœcesi Niciensi, etsi ipsa talia non habeat vota emissa in cæteris Galliæ monasteriis ad eadem Instituta pertinentibus.

1096. **VI. Ecclesia solemnia non reputat Monialium vota nisi emissa fuerint in domo clausuræ Pontificiæ adstricta.** — *Cap. Periculoso, De statu Regul., in 6°;* — *Trid., sess. 25, cap. 5, De reg.;* — *Bened. XIV, constit. Quamvis, 30 apr. 1749.* — *Cf. n. 1166 et seq.*

In *Gallia,* post lugendam perturbationem anni 1789, Mo-

niales nonnisi clausuræ *episcopali* subjiciuntur, nec a Sede Apostolica potestatem acceperunt ad solemnem professionem admittendi. — *Cf. resp. S. Pœnitent. ad. Episc. Cenoman., 2 jan. 1836.*

Sedes enim Apostolica expedire non existimat ut vota solemnia Moniales emittant in iis regionibus in quibus, ratione circumstantiarum et civilium legum, *clausuræ* lex, tantopere a sacris canonibus inculcata, tantisque pœnis sancita, vel servari non possit, vel *facile possit violari;* quamvis Moniales ad eos Ordines pertineant qui a S. Sede approbati sint ad vota solemnia Deo nuncupanda. — *Cf. resol. S. C. Ep. et Reg., in Americana, 2 sept. 1864.*

CAPUT II.

DE APPROBATIONE ORDINUM RELIGIOSORUM, ET DE ERECTIONE CONVENTUUM ET DOMORUM.

ARTICULUS I.

DE APPROBATIONE ORDINUM RELIGIOSORUM.

1097. **I. Antiquitus Episcopi in sua diœcesi Ordines religiosos approbabant. Sed postea Sedi Apostolicæ hæc potestas reservata est.**

a) *Concilium* enim *Lateranense IV, an. 1215,* hæc decrevit : « Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam Religionem inveniat; sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis inveniat ». — *Cap. fin., De religiosis domibus.*

b) *Concilium Lugdunense, an. 1275,* legem innovavit ; et cunctas Religiones, et Ordines mendicantes, post concilium Lateranense adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerant, perpetuæ prohibitioni subjecit. — *Cap. Religionum, De religiosis domibus, in 6o.*

1098. **II. Hæc disciplina in suo robore ad nostram usque ætatem permansit quoad omnes Religiosos qui habent vota solemnia,** adeo ut nusquam admissa sit *solemnis professio* vitæ regularis absque prævia approbatione Sedis Apostolicæ.

a) Verum, jam a tempore concilii Tridentini, stabilis vivendi modus in Ecclesia invectus est, qui tria vota substantialia includeret, sed *careret solemnitate votorum,* et venit sub nomine *Congregationis.*

Id quidem vetitum est pro conventibus mulierum a *Pio V,* qui alteram etiam constitutionem *Lubricum vitæ genus, 1 dec. 1568,* edidit pro conventibus virorum : quæ edice-

bat, sub pœnis gravissimis, ut omnes conventuales quarumcumque Congregationum professionem regularem *solemniter* emitterent *sub una regula ex approbatis*, si vellent in domo, conventu, seu congregatione commorari.

Sed hæc disciplina non diu viguit in praxi. Nam, sæculis subsequentibus, plurimæ enatæ sunt Congregationes *sub regimine Episcoporum*, tolerantibus SS. Pontificibus, quæ non haberent vota solemnia.

b) Licet igitur dicamus legem conciliorum Lateranensis et Lugdunensis attingere Congregationes religiosas cum votis simplicibus, est *temperamentum longa consuetudine inductum* hujusmodi Congregationes tentari et inchoari posse sub auctoritate Episcoporum.

Quinimo, Sedes Apostolica Congregationem *in principio non solet approbare*, sed eam vult videre jam sufficienter propagatam, et ex operibus convenientiam statutorum experiri.

1099. **III. Methodum apud Sac. Congr. Episc. et Reg. usitatam in approbandis novis Institutis votorum simplicium,** juvat hic transcribere ex ipso volumine quod, ad usum ejusdem Congregationis, ex Camera Apostolica prodiit.

a) « Quando petitur approbatio alicujus Instituti, debent exhiberi *litteræ commendatitiæ* Antistitum locorum in quibus domus reperiuntur.

» Preces remittuntur Episcopo diœcesis in qua prima fundatio vel *domus princeps* sita est, ut referat de fine seu scopo, de fundatione, de numero domorum, fratrum vel sororum, de medio sustentationis, deque utilitate, progressu aliisque similibus.

b) » Si Institutum recenter erectum fuerit, *unam vel alteram domum dumtaxat* habeat, nec opportunæ constitutiones adhuc concinnatæ fuerint, *laudatur finis* seu scopus *fundatoris*, vel finis seu scopus *Instituti*, pro qualitate circumstantiarum.

c) » Post congruum tempus, si Institutum satis *diffusum* fuerit, uberes fructus retulerit, et Ordinarii locorum

illud commendaverint, decretum *laudis* conceditur *Instituto*, et aliquando etiam decretum *approbationis*, præsertim si constitutiones efformatæ fuerint, nec in substantialibus graves difficultates præ se ferant; quod tamen approbationis decretum ordinarie ad aliud tempus solet differri. Communicantur *animadversiones* circa constitutiones.

d) » *Constitutiones* autem non *approbantur*, nisi per congruum tempus experientia comprobatæ fuerint, et ad tramites animadversionum reformatæ.

» Approbatio ut plurimum conceditur per modum *experimenti*, ex. gr. ad triennium, vel quinquennium, et deinde, nisi aliquid obstet, decretum definitivum tribuitur.

e) » In hujusmodi vero negotiis expediendis, omnia debent *referri S. Pontifici*. Quinimo, Pius IX, in audientia habita die 22 sept. 1854, mandavit ut in posterum supplicationes pro laudatione vel approbatione alicujus Instituti et constitutionum confirmatione, antequam quidquam a S. Congregatione agatur, S. Pontifici referantur. » — *Cf. Craisson, Des Communautés à vœux simples ; — Meynard, Réponses canoniques et pratiques sur le gouvernement et les principaux devoirs des Religieuses à vœux simples.*

1100. **IV. De sodalitatibus sororum habitum religiosum non deferentium,**

a) Quæsitum est a Sacra Cong. Episc. et Reg. :

1° Utrum expediat ut S. Cong. Ep. et Reg. decretum *laudis* aut *approbationis* concedat Institutis illis, quæ, præter sorores in communitate viventes, habent obstrictas votis simplicibus, sive temporaneis sive perpetuis, alias sorores quæ *propriis in domibus* vivunt, quin *signum* aliquod præ se ferant externum per quod innotescat eas membra esse alicujus regularis Instituti.

2° Utrum expediat ut eadem S. Congregatio concedat decretum laudis, aut approbationis, Institutis illis quorum membra, etiamsi in *communitate* vivant, nullum tamen ejusdem Instituti *signum* præ se ferunt, quinimo student *occultare* tam Institutum ipsum quam ejus naturam.

b) Porro, in plenaria Congregatione habita in Palatio

Vaticano, die 21 mensis junii 1889, Eminentissimi Patres hæc decreverunt :

1º « Sacra Congregatio, quando laudat vel approbat hujusmodi Instituta, etiam sub expresso *Congregationum* nomine, ea intendit laudare aut approbare, non quidem uti Religiones formales votorum solemnium, neque etiam ut *formales* seu *veras religiosas Congregationes votorum simplicium*, sed tantum uti *pias sodalitates*, in quibus, præter alia quæ juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quæ fiant, *privata* censentur, non publica, nomine Ecclesiæ a legitimo Superiore acceptata.

2º » Hæc insuper sodalitia laudat vel approbat S. Congregatio sub essentiali conditione quod plene perfecteque respectivis *Ordinariis innotescant,* ac eorum omnino subsint *jurisdictioni.*

3º » Denique harum sodalitatum membra, quamvis nullum regularem habitum deferant, attamen satagant, ut in seipsis *non sit indumenti vestimentorum cultus* (*I Petr.*, III, *3*), nec aliquid quod cujusquam offendat adspectum, sed quod decet religiosas personas, *promittentes pietatem per opera bona* (*I Timoth.*, II, *10); caveantque* ne quod per spiritus prudentiam occulitur, per prudentiam carnis in culpabilem simulationem degeneret. »

ARTICULUS II.

DE ERECTIONE CONVENTUUM ET DOMORUM.

1101. **I. Absque expressa licentia Ordinarii et Sedis Apostolicæ, novas sibi sedes constituere,** erigendo novas ecclesias, aperiendove cœnobia, collegia, scholas, sodalibus Religiosis non licet.

a) « Hic primo occurrunt *Decretales veteres*, quibus est cautum ne quid hujusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicæ licentia speciali (*cap. Religiosorum,* § *Confirmatas, De relig. domibus ; et cap. Ex eo, De excess. Prælat., in 6º*).

b) » Postmodum, *Tridentina synodus* in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine *Episcopi*, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta » (*sess. 25, cap. 3, De Regular.)*, quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab *Apostolica Sede* impetrari jubentibus.

c) » Quapropter, cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII, *constit. Romanus Pontifex, 13 kalend. septembris 1624*, pravam consuetudinem emendaturus, opera ejusmodi improbavit, tam quæ sine venia Episcopi, quam quæ *sola* illius auctoritate susciperentur; et veterum canonum simul conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit.

» Huc etiam spectavit *Innocentius X*, in constitutione *Instaurandæ*, idibus octobris 1652, qua præcepit ut nemo ex Familiis regularibus « domos vel loca quæcumque de novo recipere vel fundare præsumat, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali ».

d) » Quare, *communis hodie sententia* est, cui favet passim rerum judicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria, aut conventus, sive collegia, fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri *(Ben. XIV, De syn., lib. 9, cap. 1, n. 9; Monacelli, Formul. legal., p. 1, tit. 6, form. 19, n. 31).*

e) » Iisdem insistens vestigiis, *Sacrum Consilium christiano nomini propagando* pluries decrevit veniam Apostolicæ Sedis et Episcopi, aut Vicarii Apostolici, ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam (*S. C. de Prop. Fide, 22 mart. 1669; 3 nov. 1688; 1704, 1768; 23 aug. 1858; 30 maii 1864; 17 jul. 1865*). » — *Constit. Romanos Pontifices, Leonis XIII, 8 id. maii 1881.*

1102. **II. Si regularis Familia, non prorsus novum opus moliatur, sed ea quæ sunt instituta velit in alios usus convertere,** quæritur utrum duplex ea venia sit impetranda?

« Verum, neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si *varios,* qui accidere possunt, *casus* distinguamus.

» Initio enim, quis serio dubitet an ea quæ pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? — Restat itaque ut de *tribus* hisce dumtaxat quæratur : utrum nempe liceat dimovere de loco Instituta alioque *transferre;* aut *immutare* in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, cœnobium in collegium, in domum pupillis ægrotisque recipiendis, vel vicissim, mutaretur; aut demum, priore usu retento, *novam causam* sive usum inducere.

a) » Jam vero, quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habitandum domos vel loca quæcumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare » *(Cap. Cum ex eo, De excess. Prælat., in 6°)*.

» Rursus, qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in *fundationem novam* « monasteriorum, collegiorum, domorum, conventuum et aliorum regularium locorum hujusmodi » ?—Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per constitutionem *Romanus Pontifex,* « servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et concilii Tridentini forma ».

b) » Sic unum superest de quo contendatur : num, priore usu retento, *nova causa* vel usus adjici valeat.

» Tunc autem pressius rem urgere oportet, et accurate dispicere : utrum ea inductio alterius usus, ad *interiorem administrationem* disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa junioribus sodalibus in cœnobio constituatur; an *fines interioris administrationis sit excessura,* puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis.

1° » Plane *si dictos fines excesserit,* res redit ad alterutram illarum quæ a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubitu, ceu diximus, prohibentur.

2° » Sin autem *intra limites* domesticæ disciplinæ muta-

tio contineatur, suo certe jure Regulares utentur, nisi forte leges fundationis obsistant.

» Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur : religiosis sodalibus *non licere* ea quæ instituta sunt in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicæ et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quæ, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad *internum* regimen et disciplinam regularem. » — *Cit. constit. Romanos Pontifices, Leonis XIII, § Fieri solet.*

1103. **III. « In monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum, is tantum numerus** constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, commode possit sustentari. » — *Trid., sess. 25, cap. 3, De Reg.*

a) « Jure communi *(Innoc. X, constit. Instaurandæ, 15 octobr. 1652; — constit. Ut in parvis, 10 febr. 1654)* constitutum est ut domus quæ sodales religiosos *sex* ad minimum non capiant, careant privilegio *exemptionis*, et in potestate Episcoporum omnino esse debeant. » — *Constit. Romanos Pontifices, Leonis XIII, § De hoc itaque.*

Imo, non desunt qui teneant, etiam hodie, in suo robore permanere decretum Urbani VIII quoad conventus erectos post diem 25 jun. 1625, qui, nisi habeant *duodecim* Religiosos, exemptionis privilegio non fruuntur. — *Cf. Santi, Prælect., lib. 3, tit. 36, n. 5 et 6; — Zitelli, Apparatus juris eccles., pag. 59.*

b) Verum S. C. de Propag. pluries declaravit constitutiones Romanorum Pontificum non esse de domibus atque hospitiis *Missionum* intelligendas.

Et nuper, Leo XIII declaravit : in præsenti conditione Ecclesiæ Catholicæ in *Anglia*, Regulares qui in residentiis missionum commorantur, *exemptos* esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, præterquam in casibus a *jure* nominatim *expressis*, et generatim in iis quæ concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem. — *Cit. constit. Romanos Pontifices; § Quamobrem.*

1104. **IV. Ne novus conventus præjudicium afferat Institutis religiosis præexsistentibus,**

a) Præscriptum est constitutionibus Pontificiis, præsertim Clementis VIII, *Quoniam*, an. 1603, et Gregorii XV, *Cum alias*, an. 1622, licentiam non concedendam fore, nisi postquam aliorum conventuum in iisdem urbibus vel in vicinis locis exsistentium Priores, seu Procuratores, et alii *interesse habentes*, vocati et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint; vel alias Ordinariis locorum constiterit Religiosos monasterii, conventus seu domus sic erigendi, *absque detrimento* Religiosorum in monasteriis seu domibus antea in civitatibus et locis hujusmodi erectis degentium, ibi commode et congrue manuteneri et ali posse.

b) Controvertitur utrum inter citandos et audiendos, etiam sint *parochi* locorum.

Verum sententia quod et parochi ante consensum audiendi sint, *probabilior* et juri conformior esse videtur.

Idque probatur ex bulla Clementis VIII, ubi expresse cautum est ut in erectione novorum conventuum provideatur omnibus « *interesse habentibus* ». — Atqui, parochi in hujusmodi causa *interesse* habent, cum contingere posset quod ex nova monasteriorum constructione eorum oblationes, aliave jura parochialia ita diminuerentur ut congruam sustentationem non amplius haberent. — *Reiffenst., De ecclesiis ædific., num. 33. — Cf. Icard, Prælect., num. 451.*

c) Posset Episcopus dare licentiam ædificandi monasterium, etsi præexsistentes Regulares aut alios interesse habentes non citet neque audiat, casu quo eidem *aliunde satis constet* noviter introducendos Regulares sine aliorum præjudicio commode sustentari posse; nam Gregorius XV, in citata constitutione, clausulam disjunctivam adjecit : « *vel alias Ordinariis locorum constiterit....* ». — *Ita Reiffenstuel et alii* contra paucos; et hanc interpretationem confirmat consueta ratio agendi Episcoporum in nostris ecclesiis.

Monent tamen Doctores consensum ab Episcopo, aliis non auditis, non esse facile dandum, nisi *evidenter* constet novam monasterii erectionem nulli fore præjudiciosam.

d) Omnibus quorum interest fas est *appellare* a sententia Episcopi ad Sac. Congr. Episc. et Regul.; et hæc appellatio effectum habet *suspensivum*, ex citata constitutione *Cum alias, Greg. XV, an. 1622.*

1105. **V. Præfata juris dispositio de requirendo consensu vicinorum conventuum non respicit conventus Monialium.**

Ratio est quia « monasteria Monialium non fundantur in paupertate, sed cum adsignatione et *redditibus certis* qui sufficiant pro illarum manutentione; cessatque omne aliud præjudicium a constitutionibus Apostolicis et decretis consideratum, tam quoad quæstum quam quoad sacramentorum perceptionem, ac eleemosynarum pro Missis nec non sepultura. Et hanc sententiam verissimam esse demonstrat praxis Sacræ Congregationis ». — *Monacelli, Formularium legale, part. 1, tit. 6, form. 19.*

CAPUT III.

DE INGRESSU IN STATUM RELIGIOSUM.

Agendum est : de admittendis in statum religiosum ; — de novitiatu ; — et de professione.

ARTICULUS I.

DE ADMITTENDIS IN STATUM RELIGIOSUM.

Hi soli in statum religiosum admittendi sunt, qui prudenter reputantur divinitus *vocati* ad hoc vitæ genus amplectendum.

Jure communi quidam ab ingressu Religionis *prohibentur*, de quibus in specie agendum est, nempe :

1106. **I. De conjugatis.**

a) Generalis et certa regula est conjugatos, *post matrimonii consummationem*, ab ingressu Religionis prohiberi. — *Cf. cap. 2, De conversione conjugatorum.*

Hæc generalis regula *in quibusdam fallit*, nempe :

1° Si alter conjux *consentiat.* — Tunc autem nequaquam dissolvitur matrimoniale *vinculum*, nec potest hic proinde ad novas nuptias convolare.

Imo, jure canonico sancitum est ut, si juvenis sit, vel suspectus de incontinentia, debeat et ipse religionem ingredi; sin vero senex et extra dictam suspicionem, potest in sæculo remanere. — *Cf. Schmalzgrueber, in tit. De conversione conjugatorum.*

2° Si alter conjugum *adulterium* patraverit. — Tunc scilicet pars innocens potest, *invita etiam altera,* Religionem ingredi, atque in ea valide profiteri.

Remanet tamen matrimoniale vinculum, ita ut nequeat pars adultera ad novas nuptias convolare.

3° Si alter conjugum in *hæresim* aut in *apostasiam* lapsus sit, et, monitus, in suo errore *pertinaciter* perseveret.

Tunc etiam licitum est conjugi innocenti Religionem ingredi, quin tamen possit *alter* novum matrimonium valide contrahere.

b) Certa quoque regula est : posse unumquemque conjugum, *ante matrimonii consummationem*, Religionem ingredi, et professionem valide emittere; nec minus certum est *solvi* tunc matrimoniale vinculum, ita ut possit alter conjux ad novas nuptias convolare.

1° Ne autem pars quæ de ingredienda Religione deliberat, propositi exsecutionem et debiti conjugalis redditionem ad nimium tempus protrahat, lege ecclesiastica præfixum ei fuit *bimestre*, quo elapso, si Religionem non sit ingressa, tenetur, exigente conjuge, matrimonium consummare. — *Cap. Ex publico, De conversione conjugat. — Cf. resp. Sac. Cong. super statu Reg., 25 jan. 1861.*

2° Verum bene notandum est hæc de *Religione solemni* intelligenda esse, non vero de Congregationibus ubi emittuntur vota *simplicia*; et matrimonium ratum non dissolvi per ingressum in conventum, neque per novitiatum, sed per *professionem* religiosam.

Hinc, non posset hodie mulier, post matrimonium suum ratum non consummatum, ingredi conventum aliquem Monialium *Galliæ*, etiam earum quæ ex instituto suo vota solemnia emittere deberent. Nam, ut jam monuimus, pluries a S. Pœnitentiaria declaratum est earum Monialium vota pro *simplicibus* dumtaxat a Sede Apostolica æstimari.

1107. **II. De criminosis.**

a) *Sixtus V*, constitutione sua *Cum de omnibus*, prohibuit admitti reos vel suspectos homicidii, furti, latrocinii et similium vel graviorum criminum ; imo, eorum admissionem et secutam professionem *irritam* pronuntiavit.

Postea, in sua constitutione *Ad Romanum*, declaravit præfatam dispositionem de criminosis intelligendam esse, cum actis publicis constiterit ipsos apud sæcularem curiam de crimine *accusatos* vel inquisitos fuisse.

b) *Clemens VIII*, constitutione *In suprema*, dispositionem Sixti V abrogavit quoad sancitam *nullitatem* ad-

missionis et professionis, sed in vigore reliquit quoad *illiceitatem* et *pœnas* in admittentes.

c) Si post accusationem vel inquisitionem reus est *absolutus* et declaratus innocens, existimat *Suarezius* ipsum posse licite Religionem ingredi.

Quin etiam probabile censet, eum qui de tali crimine juridice convictus est et ad pœnam damnatus, si jam *pœnam impositam implevit*, et tam reipublicæ quam parti satisfecit, jam manere expeditum ad Religionem. — *Suarez., De Relig., tract. 7, lib. 5, cap. 7, num. 19.*

1108. **III. De gravatisære alieno.**

a) Si debita sint certa, et debitor *habeat unde solvat*, solvere tenetur ante ingressum in Religionem. Nam Religionem ingredi est tantum de consilio; debita autem solvere est de præcepto.

b) Si gravati ære alieno sint *solvendo impares*, illicita est eorum admissio, ex *constit. Cum de omnibus, Sixti V, 6 kal. dec. 1587.*

Imo, *irritam* declaraverat idem Pontifex eorum admissionem et secutam professionem. — Verum huic decreto derogavit Clemens VIII, *constit. In suprema, 2 jun. 1602*, quoad pronuntiatam nullitatem admissionis et professionis.

Non desunt tamen qui teneant debitores Religionem ingredi posse, facta creditoribus *cessione bonorum*, quando *non est spes fore* ut, remanendo in sæculo, ipsis satisfacere possint.

1109. **IV. De adstrictis obligatione sublevandi egestatem parentum.**

a) Filii licite possunt Religionem ingredi, *invitis parentibus*, quia, in electione status, ipsorum voluntatem sequi non coguntur.

Imo, quandoque expedit ut, *inconsultis parentibus*, Religionem assumant, eo quod in tali negotio parentes sæpe, ob proprium commodum, in hostes mutentur. — *Cf. S. Thomam, 2. 2., q. 189, art. 10; — S. Lig., lib. 5, n. 68.*

b) Verum communis sententia est : licitum non esse filio suos parentes in *extrema* vel etiam in *gravi* necessitate dimittere, ut monasterium *ingrediatur.*

Nam, sicut *parentibus* « convenit ut filiorum curam habeant, et propter hoc non liceret alicui filios habenti Religionem ingredi, omnino prætermissa cura filiorum, id est, non proviso qualiter educari possit », ita dicendum est « quod parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis commode aliter quam per filiorum obsequium subveniri non possit, *non licet filiis,* prætermisso parentum obsequio, Religionem intrare ». — *S. Thom., loc. cit., art. 6.*

c) Imo, Doctores tradunt filium teneri *egredi* e monasterio, facta etiam professione, si parentes prolabantur in *extrema* necessitate, ac desit aliud medium illis subveniendi. — *Cf. S. Lig., loc. cit., num. 66.*

d) Si vero de necessitate tantum *gravi* agatur, sententia quam S. Ligorius probabiliorem appellat, docet in tali casu non teneri, nec posse filium *egredi* e monasterio. — *Cf. S. Th., 2. 2., q. 101, art. 4, ad 4 ; — S. Lig., l. c., n. 67.*

Tenetur tamen, salva sui Prælati obedientia et suæ Religionis statu, media adhibere quibus ejus parentibus subveniatur.

e) Non licet *fratres et sorores* deserere in extrema, sed tantum in gravi necessitate, quamvis *ratione charitatis* posset quis *differre* et etiam *omittere* statum Religionis ad subveniendum fratribus graviter indigentibus. — *S. Lig., loc. cit., num. 70.*

1110. **V. De obnoxiis reddendæ rationi pro administratione.**

a) Non tantum *illicitam* horum admissionem voluit Sixtus V, dicta constitutione *Cum de omnibus,* sed et *irritam* pronuntiavit cum secuta professione.

Verum Clemens VIII, constitutione *In suprema,* decretam a Sixto V nullitatem sustulit, et *illiceitatem* admissionis servavit.

b) Intelligenda est hæc prohibitio : sive agatur de ad-

ministratione publica, sive etiam de privata. — *Cf. Suarez., De Relig., loc. cit., num 20.*

c) Restringitur hæc prohibitio ad casum quo vel *hic et nunc* pendeat, propter reddendas rationes, lis aut molestia, vel *timendum sit* ne inferatur. Id enim clare exprimitur in Sixtina constitutione.

Unde admitti potest postulans qui, absque lite et notabili molestia, ab istis administrationibus sese expedire prudenter existimat.

1111. **VI. De clericis et beneficiariis.**

a) Omnino certum est : clericos omnes, etiam *beneficiarios, curam etiam animarum* habentes, *absque Episcopi sui licentia*, etiam *ipso contradicente*, Religionem ingredi posse. — Quod probatur :

1º Ex *can. Duæ sunt, 2, caus. 19, q. 2* : « Si quis in ecclesia sub Episcopo populum retinet, et sæculariter vivit, si, afflatus Spiritu Sancto, in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se voluerit,.... etiam Episcopo suo contradicente, eat liber Nostra auctoritate. » — *Cf. conc. Tolet. IV, can. 50; — et Benedictum XIV, brev. Ex quo, 14 jan. 1747.*

2º Ex unanimi *Doctorum catholicorum* sententia, post Sanctum Thomam, *2. 2., q. 189, art. 7.*

3º Ex ipsa status religiosi *natura* et *divina institutione*. — Etenim, cum ipse Christus Dominus statum religiosum instituerit, ab illo statu excludi non censendi sunt nisi ii qui, vel in sublimiori adhuc perfectionis statu versantur, quales sunt *Episcopi*, vel qui ligantur aliquo *impedimento* cum dicto statu religioso incompatibili.

Porro, clerici, etiam curam animarum exercentes, ex illa sua clericorum aut curatorum conditione nihil habent cum statu religioso *incompatibile*. Ergo, a Christo ipso *jus* habere censendi sunt ad Religionem divertendi. Ergo nequit Episcopus hoc ipsorum jus tollere. — *Bouix, De jure Regul., tom. 1, p. 544.*

Attamen, clericus *curam animarum* gerens, de suo in Religionem secedendi proposito Episcopum suum *certiorem*

facere debet, quod ex ipso jure naturali sequitur, prout tradit Benedictus XIV in *cit. brevi Ex quo*.

b) Facultas quam habent clerici Religionem ingrediendi absque licentia Episcopi, intelligenda est etiam de ingressu in *Congregationes cum votis simplicibus perpetuis* approbatas.

1° In textibus enim qui clericis dictam vindicant facultatem, vox *Religio* in *latiori* sensu desumenda est. Siquidem ratio legis non est *solemnitas* votorum, sed *natura* et *perfectio* religiosi status, cujus vota substantialia habentur in hisce Congregationibus.

2° Et *S. C. Ep. et Reg.* haud semel declaravit jus illud extendi ad Congregationem votorum simplicium, « *ne impediatur vocatio ad statum perfectiorem* », ut dicitur in resolutione data die 3 maii 1839.

c) Hæc regula generalis *in duobus* fallit, nempe :

1° Si ecclesia *detrimentum grave* patiatur ex dimissione clerici.

« Certis in casibus, *ait Benedictus XIV*, justisque exigentibus causis, Episcopo competit ut suum clericum sæcularem Ordini regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus canonum Doctor Innocentius IV, *ad cap. Licet, De Regul.*, cujus verba hæc sunt : « Clericus potest transire ad Religionem, non petita licentia, etiamsi contradicatur ; crederemus tamen quod posset Episcopus eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret jacturam ». — *Bened. XIV, constit. Ex quo, 14 jan. 1747.*

2° Si clericus sese *ex pacto* obligaverit ad serviendum diœcesi per aliquot annorum spatium. Tunc enim nequit Religionem ingredi antequam huic obligationi satisfecerit; siquidem religiosum statum amplecti est tantum de *consilio*, contractum autem explere est de *præcepto*.

Atque hac ratione causam assequimur qua fit ut qui in *Seminariis Pontificiis* exterarum nationum in *Urbe* instituuntur, propter *promissionem* sub Episcopis *propriarum diœcesium* sacra ministeria in salutem animarum exercendi, a religiosis Ordinibus intercludantur.

d) Quod hujusmodi contractu, saltem tacito, ligati existimandi sint hodie *in Gallia* juvenes illi qui, sive in minoribus sive in majoribus seminariis, *sumptibus diœcesis* educati sunt, quando donationes aut fundationes in hunc finem fieri contigit,

1° *Alii affirmant*, quoniam æquum est, et maxime rationi consentaneum, ut ei operam suam præstent cujus beneficio ad dignitatem officii clericalis conscenderunt. — *Cf. Icard, Prælect., n. 459.*

2° *Alii vero negant*, his rationibus innixi :

Dictæ obventiones iis juvenibus non erogantur cum ea conditione ut, si forte ordines sacros non suscipiant, ad *restitutionem* teneantur; et revera, plures quotannis ineundi clericalis status consilium deserunt, quin ab ipsis donatores quidquam ex justitia repetant. Porro, cum donatores consentiant ut illi juvenes *laicalem*, si libuerit, conditionem eligant, a fortiori præsumendi sunt consentire ut *statum religiosum* ingrediantur.

Præterea, intentio donatorum in Gallia videtur esse generatim ut provideatur de majori clericorum numero. Intentus autem ille scopus obtinetur, etiamsi ex illis juvenibus nonnullos, non sæculari, sed *regulari clero* nomen dare contingat. — *Bouix, De Regul., tom. 1, p. 551.*

1112. **VII. Episcopi** prohibentur ingredi Religionem absque S. Pontificis consensu, propter *vinculum spiritualis matrimonii* quod inter Episcopum ejusque ecclesiam intercedit, et quia, sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur. — *Cap. Licet, De Reg.; — cap. Inter, De translat. Episc., etc.*

Regula data extenditur ad Episcopos *Titulares*, quia et ipsi alligati sunt certæ ecclesiæ, etsi per accidens, ob infidelium occupationem vel tyrannorum persecutionem, non possint actu præesse suo episcopatui. — *Schmalzgrueber, De Regularibus, num. 32.*

1113. **VIII. Professi alterius Ordinis** non sunt admittendi in aliqua Religione, nisi transitus fiat ad *strictiorem* Ordinem (*Trid., sess. 25, cap. 19, De Reg.*), et Reli-

giosi, non ex temeritate aut levitate, in jacturam seu injuriam sui Ordinis, sed vere ad frugem *melioris vitæ* transmigrare velint, ut dicitur in *cap. Licet, 18, De Regul.*

a) Subditus a Prælato cum humilitate et puritate debet transeundi *licentiam postulare*, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.

Sed Prælatus sine difficultate debet transeundi *licentiam indulgere*, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum.

Et Religiosus, licentia postulata, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, *non obstante* indiscreta contradictione Prælati. — *Cap. Licet, De Regul.*

b) Religiosus certiorari debet de *assensu monasterii* quod ingredi sibi proponit, antequam suum conventum derelinquat, ne forte post discessum vagetur in sæculo, sitque periculo apostasiæ expositus. — *Constit. Sacra Congregatio, Urbani VIII, 16 sept. 1624.*

c) Cæterum, cum multæ sæpius orirentur difficultates et locus daretur scandalis, usu et stylo Curiæ Romanæ inductum est, ut nemo transire debeat de una Religione in aliam absque *licentia S. Sedis.* — *De Ang., in tit. De Reg., num. 14.*

1114. **IX. Illegitimi**, ex constitutione Gregorii XV *Circumspecta*, an. 1590, licite admitti possunt. — Imo, professio solemnis tollit irregularitatem *ex defectu natalium*, ad suscipiendos sacros ordines. — *Cf. n. 310.*

Attamen, illorum admissio ex constitutionibus aliquarum Congregationum prohibetur.

ARTICULUS II.

DE NOVITIATU RELIGIOSO.

Agendum est : de novitiatus notione et necessitate; — de admissione noviliorum; — de novitiatus duratione, loco et habitu; — de novitii obligationibus, juribus et privilegiis.

Etsi generatim leges canonicæ circa novitiatum solummodo *Regulares proprie dictos* respiciant, attamen S. C. Reg. illas solet applicare Institutis etiam *votorum simplicium*, quando ipsis dignatur approbationem concedere.

§ I. DE NOTIONE ET NECESSITATE NOVITIATUS RELIGIOSI.

1115. **I. Novitiatus religiosus est :** *Probationis* tempus, seu exercitium ad profitendum statum religiosum in aliquo particulari Ordine religioso. — Videlicet :

a) Per hujusmodi exercitium, *ex una parte, Ordo religiosus* experitur : sive supernam novitii vocationem, quo spiritu, qua mente ac voluntate ad id genus vitæ feratur : sive ejusdem qualitates, mores et aptitudines ad finem proximum et modum vivendi proprium ipsi Ordini, ut exinde dignoscatur utrum expediat illum admittere, vel rejicere.

b) At simul, *ex alia parte, ipse novitius* experitur Religionis austeritates et statuta, suamque indolem, ut videat utrum expediat, juxta Dei consilium, statum religiosum, et quidem in illo Ordine, profiteri.

1116. **II.** « **Necessarium est,** *ait Suarez,* ut cum plena scientia et cognitione, et non temere, status religiosus suscipiatur ; et ideo oportet in particulari conferre *talem statum* cum *tali persona,* consideratis ejus viribus, et aliis conditionibus extrinsecis. Non enim quod est secundum se melius cuilibet melius est. » — *De Religione, tract. 7, lib. 5, cap. 8, n. 2.*

Ideo, jubente Trid., nullus ad professionem admittatur qui per annum in probatione non steterit. — *Cf. n. 1121.*

§ II. DE ADMISSIONE NOVITIORUM.

1117. **I. Pro admittendis aut rejiciendis novitiis, nullatenus ab Episcopo dependent,** saltem de jure communi, *virorum* Religiones ab Apostolica Sede approbatæ.

a) Patet ex eo quod *ex vi approbationis* talis potestas Religioni confertur : imo in ipsa approbatione intrinsece includitur. — Etenim, approbare Religionem est concedere omnia quæ ad utilitatem, conservationem et gubernationem Religionis pertinent; *conservatio* autem Religionis non potest fieri absque receptione novitiorum. — *Cf. Suarez, De Relig., loc. cit., cap. 10.*

Ergo, de jure communi, nequit Episcopus virorum Congregationem ab Apostolica Sede approbatam *cogere* ad aliquem in novitium recipiendum, nec *impedire* ne aliquem recipiat.

b) Asserta Congregationibus virorum independentia ab Ordinario in recipiendis novitiis, intelligenda venit etiamsi Congregatio *non sit exempta ;* et etiamsi *vota solemnia non habeat,* modo tamen Pontificiam approbationem obtinuerit. — Nam hæc independentia, juxta traditam a Suarezio doctrinam, invicte sequitur ex ipsamet *Pontificia approbatione. — Cf. Bouix, op. cit., tom. 1, pag. 558.*

1118. **II. Moniales, ob communem usum, ad admittendas novitias licentiam petunt :** vel *Episcopi,* si ejus jurisdictioni ordinariæ vel delegatæ subjiciuntur; vel *Prœlati regularis,* si a Prælatis regularibus immediate regantur. — *Cf. n. 1210.*

Et, jubente *concilio Tridentino,* puella quæ *habitum regularem* suscipere voluerit, non ante eum suscipiat quam exploraverit Episcopus ejus *voluntatem*, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. — *Cf. n. 1134.*

1119. **III. Non absque prævia informatione novitii admittendi sunt.** — Quod constat, tum ex jure natu-

rali, tum ex jure positivo. — *Cf. Sixti V constit. Ad Romanum, an. 1588; — constit. Clementis VIII, In suprema, 2 apr. 1602.*

a) Imo, ex decreto S. C. super statu Regularium, quod incipit *Romani Pontifices*, 25 jan. 1848.

1º « In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, monasterio, domo, sive in eis emittantur vota solemnia, sive simplicia, nemo admittatur ad habitum absque *testimonialibus litteris*, tum Ordinarii *originis*, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans, post expletum decimum quintum suæ ætatis annum, ultra annum *moratus fuerit.*

2º » Ordinarii in præfatis litteris testimonialibus, postquam *diligenter exquisiverint*, etiam per secretas informationes, de postulantis qualitatibus, *referre debeant* de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut aliquo alio impedimento canonico irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius.

» Et sciant Ordinarii eorum *conscientiam* super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales litteras *denegare.* »

Hoc decreto clericis non adimitur libertas Religionem ingrediendi *absque licentia proprii Episcopi;* siquidem requiruntur dumtaxat litteræ testimoniales Episcopi, non autem ejus licentia aut approbatio.

b) Ex decisione *S. C. Episc. et Reg., 1 maii 1851 :*

1º Si Ordinarius respondeat se postulantes *non agnoscere*, isti possunt admitti ad habitum et novitiatum, dummodo testimonialium defectui per *aliam accuratam informationem* et fide dignam suppleatur, et postulantes, antequam ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur.

2º Et, si Ordinarii *nolunt* dare litteras testimoniales, non aliam ob causam nisi quia opponuntur ingressui postulantis in Religionem, recurrendum erit ad S. C. super statu Regularium.

3o Non invalida, sed tantum *illicita* esset professio, si fieret omissis litteris testimonialibus.

c) Decretum *Romani Pontifices*, de litteris testimonialibus Ordinariorum requirendis, respicit tantum religiosos *viros*, non vero Moniales. — *Sacr. Cong. super statu Regularium, 25 feb. 1863.*

1120. **IV. Ætas pro admissione novitiorum** regula generali determinata non est.

Attamen *puellæ*, licet olim ad habitum recipi possent post expletum annum duodecimum, hodie non possunt vestiri habitu Religionis, nisi habeant decem et quinque annos completos, ut declaravit S. C. Ep. et Reg., 23 maii 1659. — *Ferraris, v. Moniales, art. 1, n. 72.*

§ III. DE NOVITIATUS DURATIONE, LOCO ET HABITU.

1121. **I. Certum est requiri integrum novitiatus annum.** — *Concilium* enim *Tridentinum* statuit : ut *in quacumque Religione*, tam virorum quam mulierum, nullus ad professionem admittatur qui minori tempore quam per *annum*, post susceptum habitum, in probatione steterit. Professio autem antea facta sit *nulla*, nullosque habeat effectus. — *Sess. 25, cap. 15, De Reg.*

a) Novitiatus annus debet esse *completus* de momento ad momentum, ita ut nulla sit professio etiamsi deesset modicum tempus, ut declaravit *S. C., 17 jan. 1617.*

b) Hic annus debet esse *continuus*. — Deficere censenda est continuitas, si vel unico momento novitius e monasterio egrediatur *cum animo non redeundi*.

Verum novitiatus non dicitur interruptus, si novitius extra claustra, ex justa causa, et cum licentia Superioris absit. — *Cf. Reiffenst., De Reg., n. 107.*

1122. **II. Requiritur ut novitiatus fiat in conventu aliquo illius Ordinis in quo professio emittenda est;** alioquin professio foret nulla. — Nam concilium Tridentinum irritam declaravit professionem, nisi profitens per annum *in probatione* steterit. Qui autem in novitium admit-

teretur, sed ante professionem toto tempore *extra conventum* degeret, non posset dici stare in probatione, quia rigorem regulæ non experiretur. — *Trid., sess. 25, cap. 15, De Regularibus.*

a) Imo, sub eadem pœna nullitatis, novitiatus peragendus est in conventibus auctoritate Apostolica designandis. — *Const. Clementis VIII, Regularis disciplinæ, 12 mart. 1596; et constit. Sanctissimus, 20 jun. 1599;— Const. Urbani VIII, Sacra Congregatio, 21 sept. 1624.*

b) Quod ad qualitatem uniuscujusque novitiatus spectat, locus hujusmodi *propria clausura* ab ea parte conventus et monasterii in qua degunt professi, *segregatus* sit atque distinctus. — *Decret. Clementis VIII, Cum ad regularem, 19 mart. 1603.*

1123. **III. Debet novitiatus peragi in habitu proprio Religionis,** sub sanctione *nullitatis* professionis. Id enim expresse edicitur a concilio Tridentino, *loc. cit.*

Excipe tamen si aliter determinetur in statutis, vel requirat locorum necessitas apud gentes statui religioso hostiles.

1124. **IV. « Finito tempore novitiatus,** Superiores novitios quos habiles invenerint ad profitendum *admittant*, aut e monasterio eos *ejiciant.* » — *Trident., sess. 25, cap. 16, De Regularibus.*

Verum intelligenda est hæc dispositio concilii Tridentini, nisi justa subsit *causa* professionem differendi, qualis esset, ex. gr., defectus ætatis. — *Cf. Reiff., De Reg., n. 68.*

§ IV. DE NOVITIORUM OBLIGATIONIBUS, JURIBUS ET PRIVILEGIIS.

1125. **I. Ad observantiam regularum et præceptorum communium Religionis,**

a) Novitii *per se* et *directe* in conscientia non obligantur. — Non apparet enim ex quo capite oriatur obligatio hæc in novitiis, cum status illorum plus non exigat quam ut novitium suum Religio regere, instruere, corrigere, et

delinquentem punire possit, quod fieri potest etiam si novitius ipse ad regulas et præcepta hujusmodi observanda in conscientia non obligetur. — *Cf. Schmalzgrueber, De Regul., n. 85 et seq.*

b) Verum *honestas* et *decentia* omnino suadent ut novitii regulas et præcepta communia Religionis observent.

1° Patet ex eo quod alias regula generalis sit : ut « qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam ». — *Cap. 3, De statu Monach.*

2° Accedit quod, nisi et ipsi observarent regulas Ordinis, non satis *probarent* Religionem, nec Religio ipsos; et ex transgressionibus repetitis oriretur *scandalum, confusio* et *perturbatio* magna in Ordine. Et hinc fit ut hujusmodi transgressiones sæpe etiam *peccaminosæ* fiant.

c) De *regimine novitiatus* et educatione novitiorum, cf. decretum Clementis VIII, quod incipit *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603.

1126. **II. Novitius, per se loquendo, libere et licite Religionem deserere et ad sæculum redire potest,** nulla allegata causa, et non requisita Prælati licentia. — *Arg. ex cap. 23, De Reg.; et ex cap. 1 ejusd. tit., in 6°.*

a) Diximus : *per se loquendo*; nam utique culpa non vacaret novitius qui, ex sequiore aliqua animi affectione, v. gr. ira, vel odio, ad ita recedendum a Religione ad sæculum se permoveri permisit, aut qui pervidet, casu quod ad sæcularis vitæ licentiam, occasiones et pericula peccandi redeat, se animam suam salutis periculo expositurum. — *Schmalzgrueber, De Regul., n. 78.*

b) *Regulariter* novitius non tenetur *expensas refundere* quæ factæ sunt in ipsius sustentationem, si postea revertatur ad sæculum. — Secus enim *libertas* hæc redeundi multum imminueretur.

Præterea probatio annua instituta est, non tantum in bonum novitii, sed etiam Religionis; et pleraque monasteria fundata sunt, non tantum ad alendos professos, sed etiam novitios. — *Schmalz., loc. cit., n. 80.*

1127. **III. Concilium Tridentinum, libertati professionis religiosæ prospiciens,** sartam tectam servando novitii libertatem ad sæculum revertendi, statuit : ut nulla *renuntiatio* aut *obligatio*, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, « nisi cum licentia Episcopi fiat *intra duos menses proximos ante professionem;* ac non alias intelligatur effectum suum sortiri nisi *secuta professione;* aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita et nullius effectus ». — *Sess. 25, cap. 16, De Reg.*

a) Cum, ex decreto S. Cong. super statu Reg., diei 19 mart. 1857, vota a novitiis in monasteriis virorum emissa sint *simplicia per triennium*, antequam admittantur ad professionem solemnem, S. P. Pius IX, *die 1 aug. 1862*, statuit renuntiationem quam, in citato capite 16, concilium Tridentinum respicit, *pro professis votorum simplicium* locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. — *Lucidi, De vis. sac. lim., c. 4, num. 153.*

b) Decretum intelligitur de donationibus vel contractibus quibus *bona* et *jura* novitiorum *notabiliter* minuuntur, ut patet ex fine quem concilium in hoc suo decreto intendit.

c) Sed cum, juxta *legem civilem* quæ religiosas professiones non agnoscit, omnis actus cessionis, venditionis aut donationis, duobus mensibus ante professionem factus, *irrevocabilis* sit ; et aliunde, eadem lex civilis inhabiles declaret ad venditionem aut donationem *minores 21 annorum,* ideo permittitur ut juvenis profitendus de suis bonis disponat per actum *privatum,* coram Superiore regulari, de Ordinarii licentia, vel coram ipso Ordinario, postea suo tempore *ratificandum* in forma a lege præscripta, etiam post professionem solemnem, et, in casu minoris ætatis, ætate majori assecuta. Scilicet hæc renuntiatio *renovetur* quando opus est, quin tamen illa immutari possit. — *S. C. Ep. et Reg., 16 sept. 1885.*

d) Utrum valeant renuntiationes aut donationes factæ

ante ingressum in monasterium, sed *ejusdem ingressus intuitu*, si postea novitius egrediatur, gravissima est inter Doctores contentio. — *Cf. dissert. hac de re editam apud Acta S. Sedis, vol. 12, Append. 9.*

1128. **IV. Novitii in favorabilibus comprehenduntur nomine Religiosorum.** — Et ideo :

a) Habendi sunt pro personis vere *ecclesiasticis*, non minus ac tales sunt clerici in minoribus constituti. Unde gaudent privilegio *fori* et *canonis.* — *Cap. Religiosi, 21, De sent. exc., in 6°.*

b) Participant *indulgentias* atque *privilegia* specialiter concessa Religioni, et a proprio Ordinis sui Prælato absolvi possunt a *reservatis*, juxta facultates Regularibus concessas.

c) Idem Prælatus cum eis *dispensare* potest in votis, in observatione festorum et jejuniorum, in recitatione horarum canonicarum ad quas ratione Ordinis obligantur, quia, dum in probatione exsistunt, *subditi* hujusmodi Prælatorum sunt.

ARTICULUS III.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA.

Agendum est : de notione professionis religiosæ; — de ejusdem conditionibus; — de examine mulierum ante professionem, — et dote ab ipsis exigenda; — de effectibus validæ professionis, — nec non de professione invalida.

§ I. De notione professionis religiosæ.

1129. **I. Professio religiosa est :** Emissio votorum libere facta, et a Religione per Superiorem *acceptata*, vi cujus novitius, expleta probatione, in statu religioso admittitur.

a) *Duplex* distinguitur professio, si ad *conditionem votorum* attendamus ; alia proprie et stricte sumpta, si emittantur vota *solemnia;* alia late sumpta ac minus proprie, si vota sint *simplicia.*

b) Alia est distinctio professionis in *expressam* et *tacitam,* ratione *modi* quo vota emittuntur.

1° Professio *tacita* inducitur actibus quibusdam qui ex sua natura, seu ex more solito, includere censentur, ex parte novitii, *voluntatem* determinatam assumendi statum religiosum, et *acceptationem* ex parte monasterii : ut si quis, expleto tempore novitiatus, gestet habitum proprium professis, vel se ingerat in actibus professorum, cum tolerantia communitatis. — *Cf. tit. De Regul., passim.*

2° Professio *tacita* pro viris omnino abrogata est, ut patet ex declaratione, mox citanda, Sacræ Congregationis super statu Regularium, *12 jan. 1858,* ad 11. — *Cf. n. 1131.*

1130. **II. Decretum de professione votorum simplicium solemni professioni præmittenda.**

Hodie, in religiosis virorum Familiis, in quibus *solemnia* vota emittuntur,

a) Novitii, peracta probatione et novitiatu ad præscriptum concilii Tridentini, constitutionum Apostolicarum, et statutorum Ordinis, *vota dumtaxat simplicia* emittere debent; et deinde, *post triennium* a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus concessa fuerit. — *Litteræ encycl. S. C. super statu Regul., 19 mart. 1857.*

b) Poterit vero Superior *generalis*, ac etiam Superior *provincialis,* ex justis et rationabilibus causis, *professionem votorum solemnium differre,* non tamen ultra ætatem annorum viginti quinque expletorum.

Si vero Provinciales in Ordine seu Instituto non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum et duorum Religiosorum qui in Ordine aliquo gradu insigniti sunt. — *Cit. decret. S. C. super statu Reg., 19 mart. 1857.*

c) Ex brevi Apostolico quod incipit *Ad universalis Ecclesiæ*, 7 feb. 1862, pro *nulla* habenda est professio votorum

solemnium, non præmissa professione votorum simplicium. — *Cf. Lucidi, op. cit., cap. 4, num. 151.*

1131. **III. Cum decretum S. Congregationis nonnullis dubiis locum dederit,** circa naturam et qualitatem votorum, et circa obligationes ac jura illorum qui vota emiserunt, *novæ prodierunt declarationes* ex secretaria ejusdem S. Congregationis, 12 jun. 1858, pro Ordine Prædicatorum S. Dominici, quæ, postquam edita est constitutio *Ad Universalis Ecclesiæ*, 7 feb. 1862, *cunctos Ordines* prorsus afficiunt.

« 1° Vota simplicia, de quibus agitur, *perpetua* erunt *ex parte voventis*, utpote quæ tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

» 2° Eorumdem votorum simplicium *dispensatio* reservata est *Romano Pontifici*, cui professi, gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt.

» 3° Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt *ex parte Ordinis*, in actu demissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso *liberi* fiant.

» 4° Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium de quibus agitur, spectat ad *Magistrum generalem Ordinis, cum suo consilio generali.* Idem Magister generalis cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis, et præsertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam *subdelegare* Religiosos probos et prudentes, qui saltem tres esse debent.

» 5° Licet ad decernendam dimissionem *neque processus*, neque *judicii forma* requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta : tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex justis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus, eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem, ex causa *infirmitatis* post professionem votorum simplicium superventæ, dimitti poterit.

» 6° Professi dictorum votorum simplicium participes

erunt omnium *gratiarum* et *privilegiorum* quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.

» 7º Superiores regulares ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi professis *litteras dimissorias* dumtaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores, servatis tamen de jure servandis, et præsertim quæ circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede præscripta sunt.

» 8º *Anni professionis*, qui in dicto Ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium *computantur;* et professi votorum simplicium *suffragium* habent in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

» 9º Professi votorum simplicium *dominium radicale*, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum *administratio*, et *reddituum erogatio*, atque *usus*. Debent propterea ante professionem votorum simplicium *cedere*, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

» 10º Professi votorum simplicium remanere debent in domibus professorii et studiorum, et *vitam communem perfectam* observare.

» 11º Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio *expressa*, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

» Hæc Sanctitas Sua statuit atque constituit, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus, quibus Apostolica auctoritate *derogat*, ac derogatum esse declarat. »

Notandum est quod pro Ordinibus Minorum Observantium et Reformatorum, nec non Capuccinorum, in art. 9 sublata sunt hæc verba « *ac suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint* », et subrogata sunt alia verba, nempe : « *Non tamen suo Ordini* ». — *Cf. n. 1152.*

§ II. De conditionibus professionis religiosæ.

1132. **I. Ex parte personæ profitentis requiritur :**

a) Ut nullo jure a statu religioso removeatur. — *Cf. num. 1106 et seq., ubi de admittendis in statum religiosum, et de arcendis ab ejusdem ingressu.*

b) Ut sit in legitima *ætate* constituta. Requiritur et sufficit ut expleverit annum decimum sextum. — *Conc. Trid., sess. 25, cap. 15, De Reg.*

c) Ut habeat *animum profitendi.* — Est enim professio matrimonium quoddam spirituale cum Religione, quod, perinde ac carnale, deficiente consensu, et ipsum deficit.

d) Ut profiteatur, nec *metu*, nec *fraude* inducta. — De *fraude* et *dolo* patet, quia, ubi hic causam dat contractui, consensus deest. — De *metu* constat ex *cap. Perlatum, 1, De his quæ vi metusve causa fiunt,* ubi professio, si *vi* aut *metu gravi injuste incusso* extorta sit, omnino irrita pronuntiatur.

1° Sancta synodus Tridentina « anathemati subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, sæculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque *coegerint* aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus a jure expressis, ad *ingrediendum* monasterium, vel ad suscipiendum *habitum* cujuscumque Religionis, vel ad emittendam *professionem;* quique *consilium, auxilium* vel *favorem* dederint; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel *præsentiam,* vel *consensum,* vel *auctoritatem* interposuerint.

2° » Simili quoque anathemati subjicit eos qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa causa, *impedierint.* » — *Sess. 25, cap. 18, De Reg. — Cf. n. 1687.*

Hæc censura, nemini tamen reservata, etiam post constitutionem *Apostolicæ Sedis* in suo robore permansit. — *Cf. num. 1640.*

1133. **II. Ex parte Religionis,** requiritur *acceptatio professionis* expressa vel tacita, ab aliquo ad id potestatem habente.

a) Nam « traditio vel donatio, licet possit immediate fieri intuitu Dei, non tamen accipitur ab ipso, nec est illi grata, nisi fiat *alicui homini* a quo acceptari vel repudiari possit, et qui jus requirat in rem traditam, ad utendum illa, vel illi imperandum, curamque gerendi ejus.

» Hujus autem ratio est, quia Deus, secundum ordinariam providentiam suam, non suscipit *peculiarem* curam gubernandi *privatam* personam immediate per seipsum; nec *indiget* his rebus sensibilibus ut eis immediate et sine interventu causarum secundarum utatur ; et ideo donatio sic facta Deo, vel esset *vana* et *otiosa*, vel quasi *tentans Deum*, ab illo immediate regimen exigendo ; et propterea illi non placet, nec ab ipso immediate acceptatur. » — *Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 2, cap. 4, n. 7 et 8.*

b) Præterea, professio stricte dicta est *contractus* ultro citroque obligatorius, qui celebrari non potest nisi de utriusque partis consensu. — *Cf. cap. 13 et 16, De Regularibus.*

§ III. DE EXAMINE MULIERUM ANTE PROFESSIONEM.

1134. I. « **Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens, sancta synodus Tridentina** statuit atque decernit, ut puella quæ habitum regularem suscipere voluerit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia *professionem* emittat, quam *exploraverit Episcopus*, vel, eo absente vel impedito, *ejus Vicarius*, aut aliquis ab eis *deputatus*, virginis *voluntatem* diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. » — *Sess. 25, cap. 17, De Regularibus.*

a) Ne Episcopus professionis tempus ignoret, Præfecta monasterii tenetur eum ante mensem *certiorem facere,* sub

pœna suspensionis ab officio, ad Episcopi beneplacitum. — *Trid., ibid.*

b) Et, ne professio diutius protrahatur, hoc examen *infra quindecim dies* post dictam requisitionem fieri debet, cujus occasione, nec Episcopus, nec ejus Vicarius, intra septa monasteriorum ingrediantur, sed stent ante crates. — *Constit. Pii V, Etsi mendicantium, 16 maii 1567.*

1135. **II. Præfatum concilii Tridentini decretum non respicit Congregationes in quibus vota dumtaxat simplicia emittuntur.**

a) Verum Episcopus *statuere potest* ut in iisdem puellæ ad habitum et vota simplicia non admittantur ante factum a se examen.

b) In prædicto examine peragendo, non adstringitur Episcopus ad *formam* a concilio Tridentino et Pio V determinatam.

Nihilominus, cum Sedes ipsa Apostolica normam præscripserit in exploranda voluntate puellarum quæ Religionem stricte dictam ingredi volunt, *merito optima censeri debet* ubi agitur de ingressu in Congregationem aliquam votis solemnibus carentem.

Hinc, optimo consilio, in multis diœcesibus *praxis invaluit* ut puellæ dictas Congregationes ingressuræ eodem modo examinentur ac si solemnem postea professionem forent emissuræ. — *Bouix, De Regul., tom. 1, pag. 658.*

§ IV. De dote a mulieribus exigenda.

1136. **I. Non est simoniacum, neque illicitum, dotem exigere ab ingressuris in Religionem.**

Nam, sicut nomine *dotis* quæ solet solvi marito, intelligitur id quod datur a muliere proprio viro in sustentationem, sic nomine dotis quæ pro Moniali professura solvi consuevit monasterio in quo fit professio, intelligitur certa summa pecuniæ taxata a legitimo Superiore, quæ dari solet monasterio, non tanquam pretium status religiosi, sed *in sustentationem Monialis in eo profitentis;* unde, jura de-

creverunt patrem teneri constituere congruam dotem, non solum filiæ nubenti, sed etiam monasterium ingredienti, sicut communiter notant Canonistæ. — *Pellizari, De Monialibus.* — *Cf. constit. Apostolicæ Sedis, tit. 2, num. 10.*

1137. **II. Quantitas dotis** pro Monialibus adamussim præfigi non potest, cum in eadem præfigenda respectus haberi debeat *expensarum* quæ pro cujuslibet sustentatione necessariæ sunt.

Ideo pendet a variis *locorum* et *temporum* circumstantiis, et *uniuscujusque Instituti* ordinationibus standum est.

1138. **III. Dotes Monialium in bonis stabilibus fore collocandas** statuit S. C. Episc. et Regularium.

a) His deficientibus, jussit ut in *censibus securis* investiantur, ad aliumve modum recurrant Superiores ut *tuto* conserventur.

b) Eadem Sacra Congregatio non sinit dotes expendi pro exstinguendo *ære alieno*, nec etiam in *necessitates monasterii*, nisi obtenta licentia Sedis Apostolicæ, quæ raro conceditur si dos integra alienanda sit.

c) Hæc pro conventibus votorum solemnium constituta, servari etiam necesse est in Congregationibus *votorum simplicium*, ut præcaveantur gravissimæ difficultates quæ occurrere possunt si dos Moniali restituenda sit. — *Icard., Prælect., num. 465.*

1139. **IV. Per ipsam professionem, dotis dominium definitivum monasterio acquiritur.**

a) Ideo Monialis egrediens *dotem repetere* non potest, ut communiter docent Auctores.

b) Si Monialis transeat ad aliam Religionem, hoc fieri nequit absque *dispensatione* a S. Congr. Episc. et Reg. concessa. Jam vero, S. Congregatio, in rescripto quo transitus hujusmodi permittit, solet *conditiones adjicere* quas necessarias et opportunas ad hoc judicaverit, inter quas primum obtinet locum dispositio de Monialis translatæ dote, ut quæstiones inter utrumque monasterium evitentur. — *Cf. Lucidi, De visit. sacr. lim., cap. 5, num. 205 et seq.*

1140. **V. Moniales quæ profitentur vota simplicia, retinent suæ dotis dominium radicale.**

a) Et ideo, si e monasterio egrediantur, dos integra eis *reddenda* est, ut declaravit *S. C. Episc., 3 mart. 1792*, nisi aliter ex ipso *contractus tenore* dijudicandum sit.

b) Attamen conventus de illis restituendis dotibus quandoque retinere potest *aliquam partem,* ratione *expensarum* quæ factæ sunt ad sustentandas egredientes Moniales, dum in conventu commoratæ sunt. — *Bouix, op. cit., tom. 1, pag. 666.*

§ V. DE EFFECTIBUS VALIDÆ PROFESSIONIS.

1141. **I. Professio solemnis, valide emissa,**

a) Aufert *irregularitatem* ex defectu natalium ad suscipiendos sacros ordines; non vero intuitu dignitatum ecclesiasticarum. — *Cap. 1, De filiis presbyt.*

Hoc autem privilegium non est ad alias irregularitates extendendum. — *Cf. n. 310.*

b) *Matrimonium* nondum consummatum *dissolvit,* contrahendum vero *dirimit.* — *Trid., sess. 24, can. 6.* — *Cf. n. 1091.*

c) *Vinculum perpetuum* inducit, et *mutuam obligationem* inter Religionem et professum. — Quod vinculum mutuo consensu solvi nequit. — *Can. 4, causæ 33, q. 5.*

d) *Liberat* professos *a patria potestate,* quia professus transit in plenam potestatem Superioris regularis. — *Cf. Ferraris, v. Regularis professio, n. 106.*

1142. **II. Eadem exstinguit vota omnia in sæculo emissa,** quia in professione eminenter contenta seu commutata censentur. — *Cf. cap. 4, De voto et voti redemptione ; — et cap. Qui post votum, De Regul., in 6o.*

Imo, vota cum professione *compossibilia* per eam exstinguuntur, *si ita velit* profitens. Nam professio religiosa est quid melius quolibet voto ; ergo, qui professionem religiosam emittit, potest, si velit, omnia sua præcedentia vota in

ipsam commutare, et sic ea exstinguere. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 6, c. 14, n. 10.*

1143. **III. Probabilis sententia est ipsam remittere totum reatum pœnæ temporalis,** non quidem ex opere operato, cum non sit sacramentum, sed ex *excellentia operis* quod sit condigna satisfactio, ut pie creditur. Unde, a quibusdam Patribus baptismo æquiparatur. — *Cf. S. Th., 2. 2., q. 189, art. 3, ad 3; — Suarez, loc. cit., cap. 13, n. 4.*

1144. **IV. De obligationibus status religiosi**, specialis erit disputatio, *num. 1149 et seq.*

§ VI. DE PROFESSIONE INVALIDA.

1145. **I. Si professio fuerit invalida, nullam coram Deo inducit obligationem.**

a) Attamen professio potest esse invalida in *foro interno*, quin habeatur invalida in foro *externo*, v. gr. quando facta est professio sine animo se obligandi.

b) Nulliter professus, remoto impedimento, professionem *ratificare* potest, coram Superiore si causa nullitatis fuerit *nota*, absque Superiore si *occulta* fuerit.

1146. **II. Ex decreto concilii Tridentini**, *sess. 25, cap. 19, De Regul.*, tenendum est :

a) Esse professo *jus reclamandi* contra votorum professionem, illudque dari quoties pateat professionem fuisse emissam sub actione *vis* et *metus*, aut indebita *ætate*, aut verificetur *quid simile.*

Quæ ultima verba satis exprimunt jus reclamandi competere pro *quacumque causa* quæ nullam fecerit professionem, ex. gr. quia novitiatus fuerit interruptus, vel novitius non gestaverit habitum religiosum, etc.

b) Querelam esse proponendam intra *quinquennium*, computandum a die emissæ professionis, coram legitimo *Superiore regulari*, seu Prælato monasterii; et simul coram *loci Ordinario.*

Quod si professus tacuerit per quinquennium, eo expleto,

non amplius auditur, quia præsumitur ratam habuisse professionem suam, omnique juri nuntium misisse.

c) Si quis intra quinquennium *propria auctoritate* habitum dimisit, ad monasterium redire cogendum esse, non admitti ad proponendam querelam, tanquam *apostatam* puniendum, et interim privandum omni privilegio suæ Religionis.

1147. **III. Hæc Tridentina dispositio, ampliationem** et formam magis determinatam accepit a constitutione Benedicti XIV, *Si datam hominibus*, diei 4 mart. 1748. — Porro, ex hac constitutione :

a) Decretum Tridentinum comprehendit quoque *feminas* Religionem professas, licet videatur de viris religiosis tantum loqui.

b) Etiam *non reclamante Religioso professo*, ipse Superior, detecto impedimento, intra quinquennium potest cum Ordinario loci procedere in cognitione causæ nullitatis professionis.

c) Actio instructa intra quinquennium, licet inde *deserta*, potest iterum a Religioso moveri, et judicari ab Ordinario et Superiore regulari.

d) Superior ad effectum quæstionis ille est qui, tempore motæ litis, regimen habet monasterii vel cœnobii in quo reclamans *professionem* emisit.

e) Quoad *Moniales*, si sermo sit de monasterio loci Ordinario immediate *subjecto*, solus Ordinarius intra quinquennium causam reclamantis judicat ; si vero sermo sit de Monialibus *exemptis*, Superior regularis non est confessarius regularis, sed ille cui concreditum est universum regimen monasterii.

f) Superior regularis non potest totum negotium Episcopo finiendum committere, sed potest alium virum ecclesiasticum juris canonici peritum *delegare*, qui cum Episcopo procedat.

g) Romanæ Sedi reservatur cognitio causæ nullitatis ob emissam probationem *extra domum novitiatus*.

h) Potest ad querelam admitti intra quinquennium Religiosus qui habitum dimisit, si deinde illum *reassumpserit*, et in Religione commoretur.

i) Conficiendus est processus vere et proprie dictus *judicialis;* et, sub pœna nullitatis actorum, est deputandus *defensor professionis religiosæ* ex officio, qui interrogatoria dare debeat, et adsistere confectioni tabularum processus, nec non coram judicibus voce et scripto valorem professionis tueatur.

Citandi insuper sunt et audiendi defensores monasterii seu cœnobii, et alii omnes *quorum interest* professionem religiosam sustineri.

j) Si Ordinarius et Superior regularis in judicio *dissentiant*, causa definienda devolvitur ad Apostolicam Sedem.

k) Lata sententia in prima instantia ab Ordinario et Superiore regulari, *Religiosus poterit appellare*, si pro validitate professionis jus dictum fuerit; *debebit* vero appellare *defensor ex officio,* si pro nullitate professionis steterint judices; et interim suspenditur exsecutio sententiæ prolatæ.

l) In secunda instantia, ad illum ordinarie *devolvitur* causæ cognitio ad quem de jure aliæ omnes ecclesiasticæ causæ in gradu appellationis transeunt.

Simul vero cum hoc secundo Ordinario causam judicabit *Superior regularis* monasterii ejusdem Ordinis, quod monasterium sit vel in civitate vel in diœcesi Ordinarii appellationis. — Si nec in diœcesi adsit monasterium, assumitur *Superior vicinioris monasterii* ejusdem Ordinis.

In hac etiam sede judicii, et in aliis, si ulterius appelletur, adsint semper *defensores professionis* sub pœna nullitatis actorum.

Hæc omnia observanda etiam sunt in curia Cardinalis Vicarii Urbis.

Superior vero regularis non admittitur ad judicandum, cum causa apud *Sedem Apostolicam*, in aliqua nempe Sacra Congregatione, vel in Rotæ auditorio, decernitur.

m) Nisi *binæ sententiæ conformes* habeantur, non

poterit professio uti nulla haberi, nec professus ad alia vota transire potest. — *Santi, De Regular., num. 34.*

1148. **IV. Beneficium restitutionis in integrum** quandoque conceditur, *quinquennio inutiliter elapso*, ita ut, hoc beneficio obtento, possit cognosci et decerni causa nullitatis professionis. — *Cf. n. 1538 et seq.*

a) Jam vero, in citata constitutione *Si datam hominibus*, Benedicti XIV, judicium pro concedenda vel neganda restitutione in integrum, reservatur *Sedi Apostolicæ.*

Quo in negotio ut rite procedatur, juxta eamdem constitutionem :

1° Committi debet Ordinario loci et Superiori regulari mandatum, ut super causis restitutionis in integrum conficiant *processum*, eodem modo quo facere deberent pro causa nullitatis professionis infra quinquennium decernenda.

2° Deinde, quæstio apud S. Sedem discutitur, perinde ac si ageretur de causa *nullitatis* ; nec, pro obtinenda restitutione, unica favorabilis sententia sufficit, sed *duplex* conformis requiritur.

3° *Hac obtenta restitutione*, Ordinarius loci et Superior regularis procedere possunt ut supra, in cognitione causæ pro invaliditate professionis, quemadmodum si ante quinquennium facta fuisset reclamatio.

b) Hodie vero, ut temporis brevitati et sumptuum moderationi consulatur, annuente Summo Pontifice, solet apud S. Sedem *utraque quæstio simul pertractari* in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, proposito distincto dubio.

c) *Causæ* pro exposcenda restitutione in integrum, ad duas præcipue reducuntur, nempe : 1° ad *ignorantiam* impedimenti et nullitatis professionis; 2° ad *impotentiam* instituendæ querelæ contra professionem in decursu quinquennii. — *Santi, de Regul., n. 33 et seq.*

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS STATUS RELIGIOSI.

Hujusmodi obligationes : vel ex ipsa professione sequuntur, vel jure canonico eidem sunt adnexæ.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS REGULARIUM EX VOTO CASTITATIS.

1149. Per votum castitatis tenentur Regulares se abstinere ab omni actu venereo, tam *interno* quam *externo*, qualiscumque ille sit.

Et hanc obligationem *novam* sibi imponunt supra obligationem juris naturalis et divini.

Unde castitas, quæ ante votum ad solam virtutem temperantiæ pertinebat, post votum emissum pertinet etiam ad *virtutem religionis ;* et sic violatio castitatis in Regularibus duplicem habet malitiam specificam, in confessione necessario declarandam : nempe malitiam *luxuriæ* contra castitatem, et *sacrilegii* contra religionem.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS REGULARIUM EX VOTO PAUPERTATIS.

1150. **I. Liberum saltem et independentem bonorum temporalium usum** prohibet votum *paupertatis*, quale fit a Regularibus juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam. — Qui nempe triplex substantiale Religionis votum emisit, censetur se obligasse *saltem* ad non disponendum de bonis temporalibus *independenter* a Superiorum voluntate.

Unde sequitur a Religiosis violari hoc votum : quoties, absque legitima Superiorum licentia, aliquid ex dictis bonis accipiunt retinentve aut dispensant. — Quæ fundamentalis

obligatio communis est Religiosis omnibus, sive *solemnia*, sive *simplicia* dumtaxat vota emiserint. — Verum,

a) Sufficit licentia *tacita*, id est silentium Superioris scientis et non prohibentis, cum facile prohibere posset.

b) Sufficit etiam licentia *præsumpta de præsenti*, quando scilicet merito præsumitur Superiorem hic et nunc virtualiter saltem consentire.

c) An autem sufficiat licentia *præsumpta de futuro*, qua scilicet præsumitur Superior consensurus si rogaretur, controvertitur. — Sententia affirmans probabilior videtur Sancto Ligorio, *lib. 5, num. 18.*

1151. **II. Ipsum bonorum temporalium dominium** acquirere aut retinere non potest qui *solemnia* Religionis vota emisit; et bona quæ ipsi post professionem adveniunt, fiunt *propria monasterio*, modo in communi possidere valeat. — *Cf. n. 1152.*

Imo, si quis intuitu professionis solemnis bonis suis *renuntiaverit*, v. gr., in favorem consanguineorum, et postea impetret a Sede Apostolica facultatem manendi in sæculo, *non annullatur* prædicta bonorum abdicatio. Renuntiatio enim facta intuitu solemnis professionis substantiatur, ut aiunt, ex subsecuta professione, ita ut irrevocabilis evadat. — *Cap. Cum ad monaster., 6, De statu Monach.; — Trid., sess. 25, cap. 2, De Regularibus.*

1152. **III. Dicta fundamentalis obligatio Religiosos ligat quatenus singulos** ; non autem *de jure communi* ea ligatur ipse religiosus Ordo.

a) Possunt nempe religiosi Ordines possidere *in communi* bona temporalia, et de iis disponere, attento communi jure; nam id, neque contrarium est status religiosi essentiæ, nec ulla universali lege prohibetur.

b) Dicimus tamen : *de jure communi;* quia ex particulari jure sunt Religiosi, ut Capuccini et Minores de observantia, qui nequeunt *etiam in communi* bona temporalia possidere, sed fortuito et emendicato pane sustentantur, ideoque Religiosi *Mendicantes* nuncupantur.

1153. **IV. Materia voti paupertatis non sunt** honor, fama, scientia, jus eligendi, præsentandi, ac conferendi beneficium regulare. — *Cf. S. Lig., lib. 4, cap. 1, num. 14.*

a) Nec tali voto repugnat quod *beneficium ecclesiasticum* Religioso conferatur, qui possit independenter a Superiore suo hoc beneficium administrare, et de ejus redditibus ad propriam sustentationem et pios usus disponere. Jus enim beneficium administrandi ac de ejus proventibus disponendi pro necessitate et piis causis, cum sit *rei spirituali* adnexum, non reputatur bonum temporale, nec ideo voti paupertatis materia. — *Cf. S. Lig., loc. cit., n. 16.*

b) Juxta probabiliorem sententiam, *manuscripta* Religiosorum non sunt voti materia, sed aliquid spirituale, utpote ingenii partus; et talis est communis consuetudo inter Regulares.

c) Quoad *picturas* a Religioso factas, distinguunt aliqui Doctores hoc modo : si monasterium telas, colores et alia hujusmodi Religioso præbuerit, picturæ ad monasterium pertinent; secus, si hæc ab aliis quam a monasterio præstentur. — *S. Lig., loc. cit.*

1154. **V. Quoad donationes inter vivos :**

a) Peccat Regularis contra votum paupertatis, si quid ex rebus ipsi in usum concessis, *in alium usum* absque licentia expendat, aut culpabiliter amittat vel destruat.

Probabilius tamen potest Regularis, absque licentia, dare ea quæ *parcius vivendo* sibi subtrahit de rebus ad usum suum concessis, præsertim si ad Religiosi sustentationem certa quantitas adsignetur, ita ut nec monasterium teneatur aliud ei præstare, nec ipse rationem reddere. — *S. Lig., loc. cit., num. 23.*

b) Generatim prohibetur ne ullus Regularis ullum *munus* ulli personæ largiatur; et prohibitio comprehendit tum Regulares quoslibet quatenus *singulares*, tum ipsa *capitula* et *conventus*.

Qui contra illam prohibitionem munera recipiunt a Regularibus tenentur ad *restitutionem*, eorumque peccatum, si

donum sit gravis momenti, *reservatur S. Pontifici*, sine censura, donec non restituerint.

Hæc reservatio non exstat, si votum paupertatis sit simplex, *ex decis. S. Pœnit., 15 mart. 1861.*

c) A dicta generali prohibitione *excipiuntur* leviora esculenta et poculenta; item munuscula ad devotionem vel religionem pertinentia.

Item, Religiosis permittitur ex bonis monasterii succurrere *pauperi* magna paupertate laboranti, quando aditus ad Superiorem non patet.

d) Et in decreto Urbani VIII declaratur « munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis *gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ,* ejusque conservationis erga ipsam Religionem vel conventum, aliisve causis ex sui natura actum *virtutis* et *meriti* continentibus : *modeste* tamen et *discrete,* et dummodo id non fiat nisi de Superiorum licentia, ac etiam cum consensu majoris partis conventus, si talis consensus de jure vel ex constitutionibus seu consuetudinibus cujusque Religionis respective in hujusmodi casibus requiratur ».

e) A constitutionibus Pontificiis non imminuitur aut prohibetur laudabilis et Apostolica doctrina sacrisque canonibus commendata *hospitalitas*, præsertim erga pauperes et peregrinos.

Neque illicita sunt *convivia*, in excipiendis præsertim benefactoribus vel Ordinariis honorifice et laute, modo decentiæ status regularis non adversentur. — *Cf. constit. Religiosæ, Clem. VIII; — decret. Nuper, Urbani VIII.*

1155. **VI. Quoad donationes per testamentum :**

a) Religiosus solemniter professus *nequit condere testamentum.* — Ratio est, quia Religiosus per solemne votum paupertatis factus est cujuslibet dominii *incapax :* unde repugnat ipsum quidquam habere de quo per testamentum disponere valeat.

Quinimo, ipsi non licet testamentum a se conditum ante professionem moderare, sed tantummodo *interpretari* et declarare, si declaratione aut interpretatione egeat.

b) Unde, si novitius ante professionem testari omittat, *monasterium succedit* in ejus bona, actiones et jura, si sit capax bonorum; si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato.

c) *Duplex* tamen casus *excipiendus* est :

1º Certum est *patrem* filios habentem, qui ante professionem suam de bonis suis non disposuit, posse ea inter filios distribuere.

2º Tradunt etiam communiter Doctores, cum *Suarezio*, posse testamentum, *ex licentia Summi Pontificis*, licite et valide fieri a Religioso solemniter professo. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 8, cap. 16.*

1156. **VII. Quoad acceptationem :**

a) Religiosus non potest quidquam *acceptare*, aut sibi *absumere*, absque Superiorum licentia.

Nec potest donare nec remittere sibi *debita*, neque renuntiare *legatis* quæ ipsi obvenerunt, aut *mercedibus* quæ pro laboribus ex justitia debentur ; quia horum jus monasterio immediate acquiritur, ideoque, in renuntiando, de bonis monasterii disponeret, ac proinde votum paupertatis violaret. — *S. Lig., loc cit., num. 20.*

b) Potest tamen Religiosus, absque voti paupertatis læsione, non acceptare *munera*. Nam votum paupertatis Religiosum quidem obligat ad non *alienandum* bona acquisita monasterio, non autem ad *acquirendum* monasterio.

Diximus : *absque voti paupertatis læsione* ; nam si conventus indigeat, et ipse pecuniam aliudve munus sibi oblatum pro suo conventu acceptare renuat, peccabit contra *charitatem* erga conventum suum, non autem contra justitiam. — *Cf. S. Lig., ibid.*

1157. **VIII. Professi votorum simplicium,**

a) Nequeunt bona sua *administrare*, ipsisque interdicta est redditiuum erogatio atque usus.

Debent propterea *ante professionem* cedere horum bonorum administrationem, usumfructum et usum, *quibus eis*

placuerit, ac etiam suo Instituto, si ita pro eorum libitu existimaverint. — *Cf. decl. S. C. C., 12 jun. 1858, num. 9.*

b) Verum, non obstante voto paupertatis, possunt retinere et acquirere *dominium radicale* bonorum temporalium, tam mobilium quam immobilium antea habitorum, vel postea per hæreditatem, donationem, vel alio modo obtentorum.

1º Itaque, si nihil specialiter in ipsis constitutionibus Instituti de quo agitur sancitum fuerit, poterit Religiosus, non modo valide, sed et licite *cum licentia* Superiorum, *disponere* de bonis ad se spectantibus ; ideoque Institutum, in quo idem commoratur, nihil juris ad eadem bona sibi vindicare poterit.

2º Quod si in *constitutionibus peculiaribus* Instituti, cui se vovens addixit, constitutum ac determinatum fuerit *qua ratione* actuale voventis dominium exerceri debeat, iisdem constitutionibus adhærendum est. — *Cf. Lucidi, De visit. sac. lim., cap. 5, n. 313 et seq.*

1158. **IX. Vitam communem** habere dicuntur Religiosi qui, bonis omnibus et juribus abdicatis in favorem Instituti cui nomen dederunt, nullo privatæ proprietatis jure sibi reservato, *providentur de necessariis* ab ipso Superiore vel ejusdem procuratore.

a) Ast diversimode, quoad factum, *ait de Angelis*, penes diversos Religiosorum Ordines res processit.

1º In pluribus enim Ordinibus, datur *singulis*, ex ære communi, quædam pecuniæ summa, sicut et quædam emolumenta ratione peculiaris officii et laboris, quibus occurri possit peculiaribus necessitatibus inde consequentibus ; vel relinquitur libera applicatio aliquarum Missarum quolibet mense, ex quibus *peculium* exsurgit quod pro futuris Religiosi ejusdem necessitatibus servari permittitur.

2º Verum in aliis Ordinibus alius modus servatur, ut res omnes ad usum necessariæ singulis *in propria specie,* non autem in æquivalenti, ministrentur; ac proinde *omnis pecuniæ usus,* atque inde emergens peculium, *privatis* interdicitur : qui ultimus modus vivendi, vita *per-*

fecte communis appellatur. — *In tit. De statu Monachorum, num. 3.*

b) Religiosæ *paupertatis* votum, generatim loquendo, optime concipi ac emitti regulariter potest independenter a vita *perfecte* communi. — *Cf. S. Lig., lib. 5, n. 15.*

c) Verum vitæ perfecte communis modus *excellentissimus* exsistit, et reputandus est aptissimum regularis observantiæ medium ac perfectionis instrumentum. — *Cf. de Angelis, loc. cit.*

d) Hinc, de mandato Pii IX, decretum editum est a *Sacra Congr. Episc. et Reg., die 22 apr. 1851*, in quo sequentia statuuntur :

1º « In omnibus *novitiatus domibus*, vita perfecte communis introducatur; et quæcumque indulta, privilegia, exemptiones Familiæ illius individuis antea concessa, derogata censeantur.

2º » In domibus *professorii*, *educationis* et *studii*, perfecta constitutionum observantia, potissimum de paupertate, revocetur.

3º » In *qualibet domo* statuatur *ærarium*, seu capsa communis, cum solitis cautelis, in quam Religiosis omnibus, non obstante quolibet privilegio, *deponenda* erit pecunia, cum nihil penes se retinere licitum sit præterquam quod constitutiones respective permittant. »

1159. **X. Quoniam, in nonnullis regionibus, Gubernia civilia**, dum *communitatibus* Religiosorum denegant jura proprietatis et possessionis, hæc eadem jura concedunt *Religiosis personis* quas capaces proprietatis habent,

a) Ecclesia constituit ut proprietates entium moralium inscriberentur in publicis tabulis nomine duorum vel trium Religiosorum, qui realiter non sint nisi *fiduciarii*, quique ad invicem alios substituant, qui loco ipsorum, eveniente morte, succedant in eadem inscriptione.

b) Circa alterum, Ecclesiæ debuit permittere ut Religiosi, vi voti solemnis incapaces proprietatis, aliquos *actus*

ederent coram Gubernio civili qui nonnisi a *proprietariis* edi valent, et proinde *civiliter* tanquam proprietarii apparerent. — *Cf. resp. S. C. neg. extr. præp., 31 jul. 1878.*

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS REGULARIUM EX VOTO OBEDIENTIÆ.

Triplicem religiosorum obedientiam distinguit Sanctus Thomas *(2. 2., q. 154, art. 5, ad 3)* : *necessariam, perfectam, indiscretam.* — Hæc tertia est quæ ad *illicita* extenditur; perfecta, quæ ad omnia *licita,* etiamsi non cadant sub obligationem; necessaria vero, quæ ad *votum* pertinet. — *Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 10, cap. 8, num. 5.*

1160. **I. Ex voto obedientiæ, solum tenetur** unusquisque Religiosus obedire Prælato juxta professionem suæ regulæ, id est, *intra limites suæ regulæ,* ut comprehendit omnia quæ, ad perfectam illius observantiam, vel *necessaria,* vel *convenientia* aut utilia esse possunt.

a) Nam, *ut ait D. Bernardus,* « is qui profitetur spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatam secundum regulam »; ideoque, cum votum non obliget nisi juxta formam et *intentionem* voventis, materia hujus voti non amplius extenditur. — *Suarez, loc. cit., num. 5 et 6.*

b) Unde ad materiam hujus voti non pertinent ea quæ sunt *supra, contra,* vel *præter* regulam. — *Cf. Suarez, De Religione, loc. cit.*

Nec *modus obedientiæ* cadit sub voto; sed, ad voti impletionem, sufficit ut Religiosus rem sibi injunctam exsequatur.

1161. **II. Verum, ad perfectionem obedientiæ,** non sufficit quilibet exsequendi modus; sed requiritur in exsequendo alacritas, et affectus voluntatis, tum in rem ipsam quatenus injunctam, tum in Superiorem quatenus eam præcipientem. — *Cf. Bouix, De Reg., tom. 2, p. 568.*

Ex his intelligitur quid sit *cæca obedientia* tantopere Religiosis commandata :

a) Non quidem in eo consistit ut Religiosus debeat cæca mente exsequi quidquid, vel *injuste*, Superior mandaverit. Nam fieri potest ut a Superiore injungatur res illicita; porro, in hoc casu, proprii judicii dictamen rejicere et rem illicitam patrare, non perfectio, sed *peccatum* foret.

b) Sed intelligenda est : ut subditus, quoties agitur de re licita, *abstineat ab inquirendis causis* et rationibus præcepti, et ita tentationes non obediendi magis arceat, magisque expeditam obedientiam reddat.

1162. **III. Præceptum Superioris obligat sub gravi vel sub levi, aut sub pœna tantum.**

a) *Sub gravi* non obligat personale Superioris præceptum, nisi adsit materia ex se gravis, et Superior jubeat in virtute sanctæ obedientiæ, in nomine Domini N. J.-C., vel sub pœna gravi.

b) *Sub levi* autem obligat, si alia forma remissiori utatur; imo, ex jure particulari aliquorum Ordinum requiritur ut Superior manifestam faciat voluntatem obligandi sub veniali peccato.

c) *Sub pœna subeunda* obligat, quin ulla sit obligatio conscientiæ, quando ita res communiter accipitur ex usu recepto in Ordine.

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONE SERVANDI REGULAM.

1163. **I. Regulæ, si distinguantur a Constitutionibus,** sunt statuta generalia ab aliquo sancto Fundatore tradita, et sæpe pluribus Ordinibus communia, quibus aliæ præscriptiones *magis speciales* additæ sunt, ad obtinendum finem proprium Instituti, sub nomine *ordinationum, constitutionum*, aliove titulo. — *Cf. n. 1090.*

a) In præsenti quæstione, ad hanc regularum et con-

stitutionum distinctionem non attenditur, sed vox *regula* de omnibus simul *regulis* et *constitutionibus* uniuscujusque Ordinis intelligitur : quia nempe quæstio an et quatenus regulæ obligent, eadem est quoad constitutiones.

b) Cæterum, hæc distinctio non admittitur in constitutionibus quæ hodie pro *Institutis* vota *simplicia* emittentibus approbari solent.

1164. **II. Propria obligatio regulæ, ut sic, non ex voto obedientiæ, sed ex propria ratione legis,** et ex principiis ejus, est colligenda.

Nam votum obedientiæ, *ait Suarez*, non obligat immediate ad servandam regulam, nisi regula ipsa verbis satis expressis exigat voti obligationem, sed ad *obediendum* secundum regulam. — *De Relig., tract. 8, lib. 1, cap. 2, n. 7.*

a) Quando in regula dicitur expresse eam obligare *quantum potest*, ejus violatio erit peccatum *mortale*, si materia sit gravis; *veniale*, si materia sit levis.

b) Si vero in regula expresse declaretur eam obligare *sub levi tantum*, etiamsi materia sit de se gravis, venialis erit violatio, quia lex non obligat ultra legislatoris voluntatem.

c) Regula *ne sub veniali* quidem obligat, si hoc in ipsa declaretur; et tamen, in casu, rationem legis retinet aliquatenus, quia potest Superior infractionem *punire,* et injunctam pœnam *explere tenetur* violator, etiam in conscientia.

d) Demum, si regula *sileat* circa obligationem ex ipsa exsurgentem ; tum, ex communi sententia, regula non obligat *sub gravi*, etiam accedente materiæ gravitate; et an unquam obliget *sub levi*, dignoscendum est ex circumstantiis, ex recepta præsertim apud unamquamque Religionem interpretatione. — *Cf. Suarez, loc. cit., cap. 2 et 3.*

1165. **III. Plerumque violatio regulæ, per accidens, seu ex adjunctis, peccaminosa est,** licet regula per se ne sub veniali quidem obliget.

Porro, *adjuncta* quæ peccaminosam reddere possunt vio-

lationem regulæ sunt sequentia, nempe : si violatio fiat ex *contemptu;* si adnexum habeat *periculum proximum* labendi in peccatum ; si damnum inferat religiosæ *disciplinæ;* si secum trahat violationem *voti;* si Religiosum exponat *ejectioni;* vel si secum trahat violationem præcepti tendendi ad *perfectionem.* — *Cf. Suarez, lib. cit., cap. 4.*

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONE CLAUSURAM SERVANDI.

Lex clausuræ Monialibus propria, diversa est a lege clausuræ qua Religiosi obstringuntur. — Ideo agendum est : de notione et speciebus clausuræ generatim ; — de obligatione clausuræ quoad viros ; — de eadem obligatione quoad Moniales.

§ I. DE NOTIONE ET SPECIEBUS CLAUSURÆ.

1166. **I. Clausura religiosa est :** Interdictio *egrediendi* e septis monasterii, vel intra eadem *ingrediendi,* absque legitima licentia.

Intra septa monasterii seu conventus continentur claustra, cellæ, officinæ, cœnaculum, dormitorium, infirmaria, coquina et hujusmodi ; item horti, viridaria et prata, si conjuncta sint cum conventu et claustro ; secus, si clavi et muro convenienti separata. — *Ferraris, v. Conventus, art. 3, num. 9 et seq.*

1167. **II. Duplex clausura distinguitur : Pontificia nempe et Episcopalis.**

a) Clausura *Pontificia* est quæ *jure communi* statuitur, et attingit Ordines Regularium in quibus vota *solemnia* emittuntur.

b) *Episcopalis* clausura ea est quæ statuitur, non jure communi, sed *ab ipso Episcopo*, pro monasteriis sibi immediate subjectis, et a qua ideo ipse dispensare potest.

Proinde, clausura episcopalis determinatur in cujusque Congregationis *constitutionibus ;* nec in subsequentibus de ea agendum hic superest.

Talis est clausura *Monialium in Gallia*, quæ solemnia vota non profitentur.

1168. **III. Votorum solemnitas absque clausura Pontificia stare nequit pro Monialibus,** in præsenti Ecclesiæ disciplina. — *Cf. n. 1096.*

a) Imo, ex eo quod in aliquo monasterio clausuræ Pontificiæ lex instituta non sit, neque servetur, legitimum desumitur *argumentum* quod vota quæ ibi emittuntur minime solemnia sint, sed tantum *simplicia.*

b) Quamvis autem vota solemnia absque Pontificia clausura stare nequeant, nihilominus *clausura Pontificia* stare potest cum *votis simplicibus.*

Hoc aliquando concessum est auctoritate Apostolica, ut in Rhegien., 22 febr. 1839. — *Cf. Lucidi, De visit. sacr. lim., cap. 5, num. 42 et seq.*

§ II. DE OBLIGATIONE CLAUSURÆ QUOAD VIROS.

1169. **I. Religiosis illicitum est e suis conventibus recedere, absque Prælati licentia.** — *Trid., sess. 25, cap. 4, De Reg.; — et constit. Nullus, Clementis VIII.*

a) Hæc obligatio *ex genere suo* talis est ut contra illam possit mortaliter peccari, nisi excuset parvitas materiæ. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 8, lib. 1, cap. 6.*

Fundamentum hujus gravitatis est *jus Superioris* ad *gubernandum* et *custodiendum* suum subditum, quod graviter læditur per hujusmodi exitum ; nam subditus ita esse debet sub potestate Superioris, ut ab illo possit gubernari et custodiri, vel imperari : a qua subjectione multum subtrahitur per suum discessum a monasterio, invito vel inscio Prælato. — *Suarez, loc. cit., num. 8.*

b) Dicendum tamen est, cum *Suarezio*, exitum hunc extra claustrum interdum fieri posse sine licentia, *ex justa causa*, v. gr. ad subveniendum morienti per absolutionem, vel ad aliud opus charitatis, quando necessitas instat. — *Ibid., num. 11.*

1170. **II. Nec Religiosis licet intra septa conventus ullam mulierem admittere.** — Constat ex variis constitutionibus *S. Pii V, Gregorii XIII, Benedicti XIV, et Pii IX.*

a) Excommunicationi *latæ sententiæ,* Romano Pontifici *reservatæ,* subjacent : « Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliive eas admittentes ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, Pii IX, tit. 2, num. 7.*

b) In prædictis bullis Pontificum non comprehenduntur *Imperatrices* et *Reginæ,* earumque filiæ, et aliæ feminæ quæ illas comitantur.

Negant pariter aliqui Doctores sub præmissis constitutionibus *parvulas puellas* comprehendi.

§ III. DE OBLIGATIONE CLAUSURÆ QUOAD MONIALES.

1171. **I. Moniales e clausura exeuntes**, extra casus ac formam a S. Pio V in constitutione *Decori* præscriptam, subjacent *excommunicationi ipso facto incurrendæ,* et Romano Pontifici simpliciter *reservatæ.* — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 2, num. 6.*

a) Porro, in citata constitutione, Pius V decrevit : nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve Monialium, etiam e regia vel illustri prosapia ortarum, licitum fore e monasteriis exire ulla occasione aut prætextu, « nisi ex causa *magni incendii,* vel *infirmitatis lepræ, aut epidemiæ,* quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium Ordinarium loci, cognita et expresse in scriptis *approbata* sit ». — *Constit. Decori,* § *2.*

b) Per hanc constitutionem non excluduntur *casus similes* et *urgentiores,* ut quando grave periculum subsit Monialibus ratione imminentis belli, inundationis fluminis, ruinæ ædificii, etc. — Quod tenent communiter Doctores. — *Ferraris, v. Moniales, art. 3, num. 28.*

c) Quod si propter *alias causas* opportunum existimetur aliquam Monialem exire, v. gr. causa balneorum, aut

aeris mutandi gratia, necessaria est *specialis* Apostolicæ Sedis licentia. — *Cf. Lucidi, loc. cit., num. 101 et seq.*

Imo, non potest Ordinarius, auctoritate propria, ad tempus vel in perpetuum, Monialem aliquam de uno ad aliud monasterium *transferre*, etiam ejusdem Ordinis, quæcumque justa causa interveniat, etiamsi electa fuerit Monialis in *Superiorissam* alterius monasterii. — *S. C. Ep. et Reg., 16 jul. 1884.*

Nec immemorabilis *consuetudo*, qua Monialibus concederetur egressus ex causis gravibus *ab Episcopo tantum* recognitis et probatis, post novam constitutionem Pii IX continuari potest. — *S. C. S. O., 22 dec. 1880.*

1172. **II.** « **Violantes clausuram Monialium**, cujuscumque *generis*, aut *conditionis*, *sexus* vel *ætatis* fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia *ingrediendo*; pariterque eos *introducentes* vel admittentes », incurrunt excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici reservatam. — *Constit. Apostolicæ Sedis, Pii IX, tit. 2, num. 6; — Cf. Trid., sess. 25, cap. 5, De Reg.*

a) Est igitur discrimen inter clausuram *Religiosorum* et clausuram præscriptam *mulieribus*, quoad admissionem extraneorum. — Viri scilicet religiosi possunt admittere personas sæculares intra clausuram monasterii, solis mulieribus exclusis; Moniales vero *nullas personas*, absque distinctione conditionis et sexus, introducere debent, nisi *in casu necessitatis*, et cum *licentia Superioris*.

b) Ad licentiam impertiendam ingrediendi monasteria Monialium, non sufficit quælibet *causa*, sed requiritur necessitas. — *Cf. Trid., loc. cit.*

1° Necessitas hæc debet esse *ex parte ipsius monasterii*; non enim sufficit quod sit tantum ex parte *extraneorum*, nisi jus naturale aut divinum aliud suadeat.

Unde, Ordinarius, auctoritate propria, permittere non valet ut recipi possint, in monasteriis clausuræ subjectis, mulieres quæ ingredi cupiunt veluti *pensionariæ*. — *S. C. Ep. et Reg., 16 jul. 1884.*

Idem dicendum est de *puellis* quæ in monasterium *edu-*

cationis gratia recipiuntur. — S. C. Episc. et Regul., in concedendis licentiis pro educandarum ingressu, conditiones adjicit in pagella quam typis editam ad eum finem tradere solet. — Hujus paginæ exemplar habetur apud *Lucidi, op. cit., vol. 3, doc. 56.*

2° Talis vero necessitas ex parte monasterii, non *stricte* sed *late* sumenda est : intelligitur enim *necessitas moralis,* nempe cum intervenit quævis causa rationabilis, sive probabiliter justa.

Et minor necessitas requiritur pro ingressu *feminæ* quam viri, et pro ingressu *diurno* quam nocturno, et pro ingressu *consanguineæ* quam extraneæ, et pro ingressu in *priora receptacula* quam in interiora.

In necessitatibus autem urgentibus, quæ *moram non patiuntur,* si alias grave damnum immineret, non requiritur *ulla licentia* ad ingrediendum, quia lex humana in tanto discrimine non obligat. — *S. Lig., lib. 7, num. 225.*

3° *Necessitatis causa,* licentia ingrediendi monasterium concedenda est : *confessario* ad sacramenta infirmis ministranda, *medicis et chirurgis,* item *operariis* quibus Moniales indigent.

Sed hæ personæ non possunt esse in monasterio post solis occasum, exceptis medico et confessario in casu necessitatis.

Medici associandi sunt et *continua adsistentia prosequendi,* non solum cum ad infirmam se conferunt, sed etiam quamdiu cum eadem commorantur. — *S. C. Episc. et Regularium, 26 maii 1601.*

c) *Licentia* Monialium clausuram ingrediendi,

1° *Ab Episcopo* obtinenda est quoad monasteria ipsius jurisdictioni, sive ordinariæ sive delegatæ, subjecta. — *Cf. num. 1210.*

Talem licentiam concedere non potest *Vicarius generalis,* nisi habeat ad hoc speciale mandatum. — *Cf. Ferraris, v. Moniales, art. 3, n. 86.*

Vicarius vero *Capitularis* eam concedit etiam pro monasteriis Sedi Apostolicæ subjectis, quia Capitulum, seu Vicarius Capitularis, succedit Episcopo etiam in jurisdictione

delegata, quando hæc est *in perpetuum* commissa muneri episcopali. — *Cf. n. 824.*

2º Episcopus et Prælatus regularis possunt *delegare* Abbatissam, vel confessarium, aut alium prudentem virum, ad hanc licentiam concedendam. — *S. Lig., lib. 7, n. 224.*

3º Si monasterium *Regularibus* subjectum sit, requiritur conjunctim tum Ordinarii diœcesis, tum Prælati regularis licentia, nisi legitima *consuetudo* vigeat ut hujusmodi facultas ab Episcopo solo concedatur. — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 13, cap. 12, n. 23.*

1173. **III. Possunt Episcopi visitationis causa ingredi monasterium,** itemque altera quacumque *necessitatis* causa. Sed debent esse a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis, comitati.—*Constit. Dubiis, Gregorii XIII, 23 dec. 1581.*

a) *Prœlatis regularibus* item permittitur monasteria sibi subjecta ingredi *semel in anno*. Sed, si eodem anno oportuerit Superiorem regularem *pluries* ingredi septa monasterii; tunc non aliter ingrediatur quam cum præsentia Episcopi diœcesani, vel alterius personæ ab ipso Episcopo deputatæ. — *Constit. Felici, Alexandri VII, 10 oct. 1664.*

b) Attamen, nec Episcopus, nec Prælati regulares, possunt ingredi monasterium ut Moniales examinent, ut electionibus præsint, ut novitiis habitum tradant, ut eas ad professionem admittant, aut eis sacramentum Confirmationis conferant, nisi mortis periculum immineat. Sed hæc omnia *ad crates* peragenda sunt.

c) Si *Episcopi* aut *Prœlati regulares* absque necessitate monasteria ingrediantur, non videntur excommunicationem constit. *Apostolicœ Sedis* incurrere, quia de ipsis dici nequit quod *absque licentia* ingrediantur. — *Bucceroni, Comment., num. 56.*

1174. **IV. Accessus et collocutio cum Monialibus,** si fiat *absque legitima causa*, prohibetur ex variis RR. Pontificum constitutionibus. — *Cf. n. 356.*

a) Speciali ratione id prohibetur *Regularibus*, ex de-

creto Clementis IX, in quo statuitur : Regulares quoscumque, absque legitima facultate accedentes ad colloquendum, etiam per quodcumque modicum tempus, cum Monialibus, *peccare mortaliter*, et simul posse *coerceri* ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, sub pœna excommunicationis, nec non privationis vocis activæ et passivæ. — *Cf. Ferraris, v. Moniales, art. 4.*

b) *Eximuntur* vero ab hac prohibitione Regulares Monialibus conjuncti in *primo* et *secundo* consanguinitatis gradu, obtenta prius *venia Ordinarii*, ad formam decreti S. C. Episc. et Reg., *13 kal. dec. 1623.*

1175. **V. Moniales in Gallia**, quippe quæ vota solemnia non emittunt, hisce regulis, quæ ad clausuram *papalem* spectant, non obligantur, ut patet; nec ideo tenentur ad clausuram servandam quoad pœnas *sacris canonibus* et *Apostolicis constitutionibus* præscriptas.

Tenerentur tamen relate ad censuras ab *Episcopo* fortasse impositas. — *S. C. Ep. et Reg., 1 aug. 1839.*

ARTICULUS VI.

DE OBLIGATIONE OFFICIUM DIVINUM RECITANDI.

1176. **I. Vi consuetudinis generalis,** tenentur Regulares recitare officium divinum *in choro*, vel *extra chorum* seu privatim, si choro interesse non possint.

Professi votorum simplicium, quæ professioni votorum solemnium, juxta litteras encyclicas diei 19 mart. 1857, præmitti debent, non tenentur ad *privatam* recitationem divini officii. — Sed debent choro interesse, ut solemniter professi. — *S. C. Ep. et Reg., 6 aug. 1858.*

1177. **II. In Gallia, Moniales** vota dumtaxat *simplicia* edunt, et ideo præfatæ obligationi jure communi non adstringuntur.

Sed possunt *alio titulo*, nempe ex respectivis suis constitutionibus obligari. — *Cf. resp. Sacræ Pœnitentiariæ ad Episc. Petrocoricensem, 26 nov. 1852.*

CAPUT V.

DE REGIMINE ORDINUM RELIGIOSORUM AD INTRA.

Agendum est : de natura potestatis intra Regularium Ordines exsistentis; — de subjecto hujus potestatis; — de ejusdem objecto.

ARTICULUS I.

DE NATURA POTESTATIS INTRA REGULARIUM ORDINES EXSISTENTIS.

1178. **I. In Ordinibus religiosis, sedulo distinguendæ sunt potestas dominativa et potestas jurisdictionalis.**

a) *Prior* est quæ oritur ab ipsa religiosa professione, atque procedit ad instar illius quam habet *paterfamilias* in domo sua.

b) *Posterior* est participatio potestatis clavium ab ipso Christo Ecclesiæ collatæ, atque procedit ad instar illius quam habet *Episcopus* in suam diœcesim, leges ferendo, reos judicando, eosque per censuras aut alias pœnas coercendo. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 2, cap. 18.*

1179. **II. In quolibet Ordine religioso,**

a) Necessario adest potestas *dominativa,* utpote effectus necessarius voti obedientiæ et traditionis qua Religiosus se Deo et Ordini mancipat.

b) Status religiosus potest esse cum sola potestate dominativa *intra ipsum Ordinem exsistente,* ut patet ex monasteriis Monialium. — In eis enim Abbatissa non habet *jurisdictionem spiritualem,* et nihilominus Moniales illi subjiciuntur ut matri, tenenturque illi parere secundum regulam quam sunt professæ.

Argumentum quoque sumi potest ex antiquis monasteriis Monachorum, quæ fuerunt instituta *sine speciali juris-*

dictione, antequam praxis invaluisset exemptionis. — *Cf. Suarez, loc. cit., num. 8.*

c) Verum contingere nequit ut *nemo* habeat potestatem *jurisdictionalem* in Religiosos.

Etenim status religiosus, eo ipso quod ab Ecclesia approbatur et instituitur, est status sacer et *ecclesiasticus*. Ergo, facta institutione alicujus Ordinis religiosi, statim Ordo ille cadit sub *Prælatorum ecclesiasticorum jurisdictione*. Ideoque omnes conventus *alicui Ordinario* subsunt.

1º In Religionibus *exemptis*, Ordinarii sunt *Prælati Regulares* qui conventibus præsunt.

Nam, eo ipso quod Religio a jurisdictione Episcoporum eximitur, manet immediate subjecta solius S. Pontificis jurisdictioni. — Non potest autem convenienter gubernari *immediate* per *solum* Summum Pontificem. Ergo necessarium est ut sint Prælati proprii uniuscujusque Religionis, qui jurisdictionem fori etiam *externi* habeant, seu potestatem quasi-episcopalem.

Et *Moniales exemptæ*, si non habeant Prælatos regulares, reguntur ab Episcopis *tanquam Sedis Apostolicæ delegatis*. — *Cf. n. 1210.*

2º In Religionibus autem quæ privilegio *exemptionis* non gaudent, potestas jurisdictionis ab *Episcopo* exercetur, ideoque in his Superiores non habent nisi potestatem *dominativam*.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO POTESTATIS GUBERNATIVÆ INTRA RELIGIOSOS ORDINES EXSISTENTIS.

1180. **I. Triplex Religionis Prælatus distinguitur,** scilicet *infimus*, *supremus* et *medius*.

a) Prælati *infimi* in Religione sunt illi qui *conventuales*, seu *locales*, vocantur, quorum unusquisque uni tantum monasterio præest, ita ut infra se nullum alium Prælatum habeat. — Hujusmodi est Abbas, v. gr., unius monasterii, Prior, Guardianus, etc.

b) *Supremus* Prælatus Religionis dicitur qui intra illam Superiorem non habet, et omnes alios ejusdem Religionis Prælatos sibi subjectos habet, ideoque *Generalis* appellatur.

c) Prælati *medii* dicuntur qui intra eamdem Religionem superiorem Prælatum habent, et nihilominus aliquo modo universales Prælati sunt, plures domos pluresque Prælatos inferiores sub se habentes, ideoque *Provinciales* vocantur.

Porro, hi omnes Superiores, in Ordinibus *exemptis*, quocumque nomine appellentur juxta diversa Ordinum statuta, sunt veri *Prælati*, qui omnes habent jurisdictionem spiritualem in subditos, tam in foro pœnitentiæ quam in foro *externo. — Cf. Suarez, De Relig., tract. 8, lib. 2, cap. 2, num. 7.*

1181. **II. Prælatus regularis constituendus est, vel per designationem Romani Pontificis, vel per electionem canonice factam,** juxta expressas uniuscujusque Religionis *constitutiones* aut *consuetudines* receptas. — *Cf. cap. Quia propter, De electione; — et Tract. De jurisdictione ecclesiastica, n. 183 et seq.*

a) Sub pœna nullitatis, concilium Tridentinum decrevit ut « in electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, et aliorum Officialium ac Generalium et Abbatissarum atque aliarum Præpositarum », *vota secreta* esse debeant. — *Sess. 25, cap. 6, De Reg.*

b) Et nulla *consuetudo* efficere potest ut ratæ et validæ sint electiones quæ contra formam decreti Tridentini factæ fuerint. — *S. C. Ep. et Reg., 11 mart. 1836.*

1182. **III. Ut quis eligi possit in Prælatum,**

a) Requiritur ut sit *professus* in eodem Ordine, ut habeat ætatem 25 annorum, et nulla censura vel irregularitate sit irretitus.

Ex peculiaribus Ordinum religiosorum constitutionibus, possunt et *aliæ conditiones* requiri, ex parte personæ eligendæ, ad validam ipsius electionem.

b) Professi votorum *simplicium*, qui, ex decreto diei 12 jun. 1858, quoad jura tam gratiarum et privilegiorum quam vocis activæ et passivæ, professis votorum solemnium æquiparantur, non tamen in *Prælatos* seu *Superiores*, in eodem Ordine, licite et valide eligi queunt. — *S. C. super statu Regularium, 16 jan. 1891.*

1183. **IV. De jure communi, electio Prælati regularis non est collativa.**

a) Confirmari debet ab *Episcopo loci*, si monasterium non sit exemptum ; a *Præposito generali*, si monasterium sit exemptum ; vel a *Summo Pontifice*, si de Generalibus agatur. — *Cf. n. 197.*

b) Sed, *de jure particulari* multarum Religionum, qui legitime electus fuit censetur simul auctoritate Apostolica confirmatus, et statim jurisdictionem exercere potest. — *Bouix, De Regul., tom. 2, pag. 416.*

1184. **V. Post obtentam confirmationem, Abbates benedici consueverunt** ; et ritus hujus benedictionis aliquam analogiam habet cum Episcoporum consecratione.

Cæterum, Abbates nondum benedicti habent *titulum* et *jura* suæ dignitatis ; privantur solummodo jure conferendi *tonsuram* et *minores ordines*, nisi privilegio Apostolico ipsis concessum fuerit haberi pro benedictis a S. Pontifice ex ipsa sua electione et confirmatione.

1185. **VI. Quod speciatim attinet ad electionem Superiorissæ Monialium,**

a) « Abbatissa et Priorissa, et quocumque alio nomine Præfecta vel Præposita appelletur, eligatur non minor *annis quadraginta*, et quæ *octo annis* post expressam professionem laudabiliter vixerit.

» Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, *ex alio ejusdem Ordinis* eligi possit. — Si hoc etiam incommodum Superiori qui electioni præest videatur, ex iis quæ in eodem monasterio annum *trigesimum* excesserint, et *quinque* saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente, eligatur.

b) » *Duobus* vero monasteriis nulla præficiatur. Et, si qua duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra sex menses cætera resignare. Post id vero tempus, nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent.

c) » Is vero qui electioni præest, Episcopus sive alius Superior, *claustra monasterii non ingrediatur;* sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum Ordinum vel monasteriorum constitutiones. » — *Trid., sess. 25, cap. 7, De Regularibus.*

d) In monasteriis *Episcopo subjectis*, ad ipsum pertinet electioni Superiorissæ præesse.

Id potest Episcopus, *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, in monasteriis exemptis et *S. Sedi immediate subjectis. — Cf. n. 1210.*

In monasteriis *Prælato regulari subjectis*, Episcopus potest, si velit, electioni interesse et præsidere. Sed tunc præsidet solummodo *directive*, seu ad convenienter dirigendam electionem, non autem *jurisdictionaliter*. Suffragia enim recipere, ad regularem Prælatum pertinet, sciente tamen et audiente Episcopo. — *Cf. Ferraris, v. Abbatissa, num. 33 et seq.*

1186. **VII. Utrum Prælatura regularis sit perpetua vel temporalis,** desumendum est ex *speciali jure* uniuscujusque Religionis.

An autem magis *expediat* ejusmodi Prælatos esse perpetuos vel temporales, multum controvertitur. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 8, lib. 2, cap. 7, num. 5 et seq.*

ARTICULUS III.

DE OBJECTO POTESTATIS GUBERNATIVÆ INTRA RELIGIOSOS ORDINES EXSISTENTIS.

Agendum est : de potestate præcipiendi aut statuendi; — de coercitione; — de visitatione canonica; — et de dispensatione in votis.

§ I. DE POTESTATE PRÆCIPIENDI AUT STATUENDI.

1187. **I. Superiores regulares possunt subditis suis præcepta intimare quæ eos obligent in conscientia,** et quidem *sub gravi,* supposita sufficienti materia, etiamsi non habeant nisi potestatem *dominativam.*

a) Objectum enim voti obedientiæ est obedire Superiori præcipienti. Ergo potest Superior ita præcipere ut violetur votum nisi obedientia præstetur; cumque *voti alicujus violatio* sit *ex se gravis*, id est, nisi excuset materiæ parvitas, sequitur posse Religiosos ad exsequenda Superiorum præcepta sub gravi obligari, *supposita sufficienti materia.*

b) Nec refert quod Superior *jurisdictionem in foro externo* non habeat, sed potestatem dumtaxat *dominativam;* nam votum obedientiæ non fit cum restrictione « dummodo Superior sit Prælatus », sed fit universaliter quoad legitimum quemlibet Superiorem.

1188. **II. Non modo per præcepta personalia, verum etiam per statuta perpetua, quæ rationem legis habeant,** subditos suos Prælati regulares obligare possunt.

a) Ratio est, quia hoc ipso quod quis secundum alicujus Ordinis regulam professionem emittat, *implicite* consentit novis ordinationibus et statutis quæ, ad firmandam ejusdem regulæ observationem, in posterum *moraliter necessaria*, aut *valde opportuna*, supremæ totius Ordinis Auctoritati videri poterunt. — *Cf. Suarez, De Relig., tractat. 7, lib. 10, cap. 8, num. 13.*

b) Verum hæc potestas, de jure communi, censenda est

residere solummodo penes supremum totius Ordinis tribunal, id est *generale Capitulum*. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 8, lib. 2, cap. 8, num. 4.*

c) Præterea, condi non possunt a Capitulo generali nova statuta quoad omnes Religiosos, nisi sint regulæ consona et sub ea *reductive saltem* comprehendantur. — *Cf. ea quæ dicta sunt de voti obedientiæ materia, n. 1160.*

Ideo, si Capitulum generale condat nova statuta quæ ita sint *supra regulam* ut ne *indirecte* quidem seu *reductive* sub ea comprehendantur, statuta hæc non obligabunt Religiosos *jam professos*.

1189. **III. Capitulum generale potest statuta condere quæ sint totius Ordinis reformatio.**

a) Si mitigatio inducta sit per Sedis Apostolicæ *dispensationem*, et reformatio fiat a Capitulo generali *huic dispensationi renuntiante* : ille qui ante reformationem professus est, ad eam servandam non tenetur, nisi tamen talis sit reformatio ut *reductive* sub regula mitigata contineatur.

Ratio est, quia nemo potest obligari ad acceptandum quod nec *directe* nec *indirecte* vovit; sed ille non vovit talem rigorem regulæ; ergo non potest per obedientiam obligari ad vivendum secundum illam reformationem. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 7, lib. 10, cap. 8, num. 17.*

b) Verum, si reformatio fiat *auctoritate Pontificia*, ad eam observandam obligari possunt Religiosi *antea professi*.

Etenim S. Pontifex, ex suprema auctoritate qua divinitus pollet, potest, imo debet statum religiosum semel libere assumptum *legibus gubernare* quas exigit generale Ecclesiæ bonum et uniuscujusque Ordinis decentia. Porro, quilibet Religiosus, professionem emittendo, tali supremæ potestati *implicite* saltem et *virtualiter* se submittit, ac proinde eodem modo acceptat quamlibet reformationem quam in futurum opportunam aut necessariam judicaverit S. Pontifex.

1190. **IV. Statutum quo certi dies præscribuntur, in quibus ad sacram communionem omnes accedere debent,**

a) Non ita intelligendum est ut sit *prohibitivum* ne plures fiant communiones. Sed haberi debet ut *præceptivum*, ita ut omnes conentur ita vivere, ut *mereantur* ad communionem accedere saltem iis diebus, quoties rationabilis causa non obstet. — *S. C. Ep. et Reg., 4 aug. 1888.*

Imo, decreto *Quemadmodum*, mox citando, *abrogatæ* censendæ sunt constitutiones quarumdam Familiarum religiosarum quibus *vetatur* ne Moniales, sive Religiosi, sacram Eucharistiam recipiant ultra certos ac statutos dies.— *S. C. Ep. et Reg., 17 aug. 1891.*

b) Quod vero attinet ad *permissionem* vel *prohibitionem* ad Sacram Synaxim accedendi, S. P. Leo XIII decrevit « hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad *Confessarium* ordinarium vel extraordinarium spectare, quin *Superiores* ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis, post ultimam sacramentalem confessionem, Communitati *scandalo* fuerit, aut *gravem externam culpam* patraverit, donec ad Pœnitentiæ sacramentum denuo accesserit.

c) » Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se præparare et accedere *diebus* in propriis regulis *statutis;* et quoties, ob fervorem et spiritualem alicujus profectum, Confessarius expedire judicaverit ut *frequentius* accedat, id ei ab ipso *Confessario* permitti poterit.

» Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit *frequentioris* ac etiam quotidianæ Communionis, de hoc *certiorem reddere Superiorem* teneatur ; quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi Communiones, eas *Confessario manifestare* teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit. » — *Decret. S. C. Ep. et Reg., 17 dec. 1890.*

1191. **V. Aperitio conscientiæ** in quorumdam Institutorum constitutionibus permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab *expertis Superioribus* in dubiis addiscerent.

Verum, *ex abusu*, a nonnullis ex his inducta fuit *intima* conscientiæ scrutatio quæ unice *sacramento Pœnitentiæ*

reservata est. — Unde S. Pontifex Leo XIII *eodem decreto* hæc statuit :

a) « Sanctitas Sua *irritat, abrogat,* et nullius in posterum roboris declarat quascumque *dispositiones Constitutionum* piarum Societatum, Institutorum mulierum, sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictæ Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet quod cordis et conscientiæ *intimam manifestationem* quovis modo ac nomine respicit.

» Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis, ac Manualibus, præfatæ dispositiones *omnino deleantur* penitusque *expungantur.* Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et *consuetudines*, etiam immemorabiles.

b) » Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cujuscumque gradus et præeminentiæ sint, ne personas sibi subditas *inducere* pertentent, *directe* aut *indirecte*, præcepto, consilio, timore, minis aut blanditiis, ad hujusmodi *manifestationem conscientiæ* sibi peragendam; subditisque e converso præcipit, ut Superioribus majoribus *denuncient* Superiores minores qui eos ad id inducere audeant : et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice *Generali*, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

c) » Hoc autem minime impedit quominus subditi *libere* ac *ultro* aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia, in *dubiis* ac *anxietatibus*, consilium et directionem obtinendi, pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu. » — *Cit. decret. Quemadmodum, 17 dec. 1890.*

d) S. Pontifex mandavit ut hujus decreti, quod etiam ad moderationem *communionum*, ut supra, et ad *extraordinarios* Monialium *confessarios* refertur (*cf. n. 1048*), « exemplaria, in vernaculum sermonem versa, *inserantur*

Constitutionibus prædictorum piorum Institutorum, et saltem *semel in anno*, stato tempore, in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce *legantur*. » — *Ibid., num. 8.*

Item præcepit « omnibus locorum *Ordinariis*, ut enuntiati decreti plenam *exsecutionem* sedulo diligenterque procurare non intermittant, etiam vi specialis Apostolicæ delegationis ». — *Litt. Card. Præfecti ad Metrop., 20 jan. 1891.*

§ II. DE POTESTATE COERCENDI.

Superioribus regularibus competit aliqua potestas *coercitiva*. Nam potestas directiva, sine aliqua coercitione, *infirma* ac fere *inutilis* est. Igitur omnino necessaria est hæc potestas, ut ordo, pax et institutio religiosa conserventur.

1192. **I. Quando Superiores potestatem dumtaxat dominativam habent,** non possunt coercere nisi modo *paterno*, et juxta limites regulæ, eo quod potestas dominativa in statu religioso sit ad instar illius quam habet *paterfamilias* in domo sua.

a) Proinde, Superior aut Superiorissa, vi auctoritatis dominativæ, non potest nisi eam correctionem adhibere quæ intra latitudinem *familiaris* providentiæ locum habere potest.

Qualis autem vel quanta esse possit hæc pœna, judicio prudentis arbitrii relinquendum est.

b) Quod si gravior punitio necessaria sit, ad Prælatum recurrere oportet qui *jurisdictionali* auctoritate polleat. — *Cf. Suarez, De Relig., tract. 8, lib. 2, cap. 9.*

1193. **II. Prælati Regulares Ordinum exemptorum** potestatem coercitivam *episcopalem* habent.

a) Unde, possunt subditos suos coercere per quascumque ecclesiasticas *censuras*, quæ aliunde in tali materia seu crimine *personis* imponi possunt.

Diximus : *quæ possunt imponi personis*, ad excludendum

interdictum locale, quod non potest ab his Prælatis imponi. Et specialis ratio est, quia interdictum locale quodammodo redundaret in personas ipsis Prælatis regularibus *non subjectas*. — *Cf. Suarez, De Relig., loc. cit., num. 4 et seq.*

b) Dictam potestatem coercendi per pœnas spirituales habent, non tantum Generales Ordinum et Provinciales, sed etiam *Prælati locales* seu *conventuales*, nisi forte *jure particulari* alicujus Religionis hæc eorum potestas sublata aut limitata fuerit. — *Cf. Suarez., loc. cit., num. 6.*

c) Similiter, potest Prælatus regularis subditum suum ad aliquas *corporales pœnas condemnare;* imo, eumdem ex Ordine *rejicere*, si ejus delicta id mereantur, et se incorrigibilem præbuerit. — *Cf. num. 1236; — et Suarez, loc. cit.*

1194. **III. Judicialis processus**,

a) Non prærequiritur pro coercitione quæ fit ex potestate *dominativa;* sed eam peragere potest Superior, ad instar patrisfamilias, *absque ulla judicii forma.*

b) At vero, si tale sit delictum ut imponenda veniat *gravis pœna* quæ dominativam potestatem excedat, v. gr. excommunicatio, suspensio, ejectio ab Ordine, carceratio, privatio vocis activæ et passivæ, tunc nequit Superior hisce pœnis subditum coercere nisi tamquam *judex*, et servata legitima quoad Regulares processus criminalis forma.

c) Processus criminalis apud Regulares expediri potest ad formam *judicii summarii*, servatis tamen rationabilibus consuetudinibus et statutis cujusque Ordinis. — *Cap. Qualiter et quando, et cap. Olim, De accusationibus; — constit. Ad augmentum, Bonifacii VIII.*

1195. **IV. A Prælati sui sententia**,

a) *Appellare* nequeunt Regulares in *communibus correctionibus* quæ nec infamiam, nec acerbam pœnam inducunt, etiamsi sint injustæ. — *Cap. Reprehensibilis, De appellationibus.*

Cum enim appellatio suspendat jurisdictionem inferioris

Prælati, tam quoad vim obligandi per præceptum vel sententiam, quam quoad potestatem procedendi in causa, magna sequeretur *perturbatio*, et religiosa disciplina sine dubio corrueret, nisi appellatio prohiberetur. — *Cf. Suarez, De Religione, tract. 8, lib. 2, cap. 11.*

b) *Recursus* tamen ad altiorem Prælatum nullibi negatur Religioso; per simplicem enim recursum *non suspenditur* jurisdictio inferioris Prælati.

c) In causis autem *gravioribus*, Religiosus, non tantum recursum, sed *proprie dictam appellationem* interponere potest, ut constat ex jure naturali, et ex decis. S. C. Ep. et Reg., *apud Suarez, loc. cit.*

§ III. DE VISITATIONE CANONICA A PRÆLATIS REGULARIBUS FACIENDA.

1196. **I. Visitationis nomine,** ubi de Prælatis agitur, intelligi solet *inquisitio* de subditorum vita et moribus, in hunc finem instituta ut delinquentes coerceantur, et *opportunis mediis* vitæ sanctitas pro suo cujusque statu promoveatur.

a) Distingui solet in *ordinariam* et *extraordinariam*, prout statutis temporibus, vel extra solita tempora peragitur.

b) Distinguitur quoque in *judicialem* et *paternam*, secundum quod Prælatus procedit tanquam *judex*, vel ex sola potestate sua *dominativa*.

c) Denique visitatio *generalis* est, qua generaliter de omnium subditorum statu et moribus inquiritur; et *specialis*, quæ respicit, aut aliquem vel aliquos dumtaxat subditos, aut aliquam solummodo materiam.

1197. **II. Prælati regulares « teneantur suæ Congregationis monasteria frequenter visitare,** et illorum reformationi incumbere » *(Trid., sess. 25, cap. 8, De Reg.)*, id est saltem *semel in anno*; nisi forsan statuta particularia aliud habeant, visitationemque sæpius vel rarius præscribant, quæ proinde inspicere et observare oportebit.

De jure communi, possunt Prælati regulares visitationem instituere *toties* quoties expedire existimaverint, nisi proprii Ordinis constitutiones aliter disponant.

1198. **III**. **Monialium visitatio** duplex est, nempe *partialis* vel *totalis*, prout versatur tantum circa clausuræ observationem, vel comprehendit omnia generatim quæ opportuna existimantur ad bonum conventus promovendum.

a) Si Moniales sint exemptæ, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectæ, visitatio, sive partialis sive totalis, pertinet ad *Episcopum loci*, tanquam *Sedis Apostolicæ delegatum*.

b) Si vero Moniales sint exemptæ, ac simul Prælatis regularibus subjectæ,

1º Eas visitare potest *Episcopus* ratione *clausuræ* tantum, id est circa ea quæ ad clausuræ observationem spectant. — *Cf. n. 1218.*

2º Sed ad *Prælatos regulares* pertinet *totalis* visitatio Monialium sibi subjectarum.—*Constit. Dubiis, Greg. XIII, 23 dec. 1581.*

1199. **IV**. **Modus faciendæ visitationis** potissimum pendet ex uniuscujusque Religionis *constitutionibus* aut *consuetudinibus* receptis.

a) Regularium visitatio *ordinaria* est inquisitio *generalis paterna*, quia hæc visitatio, non ad vindictam publicam, sed ad correctionem et emendationem delinquentium, per secretas monitiones, salutares ordinationes et medicinales pœnitentias obtinendam, indeque ad *reformationem*, principaliter tendit.—*Reiffenstuel, De accusat., num. 285.*

b) Non tantum possunt, sed et tenentur subditi, in visitatione ordinaria, Superiori visitanti manifestare et saltem paterne *denuntiare* omnia delicta, excessus, defectus, transgressiones et abusus fratrum conventus aut provinciæ, tam occultos quam publicos, qui in *damnum* observantiæ et disciplinæ regularis, aut in præjudicium communitatis vel tertii privati cedunt. — *Reiff., loc. cit., n. 295.*

c) Quanquam visitator gravia delicta per visitationem

paternam cognita, *publice* in capitulo, cuivis pro libitu manifestare sine peccato non possit, potest tamen ea *revelare* uni vel pluribus pro consilio, et cum eisdem de illis disserere pro *remedio* adhibendo, si ita necessarium aut expediens esse judicaverit.

Ratio est, quia tali manifestatione intenditur *utilitas delinquentis,* quæ præferri debet levi illius detrimento famæ, præsertim cum etiam illi cum quibus visitator consilii causa disserit ad idem cum visitatore teneantur *secretum.*

d) Superior nullum potest *judicialiter* tractare, condemnare aut punire, ob peccata per *solam* visitationem ordinariam cognita.

Potest nihilominus, occasione visitationis ordinariæ, subinde *inquisitionem judicialem* instituere, ut si delictum, quod ei in visitatione paterna fuit denuntiatum, jam notorium est, vel subditus judicialiter denuntiare tenetur, etc.— *Cf. Reiffenstuel, loc. cit., num. 304 et seq.*

§ IV. DE DISPENSATIONE IN VOTIS.

Agendum est de votis quæ emittuntur, tum *in ipsa professione,* tum *ante* vel *post* professionem.

1200. **I. Regulares a votorum solemnium et professionis suæ vinculo** liberos facere potest *S. Pontifex,* per dispensationem, *ex justa* et *rationabili causa,* ut patet ex ipsa Summorum Pontificum praxi.

a) Diximus : *ex justa et rationabili causa.*— Votum siquidem cum constituat obligationem hominis erga Deum, non potest aliquis hoc relaxare vinculum, nisi *Dei nomine;* et dispensatio non est nisi *authentica declaratio* quod Deus, in tali casu, positis circumstantiis in dicta specie concurrentibus, non acceptet editum votum, vel obligationem remittat.

b) Ideo, veris non exsistentibus causis, dispensatio non modo *illicita,* sed etiam *invalida* est.

Neque hoc singulare est; suppetit siquidem principium : *inferiorem* invalide dispensare in lege Superioris *absque*

justa causa, etiamsi ipsi data sit dispensandi facultas, cum *excedat* limites commissæ potestatis. — *Cf. n. 94.*

1201. **II. Quod attinet ad vota dumtaxat simplicia,**

a) In primis animadvertendum est votum perpetuæ castitatis inter *quinque vota simplicia* recenseri quorum dispensationem Apostolica Sedes sibi *reservavit.*

Unde, si agatur de *perpetuo castitatis voto*, nullum dubium est quin vovens Apostolicam Sedem pro dispensatione adire omnino debeat.

b) Quod si in constitutionibus particularibus cautum fuerit ut *ab Apostolica Sede dumtaxat* super votis dispensari debeat, nullus quoque dubitationi locus est, ut patet.

Hodiernis temporibus, in approbatione constitutionum cujuslibet Instituti religiosi, juxta communiter receptam disciplinam, solet a S. C. Episc. et Regul. apponi *clausula :* ut vota, quæ in istis votorum simplicium Institutis eduntur, *a sola Sede Apostolica* dispensari possint.

Neque immerito, *ait Lucidi*, nam perpendendum est quod summopere interest Sanctæ Sedis statum cujusque Instituti *agnoscere*, quod ipsa assequi facile potest ex alumnorum supplicationibus qui dispensationem super emissis votis petunt ; insuper, quod hæ dispensationes *difficiliores* efficiuntur, et nexus inter hujusmodi Instituta et Apostolicam Sedem stabilius confirmatur. — *Lucidi, De visit. sac. lim., cap. 5, n. 341 et seq.*

c) Quod si nullum omnino verbum hac de re in constitutionibus fiat, Episcopus dispensare quidem potest, sed *cum assensu Communitatis.*

In professione enim religiosa, licet vota simplicia dumtaxat emittantur, adest *traditio* illa qua se vovens Religioni in perpetuum mancipat ; et eam promissionem Congregatio rite *acceptans*, vicissim se obligat ad providendum ei quoad spirituales et temporales necessitates. Intervenit proinde *contractus* utrinque onerosus, ita ut lædatur jus Congregationi acquisitum si Religiosus *ipsa invita* eam derelinquat. — *Cf. resp. S. C. S. O., 2 aug. 1876.*

Summus tamen Pontifex, cum sit omnium jurium ad religiosas Congregationes pertinentium primarius administrator, bene potest præfato jure Congregationem *spoliare*.

1202. **III. Vota Novitiorum Superiores nequeunt directe irritare,** eo quod potestatem dominativam *in novitios* non habeant.

a) Verum *indirecte* id possunt, quia potestatem dominativam habent in materiam voti; siquidem Superior jus habet ut non præpediatur in *recte administrando suo conventu*; ideoque potest horum votorum obligationem suspendere, quando aliquod præjudicium vel impedimentum huic rectæ administrationi afferunt.

Et hoc verum est etiam de votis *Papæ reservatis*, quia hæc reservatio respicit potestatem tantum *jurisdictionalem*, non vero *dominativam*.

b) Sed, si Novitius ad sæculum redeat, *reviviscunt* vota ipsius indirecte irritata. — *Cf. Ferraris, v. Votum, art. 3*; — *Suarez, De Relig., tract. 6, lib. 6, cap. 7.*

1203. **IV. Peracta professione,**

a) Superior, vi potestatis dominativæ, potest vota *in sæculo emissa*, si jam per ipsam professionem non sunt exstincta, irritare; et in iisdem *dispensare*, si jurisdictionali auctoritate polleat.

b) Ex eadem potestate dominativa, omnia vota *post professionem* emissa irritare potest, excepto voto transeundi ad Religionem strictiorem. — *Cf. n. 1093.*

1° Hanc potestatem habet non solum Superior generalis et provincialis, sed etiam *localis*. — *Ferraris, loc. cit.*

2° Prælati regulares, si sint *exempti*, possunt, non tantum dicta vota irritare, sed etiam in iisdem *dispensare*, non excepto voto transeundi ad Religionem strictiorem, quia non est Papæ reservatum. — *Cf. Suarez, De Religione, loc. cit., cap. 10, num. 16.*

1204. **V. Superiorissæ Monialium non habent nisi potestatem dominativam,** quia, si non de jure divino, saltem *de jure ecclesiastico*, feminæ incapaces sunt *juris-*

dictionis ecclesiasticæ, ut tenet communis Doctorum sententia.

a) Vi hujus potestatis non tantum possunt subditas in conscientia obligare, sed et earumdem *vota irritare.*

b) Verum *dispensare* non valent, neque in votis, neque in legibus Ecclesiæ, imo, neque in observantiis regularibus. Attamen, potest Superiorissa *declarare* hic et nunc Religiosam non teneri hac vel illa regulari observantia, quia declaratio, licet possit fieri a quacumque alia persona prudenti, imo et ab ipsamet Religiosa cujus interest, a fortiori tamen poterit ab Abbatissa, *attenta superioritate* quam habet in Monialem subditam ; sicque poterit Monialis *tuta conscientia* stare tali declarationi, nisi alias *constet* eam sine sufficienti ratione fuisse factam. — *Pellizari, De Monialibus, num. 138.*

CAPUT VI.

DE JURIBUS ET PRIVILEGIIS REGULARIUM.

Agendum est : de exemptione Ordinum religiosorum; — de habilitate Regularium ad munia ecclesiastica; — de privilegio quod habent eligendi judices conservatores; — de Cardinali protectore; — de aliis Regularium privilegiis; — et de privilegiorum communicatione.

ARTICULUS I.

DE EXEMPTIONE REGULARIUM A JURISDICTIONE EPISCOPALI.

Agendum est : de utilitate exemptionis Ordinum religiosorum; — de subjecto hujus exemptionis; — et de auctoritate Episcopi in Regulares exemptos.

§ I. DE UTILITATE EXEMPTIONIS ORDINUM RELIGIOSORUM.

1205. **I. Prima exemptionum justa causa est : ne regularium Congregationum unitas dissolvatur.**

Hoc ipso enim quod unusquisque conventus Episcopo loci subjaceret, ipsius verus Superior foret *Episcopus ;* nec tantum verus monasterii Superior exsisteret Episcopus, sed et *supremus,* utpote a quolibet alio Episcopo, et a fortiori a quolibet religiosæ Congregationis Superiore generali *independentem* in sua diœcesi jurisdictionem exercens. Hinc, tot exstarent *supremi* et ab invicem *independentes* Superiores, quot forent Episcopi aliquem in diœcesi sua conventum habentes.

Id autem, si semel induceretur, *destructionem* earum Congregationum quæ per totum mundum sub unitatis regimine diffundendæ institutæ sunt, ipso facto secum traheret. Ergo, revera, ne Regularium Congregationum *unitas* dissolvatur, seu ne Congregationes illæ pereant, non tantum utile, sed et omnino *necessarium* fuit ipsas ab Ordinariorum jurisdictione liberas constitui. — *Bouix, de Regularibus, tom. 2, pag. 112.*

1206. **II. Altera exemptionum justa causa est : ut conservetur et promoveatur disciplina religiosa.**

Ad conservandam enim et promovendam in unaquaque Familia religiosa disciplinæ regularis integritatem, necesse est ut ii quibus id muneris incumbit diu in ejusdem regulæ palæstra *sese exercuerint*, ac Instituti hujus spiritu imbibiti quodammodo fuerint; alias, dum meliora etiam sibi æmulari videbuntur, conventum facile in transversum agent. Ergo, ad id præstandum, apti non sunt regulariter loquendo Episcopi, tum quia *regulam experti non sunt*, tum quia, pro varietate ingenii multorum in diversis mundi partibus constitutorum, aut in eadem etiam civitate sibi succedentium Episcoporum, moraliter impossibile est eos in spirituali conventuum directione *perseveranter concordare*.

Hæc directionis unitas, seu uniformitas, nonnisi per ipsorummet Congregationis Superiorum hierarchiam firmari potest. Ut autem per *Congregationis Superiores* id præstetur, necesse est Ordinariorum arbitrio hanc ipsorum auctoritatem non subjici. — *Bouix, ibid.*

1207. **III. Merito demum inductæ sunt exemptiones ad tuendam Religiosorum quietem, et arcenda ab eis gravamina.**

a) Quamvis enim, attenta status episcopalis excellentia, *haud frequens* supponi debeat gravamen monasteriis a Præsulibus inferendum, pro humana tamen fragilitate, aliquando hoc incommodum incurrere sæculorum *experientia* testatur; et, ad componendas lites inter Episcopos et Religiosos, *specialis* etiam Cardinalium *Congregatio* Romæ constituenda visa est.

b) Et quidem, optimo plerumque fine in istis disceptationibus ducuntur Episcopi; at non raro eos, vel ex laudabili zelo, minus recte sensisse, arguit *causarum exitus* quæ ad dictam S. Congregationem perferuntur.

Unde quisque inferre potest quam salubri ordinatione dispositum fuerit ut Religiosi exemptionum tutamine protegantur. — *Bouix, loc. cit.*

1208. **IV. Naturam et præfatas exemptionum**

causas ipse S. P. Leo XIII declaravit *in constitutione Romanos Pontifices, ad Episcopos Angliæ et Scotiæ, 8 idus maii 1881 :*

« Quamvis, *ait*, in ecclesiastica hierarchia quæ est divina ordinatione constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur *(Trid., sess. 23, De sacr. Ord., can. 7)*, tamen, quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et æquabili vitæ cursu uterentur ; denique, ut esset incremento et perfectioni *religiosæ conversationis* consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est diœceses describere ac suos cuique subditos sacra potestate regendos attribuere, clerum regularem Episcoporum jurisdictione *exemptum* esse statuerunt.

» Cujus rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum sæcularem, sed quod earum domus habitæ fuerint, *juris fictione*, quasi territoria quædam ab ipsis diœcesibus *avulsa*. Ex quo factum est ut religiosæ Familiæ quas, jure communi, et *Episcopis* propter hieraticum principatum, et *Pontifici Maximo* propter primatum Pontificium immediate subesse oporteret, in *Ejus* potestate esse perrexerint, ex *Episcoporum* potestate per privilegium exierint. » — *Constit. cit., § Ad Regularium. — Cf. epist. Pii IX ad R. P. Darboy, Archiepiscopum Parisiensem, 26 oct. 1865.*

Non obstante hac exemptione, « decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et, sicut *fratres*, ad invicem vinculo charitatis sint adstricti ». — *Clement. unic., De excessibus Prælatorum.*

§ II. DE SUBJECTO EXEMPTIONIS.

1209. **I. Ordines regulares virorum ab episcopali jurisdictione sunt exempti, de jure communi.**

« Inter privilegia quibus gaudent Regulares, cuilibet peculiari Ordini a SS. Pontificibus attributa, illud adnumeratur per quod regulares Familiæ ab episcopali vel ordinaria auctoritate eximuntur, et S. Sedis jurisdictioni im-

mediate subjiciuntur. » — *Bened. XIV, constit. Apostolicum ministerium, 30 maii 1753. — Cf. const. Leonis XIII, Romanos Pontifices. — Cf. n. 1103.*

1210. **II. Quoad regulares Moniales**, distinguendum est, nempe : vel immediate subjiciuntur *Prælatis regularibus* ejusdem Instituti, et tunc ab Ordinario loci sunt exemptæ, nisi in casibus a jure expressis ; — vel immediate subjiciuntur *S. Pontifici*, et tunc illæ Moniales exemptæ quidem sunt ab ordinaria jurisdictione Episcopi, sed regi debent ab Episcopis tanquam *Sedis Apostolicæ delegatis*. — *Trid., sess. 25, cap. 9, De Regul.*

a) Episcopi, tot tantisque pastoralis ministerii negotiis distenti ac impediti, haud ita facile frequentibus Sanctimonialium necessitatibus, præsertim minutioribus, *per se* præsto esse queunt. — Itaque maxime opportunum est ut ecclesiasticus vir ab Episcopo deputetur, qui in moderamine ac ductu Sanctimonialium *ejusdem vices gerat*, et a Monialibus, data opportunitate, facillime consuli possit.

b) Huic Episcopus *eas facultates* delegare potest quas eidem tribuere in Domino expediens sibi visum fuerit.

Curandum est ut hic ecclesiasticus vir ille non sit qui, sive ordinarie, sive extraordinarie, Monialium *confessiones* excipit ; nam res periculi plena videtur eidem personæ *externum* communitatis regimen et *internum* animarum moderationem concedere. — *Lucidi, op. cit., cap. 5, n. 433.*

1211. **III. Generalis exemptio non exsistit pro Congregationibus in quibus vota tantummodo simplicia eduntur.** — *Constit. Pastoralis officii, Innocent. X, 30 aug. 1652 ; — S. C. Episc., 16 sept. 1864.*

Proinde, privilegium exemptionis ipsis *ex jure communi* non competit ; sed quidquid exemptionis habent, derivatur ex speciali *privilegio* a S. Pontifice concesso, nec illa exemptio sese extendit nisi ad ea quæ in hujusmodi speciali concessione expresse determinantur.

a) Si hæ Congregationes exsistant sola permissione Or-

dinariorum, absque ulla approbatione S. Sedis, dubitari non potest quin, *absque ulla limitatione,* auctoritati et jurisdictioni illorum omnino subjaceant.

b) Verum, si fuerint a *Sancta Sede* una cum suis constitutionibus approbatæ, tunc sunt obnoxiæ jurisdictioni Episcoporum *salvis tamen constitutionibus,* seu iis exceptis quæ cadunt sub interno ac disciplinari regimine et administratione. — In hujusmodi enim approbatione sancienda, S. C. Ep. et Reg. Sodalitatum de quibus agitur scopum, regimen et institutionem, simulque regulas, *approbationis suæ* calculo complecti consuevit.

Quocirca, quidquid *ex Pontificia auctoritate* ordinatum fuerit, nefas est Episcopis, utpote Summo Pontifice inferioribus, attingere et immutare. — *Lucidi, De visit. sacr. lim., cap. 4, num. 170.*

1º *Sub interno autem regimine cadunt* ea omnia de quibus loquuntur constitutiones, nempe bonorum temporalium administratio, domorum gubernium, Superiorum electiones, novitiorum receptiones, punitiones transgressionum et inobedientiæ aliorumque domesticorum excessuum, exsecutiones decretorum et sententiarum Superiorum quæ observantiam constitutionum respiciunt : in quibus et aliis similibus Ordinarii nullatenus se ingerere possunt, nisi in casibus a jure expressis. — *Bizzarri, Collect., pag. 477.*

2º Inde, Episcopi neque *pro tuenda observantia constitutionum* se possunt ingerere; sed, si sciant professos votorum simplicium in hoc deficere, partes officii eorum sunt S. Sedem de hoc certiorem reddere. — Quod ex praxi perpetua *S. C. Ep. et Reg.* probatur, et litteris Apostolicis Benedicti XIV, *Emanavit super*, 21 jan. 1758. — *De Angelis, in tit. De religiosis domibus, num. 4.*

3º Id præsertim verificatur quoad Congregationes, sive virorum, sive mulierum, quæ *filiationes* habent in pluribus diœcesibus sub uno Superiore aut Superiorissa *generali;* praxis enim hodierna S. Congregationis est ut hujusmodi Congregationes ab Ordinariis locorum sint *exemptæ* quoad ea quæ *totius Congregationis regimen* spectant.

c) Imo, aliquando a Sancta Sede conceditur ut hujusmodi Congregationes virorum, *non minus ac Ordines proprie regulares*, sint exemptæ a jurisdictione, visitatione et correctione Ordinarii, atque earum Superiores habeant jurisdictionem spiritualem in utroque foro, immediate soli Romano Pontifici subordinatam. — *Cf. Lucidi, loc. cit., num. 173 et 174.*

Et pariter aliquando indulsit ut *piæ feminæ* vota simplicia nuncupantes, quæ communem vitam agunt, immunes forent ab Ordinariorum jurisdictione, eique parerent cui S. Pontifex easdem parere præscripserit. — *Lucidi, op. cit., cap. 5, num. 429.*

d) A jurisdictione *parochiali*, saltem de jure communi, *non eximuntur* hujusmodi Congregationes, ideoque nec *alumni* apud ipsas educationis causa degentes.

Attamen plus minusve ab ea *eximi* possunt, sive ex privilegio Apostolico, sive ex diuturna consuetudine, sive ex Episcopali statuto. — *Cf. n. 913.*

§ III. De auctoritate episcopi in regulares exemptos.

« Quum religiosæ Familiæ re ipsa intra fines diœcesium vitam degant, sic hujus privilegii *temperata* vis est ut sarta tecta sit diœcesana disciplina, adeoque ut clerus regularis *in multis subesse* debeat episcopali potestati, sive *ordinariæ* sive *delegatæ.* » — *Leo XIII, constitutione Romanos Pontifices, 8 id. maii 1881, § Ad Regularium.*

Igitur, ut limites hujus exemptionis accurate determinentur, agendum est de potestate Episcoporum in Regulares exemptos, seu de *præcipuis casibus* in quibus Regulares, licet exempti, Ordinariorum jurisdictioni subjiciuntur, *iis omissis quæ suo loco notata sunt.*

Hæc Ordinariorum auctoritas in exemptos non est proprie jus imperandi et disponendi *ad modum Superioris*, sed potius jus et officium procurandi ut exempti *servent leges canonicas* quas voluit Ecclesia committi Episcoporum inspectioni et auctoritati.

Si Episcopus procedat in exemptos potestate *ordinaria*,

datur appellatio ad Metropolitanum; si procedat ut *delegatus Sedis Apostolicæ*, ad S. Pontificem appellatur.

1212. **I. Religiosus exemptus, si extra claustra ita notorie deliquerit ut populo scandalo sit,**

a) Potest Episcopus *Superiori tempus præfigere* ad puniendum delinquentem. Et tenetur Superior de inflicta punitione Episcopum *certiorem* facere.

Si *negligat* Superior regularis debitam pœnam intra præfixum tempus infligere, potest delinquens ab *ipso Episcopo* puniri.

b) Si delinquens impunitus transmissus fuerit *extra diœcesim*, debet *revocari* ad monasterium in quo degebat quando deliquit, ut ibidem puniatur.

Quod si hoc etiam facere prætermiserit Prælatus Regularis, *Ordinarius loci* ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus in delinquentem severe animadvertere potest ac debet. — *Trid., sess. 25, cap. 14, De Regul.; — constit. Clementis VIII, Suscepti muneris, 23 feb. 1596.*

1213. **II. « In monasteriis seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium.....** hujusmodi curam animarum exercentes subsint immediate, in iis quæ ad *dictam curam* et *sacramentorum administrationem* pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi in cujus diœcesi sunt sita. » — *Trid., sess. 25, cap. 11, De Regul.*

a) Ideo, quidquid Episcopus a parocho sæculari exquirere atque exigere solet ac potest, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho *regulari* exquirere et exigere potest. — *Const. Ben. XIV, Firmandis, 6 nov. 1744.*

b) Hinc, parochi regulares interesse debent iis cleri cœtibus qui *collationes* seu *conferentiæ* dicuntur. — *Cit. constit. Firmandis.*

Et Leo XIII declaravit omnes *Missionum* rectores hisce collationibus adesse ex officio debere, simulque decrevit

ut iisdem intersint vicarii quoque aliique religiosi viri, Missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque Missionum domos incolunt. — *Constit. Romanos Pontifices*, § *Præcipuam*.

1214. **III. Confessiones sæcularium audire,** nec *licite* nec *valide* possunt Regulares exempti, nisi aut parochiale beneficium habeant, aut fuerint ab Episcopo approbati. — *Trid., sess. 23, cap. 15, De ref.*

a) Diximus : *confessiones sæcularium*;—nam possunt Regulares exempti licite et valide suorum *Religiosorum* confessiones audire absque ulla licentia aut approbatione Episcopi, modo facultatem a suis regularibus Prælatis acceperint ; et, non tantum fratrum sui Ordinis qui professionem emiserunt, sed etiam *novitiorum*, *oblatorum*, nec non *famulorum* qui intra septa et sub Regularium obedientia vivunt. — *Cf. const. Clem. X, Superna, 21 jul. 1670.*

Non possunt tamen, absque Ordinarii approbatione, audire confessiones *Monialium*, quamvis sint ejusdem Ordinis et ipsis subjectæ. — *Cf. n. 1050.*

b) Religiosi exempti, qui ad audiendas confessiones, *prævio examine*, simpliciter et *absque ulla temporis præfinitione*, ab ipso Episcopo (secus autem si ab ejus Vicario vel ab antecessoribus Episcopis) approbati fuerint, non possunt ab eodem iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, nisi nova superveniente causa quæ ipsas confessiones concernat. — *Clem. X, cit. const.*

Nec confessiones audiendi facultas *omnibus* simul unius conventus regularibus confessariis adimi potest ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica. — *Ibid.*

Nec a *Vicario Capitulari* revocari potest approbatio habita ab Episcopo defuncto. — *Cf. n. 831.*

c) Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus *Episcopo reservatis* absolvere possunt. — *Cit. constit.*, § *7.*

1215. **IV. Quæcumque spectant ad sacrosanctum Missæ sacrificium** mandare, prohibere, vel corrigere

possunt Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicæ delegati, non obstantibus privilegiis vel exemptionibus quibuscumque.— *Trid., sess. 22, De observ., etc. — Cf. n. 644.*

Non potest tamen Episcopus impedire ne Regulares *ante Missam parochialem* suas sacras functiones et Missam celebrent, prævio etiam campanarum sonitu. — *S. C. C. 28 feb. 1761; 11 mart. 1892. — Cf. n. 899 et 939.*

a) Episcopis quoque subduntur Regulares quoad cultum et custodiam *Eucharistiæ*, ejusque expositionem publicam, hostia non velata. — *Cf. Benedictum XIV, De syn., lib. 9, cap. 15.*

b) Item Ordinario subjiciuntur pro habendo sacro chrismate, et consecrandis ecclesiis. — *Cf. n. 1272.*

1216. **V. Ad publicas processiones vocati,** accedere tenentur clerici omnes, tam *regulares* quam *sæculares*, iis tantum exceptis qui in *strictiori clausura* perpetuo vivunt, nisi speciale privilegium habeant, ut Patres Societatis Jesu. — *Trid., sess. 25, cap. 13, De Reg.*

a) Et controversias omnes de *præcedentia* in processionibus publicis, nec non in associandis defunctorum corporibus, ad Episcopum pertinet, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componere. — *Trid., ibid.*

b) Ipsi Regulares, nonnisi infra octavam Corporis Christi, possunt processiones *extra claustra* facere, absque parochi vel Episcopi licentia. — *Cf. Ben. XIV, Instit. 105, num. 52.*

c) Si, *pro consecratione sacrorum oleorum*, feria quinta in Cœna Domini, constitui non possit sacerdotum sæcularium numerus a Pontificali requisitus, Episcopus supplere debet regularibus sacerdotibus, *ex decis. S. C. Rit., 11 nov. 1611; et S. C. Episc. et Reg., 19 jun. 1863. — Cf. Lucidi, cap. 4, num. 156 et seq.*

1217. **VI. Censuras et interdicta,** nedum a Sede Apostolica emanata, sed ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, Regulares in suis ecclesiis publicare atque servare debent. — *Trid., sess. 25, cap. 12, De Reg.*

« *Dies etiam festi*, quos in diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur. » — *Trid., ibid.* — Verum disputatur utrum hodie possit Episcopus *novum festum de præcepto* instituere. — *Cf. n. 646.*

1218. **VII. In iis quæ spectant ad clausuram Monialium,** etiam ipsismet Regularibus subjectarum, Episcopus potest, *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, quoscumque delinquentes, etiam Regulares, corrigere et punire. — *Constit. Inscrutabili, Greg. XV.*

Nam Monialium clausuræ exactam custodiam s. synodus Tridentina Episcopis commisit, ipsisque mandavit « ut in omnibus monasteriis sibi subjectis *ordinaria*, in aliis vero *Sedis Apostolicæ* auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter *restitui*, et ubi inviolata est, *conservari* maxime procurent : inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis ». — *Trid., sess. 25, cap. 5, De Reg.* — *Constit. Ad militantis, § 20.*

1219. **VIII. Superior regularis potest subditis suis regularibus litteras dimissorias concedere ad recipiendos ordines.**

a) Illud constat ex decreto S. C. C., *15 mart. 1596*, quod confirmavit Clemens VIII, et postea Benedictus XIV, *const. Impositi nobis, 27 feb. 1746.*

Idem deducitur ex *cap. Abbates, 8, De privilegiis, in 6o*, in quo Superioribus regularibus tribuitur jurisdictio quasi-episcopalis in subditos ; — nec non ex *Trident., sess. 23, cap. 10, De ref.*, ubi, dum prohibentur Abbates litteras dimissoriales *sæcularibus* clericis concedere, aperte supponitur id eos posse quoad suos *Religiosos*.

b) Attamen *professis votorum simplicium* dicti Superiores non possunt dare litteras dimissoriales, nisi pro prima tonsura et minoribus ordinibus, donec, *triennio expleto* a prima professione, vota solemnia emiserint.

Neque, ut suo loco notatum est, isti promoveri possunt ad sacros ordines *titulo* paupertatis. — *Cf. n. 284.*

c) In *Congregationibus* autem religiosis quæ vota dumtaxat simplicia emittunt, *juri communi* standum est quoad dimissoriales et testimoniales litteras, nisi *specialia indulta* obtinuerint.

Attamen Superiores Instituti alumnos ordinatos mittere poterunt *in aliam diœcesim* absque *licentia* aut *notitia* Episcopi ordinantis. — *S. C. Ep. et Reg., 6 maii 1864.* — *Cf. n. 275 et seq.*

d) *Quem Episcopum adire* teneantur Regulares pro suscipiendis sacris ordinibus, secluso privilegio adeundi quem voluerint, statuitur in citato decreto *Clementis VIII.* Dimittendi sunt « ad Episcopum *diœcesanum*, nempe illius monasterii in cujus familia, ab iis ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit; et, *si diœcesanus abfuerit*, vel *non esset habiturus ordinationes*, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, *examinetur* quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissorialium ad id tempus quo Episcopus diœcesanus, vel esset abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes ».

Litteræ dimissoriales ad *alium* Antistitem directæ *nullius momenti* sunt « nisi illis juncta fuerit *authentica attestatio* Vicarii generalis, vel Cancellarii aut Secretarii ejusdem Episcopi diœcesani, ex qua constet ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore ». — *Constit. cit. Bened. XIV.*

e) Regularis privilegio destitutus quo valeat promoveri ad sacros ordines per quemlibet catholicum Episcopum, sed provisus *alio privilegio* recipiendi sacros ordines *extra tempora* communi lege Ecclesiæ constituta, potest ordinari ab Episcopo extraneo.

Ad hoc tamen requiritur ut *authentica attestatione* constet Episcopum proprium, scilicet Episcopum illius diœcesis in qua sita est domus religiosa, *proximo legitimo tempore* ordinationem non habere. Nec sufficit ut Episcopus proprius

testetur generaliter se non tenere sacram ordinationem extra statuta tempora. — Et contraria consuetudo non admittitur. — *Constit. Impositi nobis, Benedicti XIV.* — *Cf. resol. S. C. C. in Lunen., 18 aug. 1888.*

1220. **IX. Scholæ elementares, seu primariæ,** jure communi inter instituta diœcesana et parochialia adnumerantur; et ideo Episcopi jus habent quoad omnia *visitandi hujusmodi scholas,* etiam in Missionibus et parœciis regularibus æque ac sæcularibus. — *Constit. Romanos Pontifices, Leonis XIII, 8 id. maii 1881, § Insuper.*

a) Alia profecto causa est cæterarum scholarum et collegiorum in quibus religiosi viri, secundum Ordinis sui præscripta, juventuti catholicæ instituendæ operam dare solent. In his enim firma et integra *privilegia* manent quæ illis ab Apostolica Sede collata sunt. — *Constit. cit.*

b) Attamen Regulares non possunt *nova collegia* erigere, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicæ. — *Ibid.* — *Cf. n. 1101.*

1221. **X. Decretis synodalibus** « pareant oportet etiam Religiosi sodales, in iis quæ ad *curam animarum* et *sacramentorum administrationem* referuntur, cæterisque in rebus in quibus eos *Episcoporum jurisdictioni subesse* canonica præcipiunt instituta ». — *Constit. Romanos Pontifices, Leonis XIII, § Proxima est.*

a) « Fas est Regularibus *appellare in devolutivo* tantum quoad interpretationem decretorum quæ, de jure communi sive ordinario sive delegato, *Regulares, etiam afficiunt....* Authentica namque interpretatio quæ manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est quanti sunt *ipsa decreta.* Ex quo illud omnino est consequens : licere Regularibus ab hoc decretorum genere appellare eo jure et modo quo licet cuilibet e diœcesi appellare *a lege communi,* scilicet *in devolutivo.*

b) » At vero, ad *reliqua decreta* quod attinet, ea certe lata contra Regulares *vim rationemque legis amittunt;* quare constat illos sic exemptionem a jurisdictione episco-

pali possidere uti ante possederint, donec Pontificis Maximi auctoritate judicetur jurene an secus cum iis actum sit. » — *Constit. Romanos Pontifices, loc. cit.*

ARTICULUS II.

DE HABILITATE REGULARIUM AD MUNIA ECCLESIASTICA.

1222. **I. Munus parochiale religiosi status essentiæ nequaquam repugnat.**— *Cf. bullam Auctorem fidei, Pii VI; — et conc. Trid., sess. 25, cap. 11, De Reg.*

a) Potuerunt aliquando de jure communi parochiæ sæculares Regularibus conferri, etiam in titulum. Verum omnino certum est *de jure communi hodierno* haud posse parochias sæculares Regularibus conferri, absque dispensatione Pontificia. — *Id evincunt plurimæ decisiones S. C. C., ex. gr., in Boianen., 31 jan. 1891. — Cf. constit. Romanos Pontifices, Leonis XIII, § Peracta missionis.*

Religiosæ Congregationes virorum votis solemnibus carentes non videntur comprehendi sub dicto jure hodierno. — *Cf. Bouix, De Reg., tom. 2, pag. 39 et seq.*

b) Ex eo quod hodie Regularibus parochiæ sæculares conferri nequeant absque indulto Apostolico, haud sequitur nunquam *expedire* ut conferantur.

Eæ siquidem possunt esse alicujus civitatis aut diœcesis circumstantiæ, ut Episcopus sibi merito persuadeat id in summam utilitatem, tum diœcesanorum, tum ipsius etiam Ordinis religiosi cessurum. — *Cf. Bouix, ibid., pag. 52.*

1223. **II. Regulares nequeunt :**

a) Esse *Vicarii generales* Episcoporum, absque Pontificia dispensatione. — *Cf. n. 782.*

b) Nec absque indulto Pontificio obtinere *beneficium simplex sæculare*, v. gr., canonicatum in ecclesia cathedrali vel collegiata sæculari. — *Cf. Clement. Quia Regulares, De supplenda negligentia Prælatorum.*

1224. **III. Sed possunt :**

a) Esse *delegati Summi Pontificis*, modo sint in *digni-*

tate constituti, scilicet non habeant in eodem monasterio ullum alium immediatum Superiorem. — Unde eligi possunt in *Judices synodales*. — *Cf. n. 602*.

b) Promoveri ad *gradus academicos* in publicis academiis, imo extra publicas universitates, id est, *auctoritate Prælatorum Religionis*, quando id privilegio Apostolico concessum est.

c) Ad *episcopatum* evehi, necnon ad *cardinalatum*, nisi obstet votum aut regula specialis. — *Cf. n. 710.*

Item, quod valeat Regularis ad *Summum Pontificatum* assumi, omnino extra controversiam est, et testatur praxis frequentissima.

ARTICULUS III.

DE PRIVILEGIO ELIGENDI JUDICES CONSERVATORES.

Regularium Ordines, pleræque Universitates ac nonnulla quoque Canonicorum collegia, inter cætera privilegia quibus a Sede Apostolica donata sunt, hoc etiam gaudent ut *judices* eligant suorum privilegiorum *Conservatores*. — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 4, cap. 6.*

1225. **I. Conservatores eliguntur ex judicibus synodalibus.** — *Cf. n. 602.*

Quod si diœcesana synodus nullos judices designaverit, integrum erit Regularibus, ne suo jure priventur, assumere *quem voluerint* in *Conservatorem*, modo cæteroquin præstet qualitatibus requisitis, scilicet constitutus sit in *dignitate ecclesiastica*, vel *personatum* aut *canonicatum* obtineat in ecclesia cathedrali. — *Constit. Sanctissimus, Gregorii XV, 20 sept. 1621.*

1226. **II. Officium Conservatoris** est tueri Regulares ab injuriis et violentiis notoriis, si quis præsumat illorum jura invadere, aut turbare usum privilegiorum, in causa aperta quæ nullam indaginem *judicialem* exposcat.

1227. **III. Hoc officium in nostris regionibus,** *ait D. Icard*, committi non solet cum prærogativis jure cano-

nico sancitis. — Regulares, in causis sui Instituti, ad *Episcopum* diœcesis qui illorum jura tueatur confugiunt; aut recurrunt ad *Summum Pontificem*, si forte aliqua ipsos inter et Episcopum suboriatur difficultas, quam non aliter definiri posse præsumunt. — *Prælect., num. 503.*

ARTICULUS IV.

DE CARDINALI PROTECTORE.

1228. **I. Summi Pontifices assueverunt adsignare singulis Ordinibus et Congregationibus religiosis Cardinalem Protectorem.**

Cum vero, decursu temporis, contigisset ut Cardinales Protectores suæ potestatis fimbrias nimium extenderent, adeo ut, non *protegendi*, sed *dominandi* occasiones captarent, hinc, ad limitandas et declarandas Cardinalium Protectorum facultates, editæ sunt plures RR. PP. constitutiones; et tandem Innocentius XII rem totam determinavit, *constit. Christi fidelium, 17 febr. 1694*, quæ pro norma sumenda est ad determinandum jus commune de Cardinalium Protectorum munere, juribus ac potestate.

1229. **II. Cardinalis Protector nullam habet jurisdictionem proprie dictam.**

Ideo non est proprie *judex* aut *Prælatus* Ordinis; nec ullo modo corrigere aut immutare potest statuta Capituli generalis, vel provincialis, vel conventualis; nec ullum Superiorem Officialemve instituere aut destituere, etc. — *Cf. citat. constitutionem.*

Attamen, ex *speciali delegatione* R. Pontificis, contingere potest ut aliquam jurisdictionem habeat.

1230. **III. Ad ipsum pertinet** Ordinem sibi commendatum in quieto et pacifico statu *conservare* et *augere*, ab impugnantibus et molestantibus *protegere* et *tueri*, ac etiam *invigilare*, cum regulis prudentialibus potius quam jurisdictionalibus, ne subditi a Superioribus opprimantur.

Cæterum, quando in approbatione alicujus Congregatio-

nis constituitur Cardinalis Protector, seu postea eidem Congregationi datur, perpendendum est an et *qualia jura Summus Pontifex illi concesserit.*

ARTICULUS V.

DE ALIIS REGULARIUM PRIVILEGIIS.

1231. **I. Alia innumera fuere privilegia Regularibus concessa per Pontificias constitutiones,** et præsertim per constitut. *Regimini univers. Ecclesiæ, Sixti IV, an. 1474.* — Hæc constitutio dici solet *mare magnum,* quia innovat et auget omnia antiqua Regularium privilegia.

Referuntur ad indulgentias quas Regulares lucrari possunt, ad facultates ipsis concessas, ex. gr., Missas privatas dicendi et officium divinum recitandi ante horas jure communi præfixas, absolvendi a casibus Papæ reservatis, dispensandi super votis et certis legibus, etc., de quibus disserit S. Alphonsus, *in libro De privilegiis.*

Attamen privilegia *generalia* Regularium quoad facultatem absolvendi a casibus et censuris Romano Pontifici reservatis, sublata sunt per constitutionem *Apostolicæ Sedis.* — *Cf. n. 1582.*

1232. **II. Sunt privilegia nonnullis Ordinibus specialia,** v. gr. privilegium concessum Superioribus *Ordinis Fratrum B. Mariæ de Carmelo,* benedicendi, per se vel per alios a se deputandos, parvos habitus seu *scapularia* gestari solita a confratribus Confraternitatum de Monte Carmelo ubicumque erectarum vel erigendarum; — privilegium datum Magistro generali *Ordinis Prædicatorum* erigendi societates sanctissimi *Rosarii,* et litteras concedendi facultativas, sive Regularibus sive sæcularibus, ut, de consensu Ordinariorum, dictas societates erigere valeant; — item, facultas concessa Ministro generali *Ordinis Minorum* et Regularibus ab eo dependentibus, erigendi, privative ad quoslibet alios, *viam Crucis,* de consensu Ordinarii, in locis ubi exsistit Ordo Minorum observantiæ S. Francisci, etc.

1233. **III. Concilium Tridentinum multa privilegia Regularium abrogavit.**

a) Certum est fuisse abrogata Regularium privilegia quæ contraria sunt decretis concilii Tridentini habentibus *clausulam derogatoriam* : « non obstantibus privilegiis.... »

b) Item omnes admittunt cessavisse privilegia contraria decretis concilii Tridentini *in sessione 25, De Regularibus*, licet in singulis decretis clausula hæc derogatoria non habeatur; nam habetur *in fine sessionis*, et ad omnia capita hujus sessionis refertur.

c) Quæstio est utrum cessaverint privilegia contraria decretis concilii Tridentini quæ, *nec in sessione 25* continentur, *nec eam clausulam* habent.

1° *Probabilior* est sententia *negativa.* — Nam est principium : legem particularem, ut est privilegium, non revocari per legem generalem sine *expressa* ejus mentione (*cf. n. 89*). — Atqui, ex hypothesi, lex generalis concilii Tridentini non habet *expressam* mentionem contrariorum privilegiorum.

Insuper, concilium Tridentinum in nonnullis decretis habet hanc clausulam derogatoriam; ergo, quando eam non ponit, argumentum est ipsum *noluisse* privilegia aut leges particulares per illud decretum subvertere.

Accedit *praxis* Regularium quam testatur Reiffenstuel, *in tit. De Regul., num. 144.*

2° Præcipua difficultas in contrarium desumitur ex constitutione *In principis*, Pii IV, quæ revocavit omnia privilegia decretis concilii Tridentini contraria.

Verum respondetur hanc constitutionem fuisse latam ad urgendam observantiam decretorum concilii Tridentini, ac proinde intelligendam esse *juxta sensum horum decretorum.* Ergo ea revocat privilegia quæ revocata sunt a concilio Tridentino, non vero ea quæ a decretis ejusdem concilii intacta relinquuntur.

ARTICULUS VI.

DE PRIVILEGIORUM COMMUNICATIONE.

1234. **I. Regulares privilegia obtinent, non solum directa S. Pontificis concessione, sed insuper communicatione.**

a) Communicatio consistit in participatione privilegiorum, quæ Superior, concedendo alicui Ordini religioso, *ad alios vult extendi. — Cf. n. 105.*

Regulares *Mendicantes* plenissimam habent inter se privilegiorum communicationem; imo, participant privilegia aliis Ordinibus non Mendicantibus concessa : quod pluribus constitutionibus statutum fuit, ex quo tempore Sixtus IV primam communicationem indixit inter Fratres Minores et Prædicatores, « ut quos par labor pariaque merita conjungebant, paria conjungerent privilegia et favores ». — *Bulla Regimini*, § *46*.

b) Hæc communicatio privilegiorum, ait *Reiffenstuel*, currit de Prælatis ad Prælatos, de Fratribus ad Fratres, de conventibus ad conventus, de festivitatibus ad festivitates. — *Cf. bullam Julii II, Alias, 1 jun. 1509.*

1235. **II. Attamen, in privilegiorum participatione sequentes limitationes ponendæ sunt :**

a) Privilegium concessum uni Religioso *privato* non communicatur aliis Religiosis, siquidem talia privilegia sunt *personalia;* unde habet locum *regula 7 juris. in 6o :* « Privilegium personale personam sequitur et exstinguitur cum persona ».

Adde quod in aliis plerumque cessat *ratio concessionis*, ex. gr. prærogativa meritorum, personæ habilitas, vel hujusmodi.

b) Idem dicendum est de privilegiis concessis aliquibus ecclesiis ad *tempus* determinatum, nec non de privilegiis quæ concessa sunt ob *specialem rationem*, v. gr. quum indulgentia concessa est uni loco speciali quia ibi est imago

B. M. Virginis cum magna veneratione fidelium. Hinc, indulgentia portiunculæ non communicatur aliis Ordinibus præter Ordinem S. Francisci. — *Reiffenst., De privilegiis, num. 60 et seq.*

c) Nec fit communicatio privilegiorum in iis quæ sunt *contraria* regulis et constitutionibus Ordinis.

d) Tandem, hæc communicatio privilegiorum locum non habet nisi inter Ordines religiosos *proprie dictos,* in quibus scilicet vota solemnia emittuntur.

Attamen, *Tertiarii* fruuntur communicatione gratiarum spiritualium et indulgentiarum quæ majoribus Ordinibus concessa sunt.

Item, Moniales pertinentes ad Ordinem in quo prius emittebantur vota solemnia, sed hodie vota *simplicia* dumtaxat in Gallia emittuntur, lucrari possunt *indulgentias* omnes quæ Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemnia vota emittentium, secundum Institutum seu regulam respectivam, concessæ fuerint : idque ex indulto a Gregorio XVI confirmato. — *Sac. Pœnitentiaria, 11 decembris 1835.*

CAPUT VII.

DE RECESSU A RELIGIONE, ET DE REGULARIBUS EXTRA CLAUSTRA DEGENTIBUS.

Agendum est : de ejectione Religiosorum ; — de apostatis et fugitivis ; — et de Religiosis in sæculo degentibus ex indulto Apostolico.

ARTICULUS I.

DE RELIGIOSORUM EJECTIONE.

1236. **I. Religiosus solemniter professus ejici potest ex causa veræ incorrigibilitatis,** quia tunc, ad hanc necessariam ejectionem, supervenit causa *communis periculi spiritualis;* et, « ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre, ejici potest ». — *Decret. Sacra Congregatio, jussu Urbani VIII edit. die 21 sept. 1624.*

a) Ut Religiosus censeatur vere *incorrigibilis*, requiritur ut aliquod *grave delictum* commiserit, talibus circumstantiis qualificatum, ut in Religionis dedecus, populi scandalum et Religiosorum contagium cedat; præterea, ut de delicto legitime *constiterit*, vel per ipsius confessionem, vel per testium probationes; ut pluries deliquerit et, *trina monitione præmissa*, punitus fuerit pro singulis excessibus. — *Cf. decret. Innocentii XII, 24 jul. 1694.*

b) Ejectio nequit fieri nisi a *Generalibus* et *Provincialibus*, et de consilio et assensu sex Religiosorum qui in singulis Capitulis generalibus eliguntur. — *Cf. cit. decret. Urbani VIII et Innoc. XII.*

Processus fieri debet juxta constitutiones et stylum cujusque Ordinis.

Contra sententiam expulsionis *appellare* potest Religiosus ad Sedem Apostolicam et ad S. Cong. Concilii. — *Cf. Ferraris, v. Ejecti, num. 4 et seq.*

c) Religiosus ejectus tenetur ad *vota essentialia Reli-*

gionis, utpote quæ per ejectionem nequaquam cessant, sed permanent in robore suo.

Ob necessitatem tamen præsentis ipsius status, potest *rerum temporalium* usum et administrationem habere.

Et, quod attinet ad votum *obedientiæ*, in Superiorem ei substituitur *Ordinarius loci*, cujus jurisdictioni et obedientiæ subest, quamdiu ad Religionem non redierit. — *Cit. decret. Urbani VIII.*

d) *Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum*, Summo Pontifici reservatam, ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes. — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 5, num. 5.*

Nec possunt concionari, aut aliquod munus ecclesiasticum obire, nec beneficium assequi, neque prætendere ut alimenta sibi a Religione suppeditentur. — *Benedict. XIV, De syn., lib. 13, cap. 11, num. 25.*

e) Legitime ejectus tenetur sub gravi *se emendare*, et curare ut denuo a Religione recipiatur.

Et vicissim, Superiores regulares tenentur ejectos iterum recipere, dummodo adsit spes evidens emendationis, ex litteris testimonialibus Ordinarii. — *Decret. Urbani VIII.*

Quamdiu autem ad Religionem non redierit ejectus, in *habitu clericali* incedere debet, saltem si ordines minores receperit. — *Ibid.*

1237. **II. Professi qui, ad normam decreti S. C. super statu Regular., diei 18 mart. 1857, vota simplicia emiserunt,**

a) Possunt, ante emissa vota solemnia, ex justis et rationabilibus causis, *dimitti* a suis Superioribus *absque judicii forma*; ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso *liberi* fiant. — *Decret. ejusd. S. Cong., 12 jun. 1858.* — *Cf. n. 1131.*

Ideo, si aut ad *sacros ordines*, aut ad *matrimonium* forsitan adspirent, *Ordinarius* se gerat cum illis prout cum cæteris suis diœcesanis sese gerere debet. — *S. C. super statu Reg., 20 jan. 1860.*

b) Sed, cum vota de quibus agitur sint *perpetua ex*

parte voventis, ratio sufficiens, justa, eaque rationabilis, necessaria est *ex parte Ordinis dimittentis*; ideoque non sufficit ut professus dimissionem suam petat, asserens se non habere, vel amisisse vocationem ad vitam religiosam. — *S. C. Ep. et Reg., 19 nov. 1886.*

1238. **III. In Congregationibus religiosis quæ non emittunt nisi vota simplicia,**

a) Ad ejectionem requiritur semper *gravis* et *justa causa*, quia, exsistentibus votis, licet simplicibus, a Congregatione acceptatis, habetur *contractus* ultro citroque obligatorius, vi cujus Religiosus tenetur in Congregatione perseverare, et vicissim hæc absque justa causa illum non expellere.

Imo, quoties agitur de dimissione alicujus alumni in *sacris ordinibus* constituti, necessarium est ut dimittendus sit etiam *incorrigibilis*, et hæc incorrigibilitas *probetur* eodem modo quo probanda est incorrigibilitas eorum qui vota solemnià emiserunt. — *Cf. decret. S. C. Ep. et Reg., diei 4 nov. 1892.*

b) Caveri solet in constitutionibus earum Congregationum, ut Religiosus *ejectus* censeatur a votis *ipso facto solutus*. Et tunc revera prorsus liber est a votorum vinculo, quia vota fecit juxta Institutum, ac proinde cum illa implicita limitatione : « donec dimissus non fuero ».

c) In casu egressus ab Instituto per dimissionem vel dispensationem, professi votorum simplicium ad *jurisdictionem* pertinent illius Episcopi cui *subjecti erant* antequam Instituto adscripti essent. — *S. Cong. Conc., in Tarvisina, 6 maii 1865; in Rhedon., 27 febr. 1891.*

d) Verumtamen, ad præcavenda incommoda, voluit Sacra Cong. Ep. et Reg., in citato decreto *diei 4 nov. 1892*,

1° Ut Superiores horum Institutorum in posterum non possint quomodocumque ad sacros ordines promovere titulo *Mensæ communis*, vel *Missionis*, nisi illos tantum alumnos « qui vota quidem simplicia, sed *perpetua* jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per *triennium* permanserint in votis simplicibus temporaneis, quoad ea Instituta quæ ultra trien-

nium perpetuam differunt professionem ». — *Cf. num. 285 et 286.*

2º Ut alumni votorum etiam simplicium, perpetuorum vel temporalium, in sacris ordinibus constituti, qui *expulsi* vel *dimissi* fuerint, « *perpetuo suspensi* maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ».

3º Ut « qui in sacris ordinibus constituti, et votis simplicibus obstricti, sive perpetuis sive temporalibus, *sponte* dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus, vel perpetuis vel temporalibus, *dispensati* fuerint, *ex claustro non exeant*, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium *temporalium*, qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob *elapsum tempus* quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata ».

ARTICULUS II.

DE FUGITIVIS ET APOSTATIS.

1239. **I. Fugitivus Religiosus proprie ille est,** qui e monasterio, ex quocumque, etiam pii operis perficiendi prætextu, *absque Superiorum licentia,* recedit, vel cum habitu, vel sine habitu religioso, cum intentione tamen ad monasterium *redeundi.*

a) Inter fugitivos illi quoque adnumerantur qui, absque licentia Superiorum localium, ad Superiores majores confugiunt, nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint. — *Trid., sess. 25, cap. 4, De Reg.*

b) Pariter est fugitivus ille qui monasterium relinquit sub prætextu *adeundi Sedem Apostolicam.* — Excipitur casus quo Religiosus, injuste vexatus, saltem in scriptis a Superioribus licentiam petiit ad Sedem Apostolicam confu-

giendi, eaque denegata est. — *Constitut. Ad Romanum, Sixti V.*

c) *Apostata* est ille qui a monasterio vel Religione discedit, *absque animo ad eam redeundi.*

1240. **II. Fugitivi et apostatæ tenentur ad observandas omnes constitutiones Ordinis, et ad vota servanda.**

a) Quamdiu manent extra monasterium, privantur omnibus privilegiis sui Instituti, et subjiciuntur Ordinariis locorum. — *Trid., sess. 25, cap. 19, De Reg.*

b) Non amplius viget, *ex jure communi,* excommunicatio ipso facto incurrenda ab apostatis et fugitivis habitum dimittentibus.

Vigere autem potest in *peculiaribus Ordinibus religiosis,* si de eadem caveant regulæ a S. Sede approbatæ ; Summus enim Pontifex integras voluit permanere pœnas in regularium Ordinum constitutionibus descriptas. — *Cf. n. 1640.*

1241. **III. Superiores regulares tenentur conquirere et revocare fugitivos et apostatas.**

Possunt insuper uti potestate coactiva ad eos in monasterium reducendos; imo, et ad brachium sæculare confugere. — *Cap. ult., De Regularibus.* — *Cf. cit. decret. Urbani VIII et Innoc. XII.*

ARTICULUS III.

DE RELIGIOSIS IN SÆCULO DEGENTIBUS EX INDULTO APOSTOLICO.

1242. **I. Aliquando S. Pontifex, per indultum sæcularizationis, Religiosos, etiam solemniter professos, in sæculo degere permittit,** firma tamen remanente *votorum substantia.*

a) Durante præsertim alicujus religiosi Ordinis *violenta dispersione,* solet ejusmodi generale indultum omnibus simul Religiosis impertiri.

b) Sed et idem quandoque, extra dispersionis casum,

disponit erga nonnullos Religiosos professos, sive ut parentibus in egestate versantibus subvenire valeant, sive ex aliis causis gravioribus.

1243. **II. Conditio ejusmodi Religiosorum determinatur ex indulto.**

Solet apponi clausula : ut *Ordinario* subjaceant in vim etiam solemnis voti obedientiæ.

Remanent dominii incapaces, sed, pro novæ conditionis suæ exigentia, concessa ipsis censetur generalis facultas utendi *rebus temporalibus*, pecunias retinendi, nec non opportunos contractus ineundi.

Cæterum, apti sunt ad varia munia ecclesiastica sub Ordinarii et Romani Pontificis regimine.

1244. **III. Cum Familiæ religiosæ, in Gallia, ex injusta vexatione Gubernii civilis, e suis claustris ejectæ sunt,** *S. C. Ep. et Reg.*, *de mandato Leonis XIII*, ad Religiosos hujus regni, vi e claustris ejectos, extendendum existimavit quod jam S. Pœnitentiaria pro Regularibus Italiæ constituerat, litteris datis *die 28 jun. 1866, et die 18 apr. 1867.*

a) « Curandum nempe esse pro viribus, ut Regulares expulsi a propriis conventibus *in alios conventus* collocentur ac recipiantur.

b) » Quatenus vero Regulares expulsi, præsertim ob defectum domorum, *alibi collocari nequeant*, concurrentibus gravibus justisque causis, super quibus conscientia Superioris generalis graviter onerata remaneat, ipse Superior generalis, Apostolica auctoritate, eisdem indulgere poterit ut manere valeant extra claustra, *sub obedientia Ordinarii loci*, tanquam *sæcularizati* ad tempus et ad nutum S. Sedis ac ipsius Superioris, in *habitu* religioso, ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri sæcularis quoad sacerdotes, et in habitu laicali modesti coloris quoad laicos seu conversos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, servatis, quantum fieri potest, *substantialibus votorum*, ac relaxatis *regulis* quæ cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles.

c) » Cum vero, ex hujusmodi Religiosis extra claustra commorantibus, haud pauci inveniantur qui *adjutricem manum Ordinariis* utiliter præbere possunt in animarum salute procuranda, haud abs re visum est ut ii interim, donec præsentia rerum adjuncta perduraverint, in vinea Domini excolenda, mandatis Ordinariorum sub quorum obedientia vivunt, obtemperent, cum quoad ea quæ *sacrum ministerium*, tum præcipue quoad ea quæ *curam animarum* respiciunt.

d) » Idipsum Sanctitas Sua intelligendum esse voluit de alumnis piorum Institutorum, seu Congregationum *votorum simplicium*, qui suppressionis causa in eadem Regularium conditione versantur, constitutionibus Apostolicis ac proprii Ordinis vel Instituti, aliisque in contrarium facientibus, etiam speciali ac individua mentione dignis, non obstantibus quibuscumque. »—*S. C. Ep. et Reg., 30 jul. 1881.*

CAPUT VIII.

DE TERTIARIIS.

Agendum est : de Tertiariis in genere; — et specialim de Tertio Ordine Sancti Francisci.

ARTICULUS I.

DE TERTIARIIS IN GENERE.

1245. **I. Tertiarii dicuntur** qui canonice admissi sunt in *tertio Ordine* Institutorum regularium, cujus regulam acceperunt.

a) Cum *Sanctus Franciscus* Ordinem Minorum et alterum Monialium sub regimine Sanctæ Claræ instituisset, « incredibile dictu est quanta inclinatione animorum ac prope impetu ad Franciscum *turba raperetur.* Assectabantur maximo concursu quocumque ille ingrederetur; nec raro ex oppidis, ex urbibus frequentioribus, universi promiscue cives homini erant supplices ut se vellet in disciplinam rite accipere.

» Quamobrem caussa nata est viro sanctissimo cur sodalitatem *tertii Ordinis* institueret, quæ omnem hominum *conditionem*, omnem *ætatem*, utrumque *sexum* reciperet, nec familiæ rerumque domesticarum vincula abrumperet. » — *Encycl. Auspicato, Leonis XIII, 17 sept. 1882.*

b) Exemplo S. Francisci, *aliæ Familiæ religiosæ*, uti Carmelitæ, Fratres Prædicatores, Minimi, suum *Tertium Ordinem* habuerunt.

1246. **II. Obligationes et privilegia Tertiariorum** præfiniuntur regulis a S. Sede approbatis, et variis decretis Summorum Pontificum.

Duplex est classis Tertiariorum : una viventium *collegialiter*, sive cum votis *solemnibus*, sive cum votis *simplicibus ;* altera remanentium in sæculo.

ARTICULUS II.

DE TERTIO ORDINE SÆCULARI S. FRANCISCI.

Præclarum S. Francisci Tertium Ordinem vehementer pietati Christianorum Summus Pontifex Leo XIII commendavit, per litteras encyclicas *Auspicato*, 17 sept. 1882.

Et, cum regula Tertii Ordinis, quam Nicolaus IV probavit confirmavitque, constitutione *Supra montem*, die 18 aug. 1289, non omnino cum iis, quibus nunc vivitur, *temporibus* atque *moribus* responderet, cumque *indulgentiarum* a Summis Pontificibus concessarum ratio effecta esset decursu annorum perplexior, idem Leo XIII, litteris Apostolicis *Misericors Dei Filius*, 3 kal. jun. 1883, legem Franciscalium Tertii Ordinis, qui *sæcularis* dicitur, sequenti modo novavit et sancivit.

§ I. DE COOPTATIONE, TIROCINIO, PROFESSIONE.

1247. « I. Ne quos cooptari liceat, nisi *majores quatuordecim annorum*, eosque bene moratos, retinentes concordiæ, atque in primis sanctitate professionis catholicæ probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

» II. *Nuptæ*, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiæ ipsarum judice.

» III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant : ni gesserint, statis privilegiis juribusque careant.

» IV. Qui quæve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum *tirocinio* exigant; mox, Ordinem rite *professi*, servaturos sese jura Dei, obedientes Ecclesiæ dicto futuros, si quid in iis quæ professi sunt deliquerint satisfacturos, singuli *spondeant*. »

1248. (Hic notandum est *validam* esse vestitionem et professionem ejus qui, a sacerdote habente facultatem, *sejunctim* ad Tertium Ordinem sæcularem S. Francisci admittitur, quin alicui *Congregationi* adscribatur. — *S. C. Indulg., 26 sept. 1891.)*

§ II. DE DISCIPLINA VIVENDI.

1249. « I. Sodales Tertii Ordinis in omni *cultu habituque*, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quæ singulos deceat, mediocritatis regulam.

» II. *Choreis* ludisve scenicis procacioribus, item comessationibus perquam caute abstineant.

» III. *Pastu* atque *potu* utantur frugaliter : neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

» IV. *Jejunium* Mariæ Virgini Immaculatæ, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto : admodum laudabiles, si qui præterea vel jejunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

» V. *Admissa* rite expianto per *menses singulos* : item ad *divinum epulum* accedant per menses singulos.

» VI. Tertiarios ex ordine *clericorum* quod Psalmis quotidie dant operam, nihil præterea hoc nomine debere placet. *Laici*, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. M. V.*, persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

» VII. Quibus est *testamenti* factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

» VIII. In *familiari vita*, studeant ceteros exemplo antecedere : pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

» IX. *Caritatem benevolam*, et inter se et ad alienos, sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

» X. *Jusjurandum* ne jurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles jocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint; si fecerint, errorem pœnitendo corrigant.

» XI. *Rei divinæ*, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad cœtus menstruos, quos Præfectus indixerit, conveniant.

» XII. *Conferant in commune*, pro facultate quisque sua, nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, præsertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

» XIII. Ad *sodalem ægrotantem* Præfecti vel adeant ipsi vel mittant, qui caritatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant, suadeant, ut quæ ad expiandum animum pertinent, ægrotus tempestive curet.

» XIV. Ad *exequias sodalis* demortui, sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium*, tertiam partem ad cœleste demortui solatium adhibeant. Item, sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur. »

§ III. DE OFFICIIS, DE VISITATIONE, DEQUE IPSA LEGE.

1250. « I. *Officia*, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem *triennalia* sunto. Oblata ne quis sine caussa justa recuset, neu oscitanter gerat.

» II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quæret satisne salvæ leges. Ejus rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius si res postulaverit, pro potestate circumeat, cœtumque habeat, Præfectis sodalibusque universis adesse jussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo jubendo revocarit, sive quid, salutaris pœnæ nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

» III. Visitatores ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos *Custodes* seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere *laicis* viris interdictum esto.

» IV. Sodales *nec obedientes* et *noxii*, iterum et tertium admoneantur officii sui : ni pareant, excedere Ordine jubeantur.

» V. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine *culpam* suscepturos nullam sciant, exceptis iis quæ jure divino Ecclesiæve legibus alioqui præcipiuntur.

» VI. Si quæ hujus capita legis quemquam servare caussa gravis et justa prohibeat; eum ex ea parte lege *solvi*, eademve capita *commutari* prudenter liceat. Cujus rei Præfectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item Visitatoribus supra dictis facultas potestasque sit. »

§ IV. De indulgentiis plenariis.

1251. « Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui, admissorum confessione ritu christiano expiati, sacram Eucharistiam sumpserint, *Indulgentiam plenariam* consequendi jus sit, diebus et caussis quæ infra scriptæ sunt :

» I. Die *aditiali :*

» II. Quo die singuli Ordinem primitus *profitentur :*

» III. Quo die ad concionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint :

» IV. Die 4 octobris, natali *Francisci* Patris legiferi : die 12 augusti, natali *Claræ* Virginis legiferæ : die 2 augusti, festo *Mariæ* Angelorum reginæ, ob Basilicam ejus dedicatam : item quo die solemnia anniversaria aguntur *Sancti cœlitis in cujus templo* sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint :

» V. Semel per *menses singulos*, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis Maximi obsecrando perstiterint :

» VI. Quoties, potioris vitæ studio, per octo dies continuos statis animi *meditationibus* operam daturi secesserint :

» VII. Item *morituris*, si sanctum salutare nomen Jesu, aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Iidem eodem jure fruantur, si nec compotes sacra

Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

» VIII. Bis in anno *Benedictionem Summi Pontificis nomine* accepturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint : itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem*, hoc est *Benedictionem*, per hos dies qui infra scripti sunt : 1º Natali Domini Nostri Jesu Christi : 2º die solemni Paschatis Resurrectionis : 3º die solemni Pentecostes : 4º in festo Sanctissimi Cordis Jesu : 5º item Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis : 6º Josephi sponsi ejus, die 19 martii : 7º Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris, die 17 septembris : 8º Ludovici regis Galliarum, Patroni cœlestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine, die 25 augusti : 9º Elisabeth Hungaricæ, die 19 novembris.

» IX. Item semel in mense, si *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianæ, semel ad mentem Pontificis Maximi recitaverint, ii jure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, ædem Jacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

» X. Quibus diebus *stativæ supplicationes* in Missali Romano designantur, si templum sacrariumve, in quo sedes est sodalitii constituta, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo jure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur. »

§ V. DE INDULGENTIIS PARTIALIBUS.

1252. « I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, *in quo est sedes sodalitii constituta*, celebraverint, Deoque pro rei christianæ incolumitate supplicaverint quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginæ Lusitaniæ, Elisabeth Hungaricæ, Margaritæ Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli malue-

rint et Præfectus Ordinis probarit, ea supplicatio *septennis septiesque quadragenæ satisfactionis* instar sit.

» II. Quoties Missæ aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint : inopes hospitio acceperint : dissidia composuerint, componendave curarint : in pompam rite ductam prodierint : Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani æris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint : quinquies precationem et salutationem eamdem recitaverint, rei christianæ, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandis : hominem mortuum extulerint : devium quemquam ad officium reduxerint : Dei præceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint : aut aliud quippiam ex hoc genere caritatis egerint, toties singulis eorum, harum rerum singularum caussa, *tercentos de pœnalium dierum numero* expungere liceat.

» Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus*, labes pœnasque *defunctorum* expiare liceat. »

§ VI. DE PRIVILEGIIS.

1253. « I. *Sacerdotibus* ex ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

» II. Qui *sacrum* fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniæ defuncto impetrandæ perlitato. » — *Constit. Misericors Dei Filius, Leonis XIII, 3 kalend. jun. 1883.*

CAPUT IX.

DECRETA GUBERNII CIVILIS IN GALLIA RESPECTU STATUS RELIGIOSI.

Nous ne parlerons pas ici des obligations des congrégations religieuses envers le fisc ; cette dissertation ne rentrerait pas dans le cadre de notre ouvrage. Nous exposerons seulement ce qui regarde les conditions de l'existence légale des congrégations autorisées et des congrégations non autorisées.

ARTICULUS I.

DES CONGRÉGATIONS AUTORISÉES.

1254. **I. Diverses catégories.**

a) Il n'y a en France que *quatre* congrégations de *prêtres*, vivant en communauté, qui aient la *reconnaissance légale*. — Ce sont : la congrégation des Lazaristes, celle des Missions étrangères, la congrégation du Saint-Esprit, et la compagnie de Saint-Sulpice.

b) A ces congrégations, il faut ajouter l'Institut des *Frères des écoles chrétiennes*, et divers autres instituts du même genre qui ont été reconnus et autorisés à titre d'associations charitables.

c) Les *congrégations de femmes* reconnues sont beaucoup plus nombreuses. — On les divises en deux classes : les congrégations à *Supérieure générale*, et les congrégations régies par une *Supérieure locale*, ou simples communautés.

1255. **II. Conditions de l'autorisation et de l'existence légale des congrégations et communautés de femmes** d'après la *loi du 24 mai 1825*, qui est comme le *Code* de ces congrégations.

« *Art. 1*er. — A l'avenir, aucune congrégation religieuse de femmes ne pourra être autorisée, et, une fois autorisée, ne pourra former d'établissement, que dans les formes et sous les conditions prescrites par les articles suivants.

» *Art. 2.* — Aucune congrégation religieuse de femmes ne sera autorisée qu'après que les statuts, dûment approuvés par l'Évêque diocésain, auront été vérifiés et enregistrés au conseil d'État, en la forme requise pour les bulles d'institution canonique. — Ces statuts ne pourront être approuvés et enregistrés, s'ils ne contiennent la clause que la congrégation est soumise, dans les choses spirituelles, à la juridiction de l'Ordinaire.

» Après la vérification et l'enregistrement, l'autorisation sera accordée par une loi à celles de ces congrégations qui n'existaient pas au 1er janvier 1825. — A l'égard de celles de ces congrégations qui existaient antérieurement au 1er janvier 1825, l'autorisation sera accordée par une ordonnance du Roi.

Par décret du 31 janvier 1852 cette disposition a été élargie. Une congrégation dont l'origine est postérieure au 1er janvier 1825 peut être autorisée par simple décret, si elle présente des statuts déjà examinés et enregistrés au conseil d'État.

» *Art. 3.* — Il ne sera formé aucun établissement d'une congrégation religieuse de femmes déjà autorisée, s'il n'a été préalablement informé sur la convenance et les inconvénients de l'établissement, et si l'on ne produit, à l'appui de la demande, le consentement de l'évêque diocésain et l'avis du conseil municipal de la commune où l'établissement devra être formé.

» L'autorisation spéciale de former l'établissement sera accordée par ordonnance du Roi, laquelle sera insérée dans la quinzaine au *Bulletin des Lois*.

La loi civile ne reconnaît pas les vœux perpétuels; elle ne donnerait son appui qu'à des vœux qui n'excéderaient pas cinq ans; et des statuts qui exprimeraient la perpétuité des vœux ne recevraient pas d'approbation légale. — *Décret du 18 février 1809, art. 8; — instruct. minist. sur l'exécut. de la loi du 24 mai 1825.*

» *Art. 4.* — Les établissements dûment autorisés pourront, avec l'autorisation spéciale du Roi : 1o accepter les biens meubles et immeubles qui leur auraient été donnés par actes entre-vifs ou de dernière volonté, à titre particulier seulement; 2o acquérir à titre onéreux des biens immeubles ou

des rentes ; 3º aliéner les biens immeubles ou les rentes dont ils seraient propriétaires.

La jurisprudence du conseil d'État s'oppose à l'acceptation des libéralités faites à des congrégations autorisées, en faveur de succursales non autorisées ; et interdit de même tout acte de la vie civile fait dans leur intérêt par les congrégations dont elles dépendent. — *Dubief, Code ecclésiastique, p. 258.*

» *Art. 5.* — Nulle personne faisant partie d'un établissement autorisé ne pourra disposer, par acte entre-vifs ou par testament, soit en faveur de cet établissement, soit au profit de l'un de ses membres, au delà du quart de ses biens, à moins que le don ou legs n'excède pas la somme de dix mille francs.

» Cette prohibition cessera d'avoir son effet relativement aux membres de l'établissement, si la légataire ou donataire était héritière en ligne directe de la testatrice ou donatrice.

» Le présent article ne recevra son exécution, pour les communautés déjà autorisées, que six mois après la publication de la présente loi, et pour celles qui seraient autorisées à l'avenir, six mois après l'autorisation accordée.

» *Art. 6.* — L'autorisation des congrégations religieuses de femmes ne pourra être révoquée que par une loi.

» L'autorisation des maisons particulières dépendant de ces congrégations ne pourra être révoquée qu'après avoir pris l'avis de l'évêque diocésain, et avec les autres formes prescrites par l'article 3 de la présente loi.

» *Art. 7.* — En cas d'extinction d'une congrégation ou maison religieuse de femmes, ou de révocation de l'autorisation qui lui aura été accordée, les biens acquis par donation entre-vifs, ou par disposition à cause de mort, feront retour aux donateurs ou à leurs parents au degré successible, ainsi qu'à ceux des testateurs au même degré.

» Quant aux biens qui ne feraient pas retour, ou qui auraient été acquis à titre onéreux, ils seront attribués et répartis, moitié aux établissements ecclésiastiques, moitié aux hospices des départements dans lesquels seraient situés les établissements éteints.

» La transmission sera opérée avec les charges et obligations imposées aux précédents possesseurs.

» Dans le cas de révocation prévu par le premier paragraphe, les membres de la congrégation ou maison religieuse de femmes auront droit à une pension alimentaire, qui sera prélevée : 1o sur les biens acquis à titre onéreux; 2o subsidiairement sur les biens acquis à titre gratuit, lesquels, dans ce cas, ne feront retour aux familles des donateurs, ou testateurs, qu'après l'extinction desdites pensions.

» *Art. 8.* — Toutes les dispositions de la présente loi, autres que celles qui sont relatives à l'autorisation, sont applicables aux congrégations et maisons religieuses de femmes autorisées antérieurement à la publication de la loi du 2 janvier 1817. »

ARTICULUS II.

DES CONGRÉGATIONS NON AUTORISÉES.

1256. **I. Existence des congrégations non autorisées.**

a) Le droit des congrégations religieuses de se former et d'exister sans autorisation est considéré comme la conséquence d'une triple liberté, savoir : la liberté *d'association*, la liberté *individuelle*, et la liberté *religieuse*. — *Cf. art. 1 Concord. — Cf. n. 1086.*

b) L'*article 11 des Organiques* déclare que tous les établissements autres que les chapitres cathédraux et les séminaires, sont supprimés. Mais, s'il résulte de cet article que les couvents étaient supprimés en tant qu'établissements *légalement reconnus*, il ne s'ensuit pas qu'ils ne puissent subsister comme réunions de plusieurs religieux menant la vie commune *à titre privé*.

L'*article 291 du Code pénal* prohibe les *associations de plus de vingt personnes* qui se formeraient sans l'agrément du Gouvernement. — Mais cette disposition ne s'ap-

plique pas aux agrégations de personnes qui s'associent pour habiter sous le même toit ; il suppose une association d'individus se réunissant *du dehors*, à certains jours, dans un local déterminé. — *Cf. Dufrieu, Traité de l'administration temporelle des établissements ecclésiastiques, n. 89 et seq.*

c) D'où l'on peut conclure que les *décrets du 19 mars 1880*, qui ont motivé l'expulsion des congrégations non autorisées, non seulement ont été portés en violation des libertés religieuses, mais sont encore contraires à la liberté individuelle garantie par les lois existantes.

1257. **II. Possession des congrégations non autorisées.**

a) Les congrégations non autorisées, n'ayant pas de capacité *légale*, ne peuvent posséder comme *personnes morales*.

Mais rien n'empêche les *individus* qui appartiennent à ces congrégations de régler par un acte les conditions civiles et pécuniaires de l'association qu'ils forment pour pratiquer la vie commune. La loi ne saurait voir en eux que de *simples particuliers* qui ont fait un *contrat* qu'aucune disposition de nos lois ne prohibe.

b) Les membres des congrégations, ou d'autres tierces personnes, peuvent acquérir et posséder *sous leur nom privé en vue des individus qui forment les congrégations non autorisées*, sans que cette circonstance puisse donner lieu à l'invalidation des legs ou des contrats qui les investissent. — C'est la conséquence qui découle :

1° *Des dispositions de la loi du 24 mai 1825.* — En effet, le troisième alinéa de l'article 5 de cette loi a été écrit au profit des biens acquis avant l'autorisation.

Les articles 2, 12 et 13 de l'instruction qui accompagne cette loi affirment positivement que les contrats dont nous parlons sont régis par le *droit commun.*

2° *Des instructions administratives données par l'administration des cultes.* — Elles exigent en effet généralement deux choses pour autoriser une communauté : une

existence *antérieure* à titre d'essai, et l'*acquisition préalable* des biens meubles et immeubles nécessaires à la stabilité de l'établissement.

3o Enfin les *déclarations de l'administration*, contenues dans les circulaires ministérielles, s'inspirent des mêmes principes. — *Cf. Durieu, op. cit., n. 92 et seq.*

TRACTATUS IX.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Res ecclesiasticæ dicuntur omnia generatim quæ, præter personas et judicia, referuntur ad ordinem seu finem supernaturalem.

Duplicis generis sunt : aliæ *spirituales*, quæ nimirum directe cultum Dei et sanctificationem animarum respiciunt; aliæ *temporales*, quæ immediate destinantur ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, sublevamen pauperum, et comparationem eorum omnium quæ cultui inserviunt.

Unde agendum est : de rebus Ecclesiæ spiritualibus, nempe de ecclesiis, — altaribus, — sacra supellectili ecclesiarum, — et cœmeteriis; — de rebus Ecclesiæ temporalibus in genere; — et de iisdem in specie.

CAPUT I.

DE ECCLESIIS.

Nempe : de ecclesiarum notione; — de ædificandis et reparandis ecclesiis; — de oratoriis privatis; — de consecratione et benedictione ecclesiarum; — de earum exsecratione, pollutione et reconciliatione; — et tandem de ipsarum immunitate.

ARTICULUS I.

DE ECCLESIARUM NOTIONE.

1258. **I. Vocabulum Ecclesia,** Ἐκκλησία (ἐκκαλέω), hic in sensu *metaphorico* sumitur, non pro cœtu Fidelium congregatorum, sed pro *templo manufacto* in quo Fideles *convocantur* ad sacrificia Deo offerenda, preces fundendas et sacramenta recipienda, seu ad cultum externum quem Ecclesia Christi, utpote societas visibilis, Deo exhibere tenetur.

Porro, licet quilibet locus specialiter ad cultum Dei deputatus ecclesia dici possit, *usu* tamen receptum est ut nomen Ecclesiæ restringeretur ad *certas sacras ædes* designandas, eas videlicet in quibus fideles *publicos solemnesque cœtus* agere solent, et ex primario suo fine publicis ecclesiasticis officiis inserviunt, adeo ut in illis verbi divini prædicationem, sacramentorum administrationem, aliaque ecclesiastica munia *jure proprio*, non subsidiario, peragi liceat, quamvis parochis quædam prærogativæ servatæ sint.

Unde, hoc nomine condecorantur templa omnia *cathedralia, parochialia, collegiata* et *conventualia.*

1259. **II. Oratoria dicuntur** reliqua sacella cultui divino exstructa, quæ, licet *ingressum habeant in via publica,* attamen non tam fidelis populi libero usui destinata sunt, quam *alicujus familiæ vel collegii* commoditati. — *S. C. R., in Suession., 12 jul. 1855.*

a) Oratoria ideo sunt : parvæ ecclesiæ quas *sodalitia, societates, pia instituta* sibi ædificant ; — capellæ quas in *monasteriis* ac conventibus Regularium, præter principaliorem ecclesiam, ad privatos communitatis usus passim reperire est ; — sacella quæ in agris sedent aut civitatibus, *addicta sacris extraordinariis ;* — demum *annexæ* et *succursales*, sensu juris communis ita nuncupatæ, quæ scilicet in territorio parœciæ alicujus constructæ, ejus partes constituunt et ab ea prorsus dependent. — *Vecchiotti, Instit. can., lib. 3, § 55.*

b) Oratoria dividuntur in *publica* et *privata.*

Privatum oratorium dicitur quod, ad pietatem fovendam, alicui familiæ vel collegio *in privatis domibus* exstruendum conceditur, et *domesticum* strictius audit.

Differt ab oratorio publico, ad quod liber omnibus patet accessus, saltem horis quibus divina peraguntur, sive quod ejus *ostium* immediate publicæ et communi viæ adjacet, sive quod, licet privato fundo undique includatur, *aditus* ad illud publici omnino juris evasit, sublata domino, aut consuetudine immemoriali, aut spontanea per publicum instrumentum renuntiatione, potestate accessus intercludendi.

c) In oratoriis, etiam publicis, *SS. Sacramentum servari* non potest absque indulto Apostolico.

1º Nam regula generalis est quod « Sacrosancta Eucharistia in ecclesiis, quæ *parochiales* non sunt, retineri non potest absque præsidio Apostolici indulti, vel immemorialis consuetudinis quæ ejusmodi indulti præsumptionem inducit ». — *Bened. XIV, const. Quamvis justo, 30 apr. 1749.*

Imo, in ecclesiis *filialibus* parœciæ, Sacra Eucharistia asservari non debet, nisi per aliquot diei horas *aditus pateat* fidelibus SSam Eucharistiam visitare cupientibus.— *S. Cong. Rituum, 15 nov. 1890.*

2º Equidem Eucharistia in *Cathedrali* asservari debet; sed ratio est quia reputatur prima diœcesis parochia.

Item *Regularibus* permissum est ut in suis ecclesiis asservent Eucharistiam, sive quia Religiosi viri et feminæ habentur *tanquam parochiani*, eorumque ecclesiæ tanquam *parochiæ*, sive quia regularium domorum erectio, cum a Sede Apostolica procedat, *tacite* hoc privilegium secum ferre dicenda est. — Quod tamen non intelligitur nisi de Ordinibus religiosis *proprie dictis*.

3º Attamen, in multis diœcesibus, ex *sola Episcopi licentia* SS. Sacramentum asservatur in oratoriis communitatum, hospitalium, xenodochiorum, confraternitatum, collegiorum, seminariorum, etc.

Porro, cum ipsa constitutio Benedicti XIV exceptionem *immemorialis consuetudinis* admittat, et, in casu, rationabilitas consuetudinis non desit, vigentem praxim nefas est impugnare, licet S. Sedes hanc nunquam expresse approbaverit. — *Cf. ephem. Le canoniste contemporain, an. 1880, pag. 171 et seq. — Cf. n. 913.*

d) *Lampades* ante SS. Sacramentum plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat.

Si lampades sint plures, *numero impares* esse debent, tum ad ornatum, tum ad mysticum sensum. — *Rit. Rom. et Cæremon. Episc.*

1260. **III. Vetus Ecclesiæ forma ac situs**, ait *Devoti*, non semper idem fuit. — Interdum oblonga erat ac navi

similis, interdum rotunda, aut plurium laterum, aut ad formam crucis, qua de re non unus semper, nec ubique mos fuit.

Ecclesiæ *frons* ut plurimum *ad occidentem* spectabat, *sanctuarium ad orientem*, quoniam versus orientem Christiani preces fundebant. — Sed sæpe, neque occidentem, neque orientem sanctuarium respiciebat ; et ab antiquis monumentis quavis forma et situ Ecclesiæ exhibentur. — *Devoti, Instit. can., lib. 2, tit. 7, § 4 et seq. — Cf. Pascal, Dictionnaire de Liturgie, v. Église.*

1261. **IV. Basilicæ** nomen, quasi *antonomastice*, iis ecclesiis datum est quæ per totum orbem erant *magis insignes*, vel ob antiquitatem, vel ob magnitudinem aut celebritatem, quæque ideo majori veneratione dignæ habebantur.

a) Sed cum, ob aliquam peculiarem rationem, *basilicæ* nomen a Summis Pontificibus aliis etiam ecclesiis concessum fuit quæ per se hac antiquitatis aut celebritatis nota non gaudebant, tum, facta inter vetustiores et novas basilicas distinctione, illæ *majores*, hæ *minores* basilicæ nuncupari cœperunt.

b) *Quatuor* tantum primariæ ecclesiæ *Romæ* basilicæ *majores* dicuntur, nempe : *Lateranensis*, in qua S. Pontifex instituitur ; *Vaticana ; Sancti Pauli* in via Ostiensi ; et *Liberiana*, seu Sanctæ Mariæ Majoris.

ARTICULUS II.

DE ÆDIFICANDIS ET REPARANDIS ECCLESIIS.

1262. **I. Non absque consensu Episcopi** sacri canones permittunt *ullam ecclesiam* ædificari, aut oratorium publicum, tam sæculare quam regulare, ne temere aut cum aliorum jactura erigatur. — *Cf. n. 1101.*

a) Et, si Episcopus, omnibus attente perpensis, justa de causa consenserit, *nova fabrica non est inchoanda, nisi* aut ipse, aut alius ab eo delegatus, locum inspexerit et

approbaverit, crucem in eo fixerit, publicum atrium designaverit, dotem aut promissionem in forma juris validam exegerit pro ejus manutentione et ornatu, ac primum lapidem benedictum in fundamentis posuerit, servato ritu quem Pontificale Romanum præscribit. — *Can. 9, dist. 1, De consecrat.*; — *cap. 14, De privilegiis, et cap. Auctoritate, De privilegiis, in 6°*; — *Trid., sess. 25, cap. 3, De Regularibus.*

b) Item, ubi *instauranda* occurrit Ecclesia, nihil *inconsulto Episcopo* fiat.

« Episcopo autem curæ erit ut in sua diœcesi instituatur *concilium* virorum *architectonices christianæ peritorum*, ex quorum sententia caveatur ne quid absonum, aut ædificii instaurandi generi parum conveniens, extruatur. » — *Conc. Burdigal., an. 1850.*

1263. **II. Duæ sunt causæ rationabiles ex quibus Episcopus ædificationi obsistere valet** : nempe *defectus dotis*, vel *præjudicium alterius ecclesiæ jam exsistentis.*

a) Episcopus potest, imo debet suum consensum denegare ecclesiæ ædificationi, si ea non sit sufficienter *dotata.*

Sufficientis autem vel congruæ dotis nomine veniunt omnes qui requiruntur redditus pro luminaribus, paramentis, fabrica, sacerdotibus, ministris, aliisque ecclesiæ necessariis. — *Cap. 9, dist. 1, De consecr.*

Verum, pro sufficienti dotatione assecuranda, non attenditur solummodo ad redditus *certos* quos fundator constituerit, sed ad *eleemosynas* et *oblationes* quoque fidelium, quæ *probabiliter* obvenient occasione divinorum officiorum et administrationis sacramentorum.

b) Aliud quod obstare potest ædificationi novæ ecclesiæ est probabile *præjudicium* aliarum ecclesiarum, præsertim *parochialium*, quia « nulla ecclesia in præjudicium alterius est construenda ». — *Cap. Intelleximus, 1, De novi operis nuntiatione.*

Præjudicium autem in pluribus esse potest, puta ex diminutione oblationum, aliarumque possessionum aut ju-

rium. — Unde est quod in antecessum *debeant audiri rectores* vicinarum ecclesiarum, *patroni*, et *alii quorum forsitan interest*, si objiciant præjudicium sibi advenire ex hac nova ædificatione.

An revera nova ecclesia præjudicium cæteris afferat, judex est Episcopus, qui justis reclamationibus deferre debet. — *Cap. 1 et 2, eod. tit.*

c) Aliquando tamen ecclesiæ ædificatio est *necessaria;* et tunc Episcopus, auditis partibus, procedere valet ad ædificationem novæ parochialis ecclesiæ, ipsis etiam *invitis*, ut exposuimus in Tractatu *De parocho*, ubi de parochiarum divisione. — *Cf. Trid., sess. 21, cap. 4, De ref.*

1264. **III. Circa onus reparandi ecclesias,** Doctores conveniunt considerandam esse præ omnibus consuetudinem et statuta locorum. — *Santi, in tit. De ecclesiis ædificandis num. 3.*

Nec statutis exstantibus, nec consuetudine, hæc principia deducuntur ex *cap. 1 et 4, De ecclesiis ædificandis, et ex Trid., sess. 21, cap. 7, De ref.* :

a) Reparanda est ecclesia ex *redditibus ecclesiæ et fabricæ*, inter quos adnumerantur etiam fructus non percepti a negligentibus, et a jure applicati fabricæ.

b) His deficientibus in parte vel in toto, tenetur contribuere *rector* seu *parochus*, et alii qui beneficia possident in ecclesia reparanda. — *Cap. 4, De eccles. ædific.*

c) In horum defectu, tenentur *patroni* et omnes alii qui fructus aliquos ex ecclesia reparanda percipiunt.

d) Tandem, si ecclesia est parochialis, *populus*, seu *fideles* qui sacramenta percipiunt, tenentur in capita concurrere ad reparationes perficiendas; quos Episcopus opportunis remediis, appellatione remota, ad id præstandum compellere potest.

e) Si vero nullus adsit qui ruinosam ecclesiam possit reparare, ea *destrui* potest, et ejus jura, fundi, etc., ad matricem ecclesiam, vel, si filialis non sit, ad viciniorem ecclesiam transferuntur ab Episcopo, qui in loco destructæ

ecclesiæ *crucem* collocabit, ut significetur ibi quondam fuisse ecclesiam; nec locus poterit in usus profanos sordidos converti. — *Trid., sess. 21, cap. 7, De ref.* — *Cf. S. C. Conc., in Spoletana, 18 dec. 1847;* — *Santi, loc. cit.*

f) Quæ de ecclesiis instaurandis et reparandis dicta sunt, tum earum *conservationi* et *reædificationi*, tum reparationi *domus parochialis* similiter accommodantur; quinimo, ample extenduntur ad *sacram supellectilem*, seu paramenta, ornamenta, sacra utensilia, etc...., quia eadem ratio ac jus militat. — *Cf. S. C. C., 24 jul. 1858; 18 decembr. 1847.*

1265. **IV. De ecclesiarum et domus parochialis ædificatione et reparatione, secundum jus civile hodiernum,** *cf. n. 948, 1005 et seq.*

a) Quod spectat ad viam in circuitu ecclesiæ servandam (chemin de ronde), *cf. n. 1336.*

b) Ex variis ordinationibus potestatis civilis, in Gallia, *functiones cultus* exerceri non possunt, etiam in Oratoriis privatis, absque consensu Gubernii. — *Cf. art. org. 44;* — *decret. diei 22 dec. 1812;* – *avis du conseil d'État, 5 janvier 1869.*

Decretum quoad oratoria *privata* in desuetudinem abiit.

ARTICULUS III.

DE ORATORIIS PRIVATIS.

1266. **I. Amplissimis olim facultatibus** gaudebant Episcopi et Regulares, quoad oratoria privata.

a) *In Oriente,* quisque sacerdotum in laicorum domibus rem divinam conficere licite poterat, modo mappis, quas *antimensia* vocant, ab Episcopo consecratis uterentur. Ita *tacita* quodammodo *Episcopi venia,* quæ antea a concilio Trullano requirebatur expressa, intercessisse censebatur.

b) *In Occidente,* integra erat *Episcopis* facultas, tum

laicis oratorii domestici *indultum* concedendi, tum *sibimetipsis* privata sacella erigendi, sive domi et in aliis locis intra diœcesim, *ad formam cap. 12, De consecr., dist. 1*, sive extra diœcesim, *ex cap. Quoniam, De privileg., in 6º.*

c) *Regulares* ex ordine Prædicatorum et Minorum, vi *cap. 30, De Privileg.*, aliique Ordines, sive *directe*, sive per viam *communicationis*, privilegio aucti erant quo ara portatili pro sacro litando, non solum in *suis domibus*, verum etiam *alibi*, et in ædibus privatis, quacumque ex causa, pro libitu, absque Episcopi loci licentia uterentur. — *Vecchiotti, Instit. can. lib. 3, § 55.*

1267. **II. In tanta libertate, mirum non est quod aliqui irrepserint abusus.**

a) Etenim *Regulares* plures eadem die Missas in ara portatili celebrare, et in cubilibus profanis ac communibus, sacrisque peragendis nullatenus aptis, sacra mysteria, nulla vel minima suadente causa, peragere non dubitarunt, in *dedecus sacrificii* et in *præjudicium* parochialium ecclesiarum, a quibus fideles avertebantur.

b) Ipsi *Episcopi*, importunis laicorum precibus victi, in elargiendo oratorii privati privilegio *nimis faciles sese exhibuerunt*, adeo ut, tractu temporis, oratoriorum hujusmodi numerus, non sine gravi mysterii offendiculo magnaque animarum pernicie, ultra modum excreverit. — *Vecchiotti, loco citato.*

1268. **III. Tridentini Patres, ad hosce abusus repellendos,** celeberrimum decretum ediderunt, quo statuitur « ne Ordinarii patiantur *privatis in domibus*, atque omnino *extra ecclesiam* et ad divinum cultum tantum dedicata oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a *sæcularibus* aut *Regularibus* quibuscumque peragi ». — *Sess. 22, De observandis et evitandis in celebr. Missæ.*

a) Unde, facultas concedendi licentiam celebrandi in oratoriis privatis unicuique adempta est, *solique Romano Pontifici* reservata. — *Cf. encycl. Pauli V, an. 1615;* — *const. Magno cum animi, Bened. XIV, 2 jun. 1751.*

b) Attamen « *si magnæ et urgentes adsint causæ* », potest Episcopus « *per modum actus tantum* », facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis. — *S. Cong. Conc., 20 dec. 1856.*

c) Neque Episcopis sublatum est privilegium quo in *proprium* commodum possunt *altare* habere *viaticum*, et in eo celebrare ac celebrari facere. — *Cf. n. 659.*

d) Præterea, non obstante prohibitione Tridentina celebrandi extra ecclesiam et oratoria Deo dicata, quandoque licitum est celebrare *sub tentoriis,* imo *sub dio,* in aliquo decenti loco, super altari portatili, in casibus nempe *gravissimæ necessitatis publicæ* : v. gr. si diruta sit ecclesia, et non sit in eodem loco alia sufficiens ut populus divinis officiis queat interesse. Postulanda est tamen *Ordinarii licentia* si tempus suppetat.

Necessitas quoque sufficiens exsistit pro *castris militum ;* pro itinerantibus in *regionibus infidelium* in quibus catholicæ religionis usus prohibetur, vel in *locis desertis* ubi ecclesiæ desiderantur ; pro *navigantibus* qui diu Missa caruerunt, dummodo Missa in littore celebretur, nam ad Missam *in navi* celebrandam requiritur indultum Apostolicum. — *Cf. can. Sicut, de consecr., dist. 1 ; — Ben. XIV, De sacrific. Missæ, lib. 3, cap. 6 ; — et Gattico, De oratoriis privatis.*

1269. **IV. Quando Sedes Apostolica indultum concedit, sequentes conditiones apponere solet :**

a) Ut oratorium ab Episcopo, vel ab eo cui vices suas delegaverit, *visitetur* inspiciendi causa num decens et apte compositum sit, atque ab omnibus domesticis usibus liberum.

Supra oratorium *publicum* cubicula non debent disponi, ubi dormiatur aut habitetur. Sed hæc conditio pro *privatis* oratoriis minus urgetur.

1° Privata oratoria, *post primam visitationem* in concessione et approbatione, non possunt amplius de jure visitari ab Episcopo.

Permissum est ei nihilominus, saltem quando præcedit

accusatio, vel *denuntiatio,* aut *fama publica* quod oratorium indecenter teneatur et in ipso non adsint seu non serventur requisita in indulto, videre an revera indecenter teneatur, et non serventur dicta requisita. — *Ferraris, v. Oratorium, num. 25 et 26.*

2º *Mutans habitationem* uti potest privilegio oratorii privati prius obtenti. Quinimo, privilegiatus potest uti oratorio etiam *dum ruri manet;* sed interim non potest eo uti quod est in civitate, quia privilegium est restrictum ad solitam habitationem.

Verum in similibus immutationibus necesse semper est ut *Episcopus locum recognoscat,* ac de illius decentia judicium proferat. — *Zitelli, lib. 2, cap. 3, art. 2.*

b) Ut *una* tantum in die, et in *festis* quibusdam solemnioribus *nunquam* Missa celebretur.

Nam, dominicis Paschatis et Pentecostes, diebus Nativitatis, Epiphaniæ (non autem ejus solemnitatis si transferatur in dominicam, ut declaravit S. C. R., *in Namurcen., 1835*) et Ascensionis Domini, die festo SS. Corporis Christi, diebus Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., diebus festis Omnium Sanctorum, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, et Patroni loci, sacrum in his sacellis faciendi *copia dari non consuevit.*

c) Ut dum fit sacrum *præsens sit indultarius,* ita ut Missa non possit celebrari in privato oratorio, nisi actu intersit aliqua persona ex iis quibus indultum *principaliter* concessum et directum est.

Attamen, quum S. Cong. Rit. propositum fuerit dubium : « Parochus novit *sacrum viaticum* difficillime porrigi posse infirmo morti proximo, nisi celebret in oratorio domestico Apostolico indulto erecto domui infirmi proximo ; quæritur utrum possit a privato oratorio SS. Sacramentum deferri ; et, quatenus affirmative, utrum in tali casu celebrari possit *etiam indultario precario absente?* » responsum est, die 27 aug. 1836 : « *Affirmative,* etiam absente indultario ».

d) Ut serventur *jura parochialia,* id est, nulli actus fiant qui proprio jure ad ecclesiam parochialem attinent, ex-

gr. collatio baptismi, nuptiarum benedictio, communio paschalis, etc.

e) Ut, etiam præter communionem paschalem, *sacramentum Eucharistiæ* dispensari non debeat in oratoriis privatis, nisi de licentia Episcopi, cujus præscriptionibus vult Sancta Sedes ut fideles morem gerant.

Idem de *sacramento Pœnitentiæ* dicendum est, eo magis quod vetitum sit confessiones audire in privatis ædibus, nisi ex causa rationabili. — *Rit. Rom., De Sacram. Pœnit.*

f) Ut qui *de familia non sunt* non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in ecclesia.

Ideo famuli non gaudent privilegio, nisi, tempore quo Missa celebratur, servitio domini sint necessarii. — *Cf. S. Lig., lib. 4, n. 318 ; — et const. Bened. XIV, Magno cum animi, 2 jun. 1751.*

Non desunt tamen *extraordinaria quædam indulta*, in remunerationem insignium meritorum, ex motu proprio et certa scientia a Romano Pontifice concessa, quæ *ampliorem* intentionem præ se ferunt, amplioremque interpretationem. — *Cf. decis. S. C. C., 27 febr. 1864.*

1270. **V. Quædam oratoria concilii Tridentini decreto non comprehenduntur,** ideoque ad ea reservatio Pontificia, de qua egimus, non protenditur. Hæc oratoria *semi-publica* seu *quasi-publica* nuncupantur. – Sunt nempe :

a) Oratoria in privatis *Cardinalium* ac *Episcoporum* residentiæ *domibus* instituta ac Dei cultui addicta, quæ *publicorum sacellorum juribus* gaudere videntur, ita ut ibi sacras functiones, sacramentorum administrationem, ordinationem quibusdam personis privatim conferendam, justa suadente causa, et alia quæ officii et dignitatis episcopalis propria sunt, obire non dedeceat; pluresque Missas unoquoque die, solemnioribus haud exceptis, perlitare permissum sit, etiam sacerdotibus qui non sunt ex familia, licet Cardinalis aut Episcopus *absens* sit, et *sedes vacet;* easque audientes diebus festis, tametsi extranei, Ecclesiæ præcepto satisfaciant. — *S. C. C., et S. C. Rit., 2 jul. 1661; et 8 aug. 1854.*

b) Oratoria interna, ad divinum cultum addicta, quæ *in suis claustris*, vera ac permanente ratione, *Regulares* ad sacrum celebrandum et privatas orationes pro spirituali usu agendas, sibi compararunt.

1º De jure communi, hæc oratoria erigi nequeunt absque designatione seu consensu *Episcopi*, ejusque *visitationi* subjacent. — *Cf. Trid., sess. 22, De observ. et evit. in celebr. Missæ.*

Sed, tum ob tolerantiam Episcoporum, tum ob privilegia post Tridentinum concessa, *contraria consuetudo* viget ut Regularium oratoria privata per Superiores respectivos ad cultum divinum deputentur, et ab iisdem visitentur.

2º Functiones sacræ, quæ non sint proprie parochiales (*cf. n. 939 et seq.*), ibi permissæ sunt fere ac in oratoriis vere publicis; ideoque *plures Missæ* ibidem celebrari possunt, et omnes quotquot adsistunt, *legem* de Missa diebus festis audienda pariter adimplent.

3º Ad *Moniales* quod attinet, intra illorum *claustra* Missæ sacrificium celebrare, et proinde oratorium privatum ibi ad hoc erigere vetitum est, ita ut neque Episcopus ipse illud permittere valeat.

Hujus autem prohibitionis ratio est *lex clausuræ* quæ, *citra necessitatem*, semper obligat; porro, necessitas non censetur existere etiam in casu Monialium quæ, male habentes, ab accessu chori impediuntur.

Imo, *asservatio SS. Sacramenti* intra clausuram expresse prohibetur. — *Trid., sess. 24, cap. 10, De Reg.*

Aliquando tamen S. Sedes in Monialium valetudinariis oratorium erigi permittit.

c) Omnia oratoria erecta *in domibus locisque piis*, ubi pietatis ac misericordiæ opera, *prævia Episcopi auctoritate*, exercentur, qualia generatim sunt omnia Seminaria, Orphanotrophia, Hospitalia, Gerontocomia, Xenodochia, Nosocomia, Carceres, Conservatoria puellarum, ac Tertiariorum, ecclesiastica potestate instituta, aliaque similia quæ ad *publicum bonum et commodum*, cum Episcopi consensu, erecta sunt ad normam *cap. Ad hæc, 4, De relig. dom.*

d) Tandem, ea etiam oratoria in *locis profanis* ad pie-

tatis et misericordiæ opera exercenda, *absque ecclesiastica auctoritate* constructis ac deputatis, licet ea loca Hospitalia, Sodalitia ac Montes pietatis nuncupentur, ut constat *ex decisione S. C. C., 26 mart. 1847.* — *Vecchiotti, Institutiones canonicæ, l. 3, § 55.*

ARTICULUS IV.

DE CONSECRATIONE ET BENEDICTIONE ECCLESIARUM.

1271. **I. Antiquissimo more, fundato super praxi Apostolica,** receptum est, deinde lege quoque scripta decretum, ut ecclesiæ vel templa per signationem et unctionem parietum cum oleo sacro ab Episcopo *consecrarentur;* aut, dilata ex aliqua causa hac consecratione, saltem per ablutionem parietum exterius et interius cum aqua lustrali *benedicerentur.* — *De Angelis, in tit. De consecr. eccles., n. 2.*

Prima dicta est *solemnis dedicatio* seu *consecratio ;* alia dicta est minus solemnis dedicatio seu *benedictio ;* et utriusque cæremoniæ referuntur in *Pontificali Romano, tit. De ecclesiæ dedicatione.*

1272. **II. Consecrationis minister** est Episcopus loci in cujus diœcesi erecta est ecclesia. — *Cap. 1, De religiosis domibus ;* — *cap. 2, De consec. eccl. ;* — *Trid., sess. 6, cap. 5, De ref.*

a) Regula de reservandis dedicationibus ecclesiarum Episcopo diœcesano, valet etiam pro eccclesiis *Regularium*, Ordinumque exemptorum, quæ sint *in illius diœcesi*, nisi habeatur speciale indultum Sedis Apostolicæ, vel nisi Episcopus, ter rogatus a Regularibus, eorum ecclesiam consecrare sine legitima causa recusaverit. — *Constit. Dum intra, Leonis X, 19 dec. 1516.*

b) Ordinarii locorum hanc ecclesiarum dedicationem, vel *per se* explere possunt, si episcopali charactere insigniti sint, vel *aliis* complendam demandare ; qui extranei, nisi delegationem susceperint, illicite in alterius diœcesi hunc actum præstant. — *Trid., loc. cit.*

Sed *Vicarius generalis*, etiamsi per accidens ordine episcopali sit insignitus, ecclesias dedicare non potest absque *speciali mandato* : quoniam Vicarius generalis, vigore solius generalis commissionis, gerit vices sui Episcopi dumtaxat in exercitio *jurisdictionis*, cujus limites excedit consecratio ecclesiæ. — *Cf. n. 784.*

c) Pro impertienda *benedictione*, potest Episcopus delegare *quemlibet presbyterum* ; sed, pro *consecratione* ecclesiarum, nequit deputare nisi alium qui sit in *ordine episcopali* constitutus.

Ratio est quia, licet consecratio ecclesiæ non sit de jure divino actus ordinis episcopalis, tamen *jure canonico* Episcopis est reservata. — *Cf. n. 535.*

Unde, solus Romanus Pontifex potest indulgere ut simplex sacerdos ecclesiam consecret. — *Cap. 9, De consecratione ecclesiæ vel altaris.*

1273. **III. Consecratio, omni quidem die, decentius tamen diebus dominicis aut festivis peragitur.** — *Cap. 2, eod. tit.*

a) Consecrationis dies inter annua festa celebratur, simul ac *dedicationis officium* quotannis recitatur.

b) Attamen, in toto territorio *Reipublicæ Gallicanæ*, ex indulto pro reductione festorum, 9 apr. 1802, et declaratione Em. Cardinalis Caprara, 21 jun. 1804, Anniversarium omnium ecclesiarum consecratarum celebrandum est in *dominica post Octavam Omnium Sanctorum.*

Hæc dispositio comprehendit etiam ecclesias *post indultum* consecratas vel consecrandas ; verba enim absoluta et generalia sunt. — *S. C. R., in Sagiensi, 31 aug. 1872.*

1274. **IV. Ritus consecrationis.**

a) In consecratione ecclesiæ præmittitur jejunium, et vigiliæ coram reliquiis sub altare immittendis cantantur. — *Cf. Pontificale Rom., tit. De eccles. dedicat.*

Substantialis vero *ritus* consecrationis consistit in liniendis sacro chrismate duodecim crucibus insculptis vel depictis in parietibus, cum prolatione verborum : « *Sancti-*

ficetur et consecretur hoc templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen ».

Duodecim cruces, quæ in dedicatione ecclesiæ pinguntur vel inciduntur, « omnino perpetuis temporibus futuris remanere debent », in testimonium consecrationis ecclesiæ. — *S. C. Rit., 18 feb. 1696.*

b) Cum ecclesiæ consecratione debet omnino consecrari *altare majus*; secus *invalida* est consecratio. — *S. C. Rit., in Lucionen., 28 jun. 1890.*

Defectus hujusmodi sanationem nuper Episcopo Engolismensi S. Pontifex Leo XIII benigne indulsit. — *S. C. Rit., 22 apr. 1891.*

Si jam altare majus fuerit consecratum, aliud altare minus consecrandum est. — *S. C. Rit., 31 aug. 1872.*

c) Alia vero altaria *accessoria* sunt, pro quibus datur consecratio distincta sine ecclesiæ consecratione.

Et, in ecclesia *benedicta*, altare potest consecrari quin ipsa consecretur. — *S. C. Rit., 12 sept. 1857.*

d) *Missam* Episcopus consecrans celebrabit, quæ Missa est de præcepto celebranda ab ipso consecratore; nec *alteri* valet committi, nisi de licentia S. Pontificis.

At hæc licentia de cætero potest præsumi quando consecrans est nimis defatigatus, quod quasi per epikeiam indicat *Pontificale Romanum*.

e) Consecrationem fieri posse a *pluribus* simul Episcopis, colligitur ex *cap. Cum eo, 14, De pœnitentiis et remissionibus*.

Plurima sunt exempla dedicationum in quibus duo, tres, aut plures Episcopi, *partem rituum singuli expleverunt*. — Quapropter, nullum dubium moveri debet de valore consecrationis ecclesiæ cujus in parietibus cruces aliæ ab uno, aliæ ab altero Episcopo, sacro chrismate unctæ sunt.

f) Quando ecclesia consecranda *non potest circumdari ab extra* per Episcopum, v. gr. ex eo quod potestas civilis nullum actum religiosum externum permittit, impetrandæ sunt a S. Pontifice facultates necessariæ et opportunæ pro dispensatione in casu. — *S. C. Rit., 22 mart. 1879.*

1275. **V. Consecratio debet fieri gratis,** nec quidquam pro ea exigendum est, juxta *cap. 10, De simonia.*

Non est tamen insuetum, ait *de Angelis,* aliquid *sponte oblatum* ab iis accipere quorum rogatu ecclesia consecratur, aut *canonicas procurationes* acceptare, aut demum imponere *censum* pro exhibita consecratione; qui tamen census effugit quamcumque simoniæ suspicionem, si valoris aut minimi aut spernendi omnino est, ut potius ejus oblatio quam pretiositas attendatur. — *In tit. De consecrat. ecclesiæ et altaris, num. 3.*

1276. **VI. In ecclesiis et oratoriis publicis sacra celebrare vetitum est, nisi prius consecrentur, aut saltem benedicantur.** — *Cap. 1, dist. 1, De consecratione.*

a) Oratoria *privata* non sunt necessario benedicenda. Unde, anno 1820, S. Cong. Rit., respondens ad dubia sibi proposita ab Episcopo provinciæ Compostellanæ, animadvertit quod oratoria privata nunquam benedicantur ritu præscripto in *Rituali Romano* pro publicis oratoriis.

Decet tamen hæc sacella *aliqua benedictione sanctificari,* si debeant sacris mysteriis modo permanenti inservire.

b) *Principale cæmeterii publici oratorium* per propriam benedictionem benedicendum est. — Non vero benedicenda sunt sacella seu privatæ ædiculæ in *privatorum* sepulchris. — *S. C. R., in Capuana, 31 jan. 1887.*

1277. **VII. Quemadmodum homini baptizato nomen imponitur, ita ecclesiæ dedicatæ titulus datur** quo nuncupetur et ab aliis ecclesiis dignoscatur.

Patronum cum *titulo* ecclesiarum confundi consuetum est, etsi detur discrimen inter utrumque :

a) *Patronus loci* dicitur ille Sanctus qui, sive perpetuo usu ac traditione a majoribus accepta, sive legitima facta electione, ut peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragator ab universo illius loci clero et populo colitur.

Patronus loci totum afficit *territorium* cujus patronatum habet, et fieri potest ut nullam habeat sibi dicatam ecclesiam.

b) *Titulus* est Mysterium, Sanctus, vel aliquid ad

Sanctos pertinens, v. gr. Conceptio Immaculata Virginis, Vincula Sancti Petri, etc., a quo *inscribitur* et appellatur ecclesia.

Patronus pro *titulo* sumitur quando suum nomen in titulum ecclesiæ indit, et tunc, ex usu communi, vocatur *patronus titularis* ecclesiæ. — *Icard, Prælect., num. 555.*

ARTICULUS V.

DE ECCLESIARUM EXSECRATIONE, POLLUTIONE ET RECONCILIATIONE.

Ecclesiæ, altaria, aliaque objecta semel consecrata, ad sacras in eis functiones peragendas apta permanent, donec non exsecrentur vel polluantur.

Exsecratio idem sonat ac amissio sanctitatis; *pollutio* est sanctitatis contaminatio.

1278. **I. Exsecratur ecclesia,** dum *tota* vel *major pars* parietum eversa est.

Non idem dicas, si *tecta* solummodo et *partes ligneæ* comburantur, vel alio modo concidant; vel si ecclesia per partes renovetur, ita ut eadem semper consistat, aut saltem eadem judicio hominum reputetur. — *Cap. 6, De consecr. eccles.*

Quando ecclesia exsecrata est, non potest sacris mysteriis inservire, nisi denuo *benedicatur* aut *consecretur.*

1279. **II. Ecclesia polluitur :**

a) Per *homicidium voluntarium,* quocumque modo in ecclesia id perpetratum sit. — *Cap. Proposuisti, 4, et cap. fin., De consecrat. ecclesiæ.*

1° Unde, ecclesia polluitur si percussus *intra,* percussor vero *extra* ipsam sit.

E converso autem, non violatur si percutiens sit in ecclesia, percussus extra illam; aut si graviter extra vulneratus ad ecclesiam confugiat, ibique decedat.

2° Utrum ecclesia polluatur si quis, in ea vulneratus lethaliter, *alibi* e vulnere accepto *moriatur,* disputant Auctores, et duplex est probabilis sententia.

Alii negant, eo quod homicidium non perficiatur nisi sequatur mors, ideoque sanctio juris in materia odiosa intelligenda est de homicidio completo.

Affirmativa sententia nititur communi loquendi modo, ex quo dicitur commissum homicidium ubi lethale inflictum est vulnus, etsi percussus alibi spiritum exhalet.

b) Per copiosam eamque voluntariam et graviter peccaminosam *humani sanguinis* effusionem. — *Cap. Si ecclesia, 10, De consecrat. eccles.*

Probabiliter ecclesia non polluitur si percussio intra, effusio vero sanguinis extra illam contingat, quia canones *utrumque,* nempe percussionem et sanguinis effusionem, copulative requirunt. Unde, si unum deficiat, pollutio locum non habet.

c) Per voluntariam et graviter peccaminosam *humani seminis* effusionem. Unde actus quivis, etsi turpissimus, si fiat sine ea, ecclesiam non polluit. — *Cap. 10, eodem titulo.*

d) Per *sepulturam infidelis,* sive pagani, sive ethnici, sive judæi nomine veniat. — *Can. 27, dist. 1, De consec.*

Licet *catechumenus,* qui sine regenerationis lavacro mortuus est, non debeat sepeliri in loco sacro, tamen probabiliter ejus sepultura ecclesiam non polluit.

Item disputatur utrum polluatur Ecclesia per sepulturam *infantis parentum fidelium* qui sine baptismate decessit. — *Cf. n. 1333.*

e) Per *sepulturam excommunicati vitandi* ad formam constitutionis Martini V. — *Cap. Consuluisti, De consecr. eccles.;* — *et cap. Sacris, De sepult.* — *Cf. n. 1597.*

Excommunicati *tolerati* digni quidem non sunt qui sepultura sacra donentur. Eorum tamen sepultura non polluit ecclesiam; diversæ enim sunt leges de loci sacri pollutione et de negatione sepulturæ ecclesiasticæ. — *Cf. num. 1608 et seq.*

1280. **III. Nisi prius reconcilietur, illicitum est, et quidem sub gravi, in ecclesia polluta celebrare.** — *Cap. Is qui, 18, De sent. excomm., in 6º.*

« Et si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia *ante canonem*, dimittatur Missa; si *post canonem*, non dimittatur. » — *Rub. Missæ, De defectibus*, § *10*.

a) Effectus autem pollutionis haud sequitur, nisi actus fuerit *publicus* notorietate *juris* aut *facti*. Quamdiu itaque res occulta manet, ecclesia suam famam retinet.

Si actio seu causa pollutionis, initio occulta, in communitatis notitiam postea devenerit, ex eo tempore ut polluta habetur, Sancta Eucharistia in alium locum est transferenda, et ecclesia suis ornamentis denudanda.

b) Existimant plures Doctores *Episcopum* posse dispensative concedere ut fiant divina mysteria in ecclesia polluta, si *necessitas urgeat*, nec suppetat tempus ecclesiam reconciliandi.

c) Per profanationem ecclesiæ non amittitur jus ad *indulgentias* quæ ipsi fuerant adnexæ. — *Cf. resol. Sacræ Congreg. Indulg.*, *18 sept. 1862*.

1281. **IV. Ecclesia polluta quamprimum reconciliari debet,** ne divinæ laudis organa suspendantur. — *Cap. fin., De consecrat. ecclesiæ.*

a) Si ecclesia quæ polluitur *consecrata* sit, nonnisi per proprium *Episcopum*, aut per alium Episcopum, de ejus mandato, reconcilianda est.

Attamen « *simplex sacerdos*, ex privilegio Sedis Apostolicæ, potest ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare; et tunc utatur ritu in Pontificali præscripto...., cum aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta ». — *Rit. Roman.*, *Ritus reconcil. eccles. violat.*

Hoc privilegio Apostolico *Regulares exempti* donati sunt, ex constitutione Leonis X, *Religionis*, 3 feb. 1514; et aqua ab ipsis benedicta uti possunt, modo conventus ultra duas dietas a sede episcopali distet.

b) Si ecclesia fuerit solummodo *benedicta*, ejus reconciliatio fieri potest a quolibet *sacerdote* quem Episcopus delegaverit. — *Cf. Rit. Rom., loc. cit.*

ARTICULUS VI.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Ecclesiarum immunitas duo complectitur, nempe jus ad singularem *honorem*, et jus *asyli*.

1282. **I. Ecclesiarum immunitas importat libertatem ab eo quod loci sanctitatem dedeceat.** — Ipsæ etenim sunt *ædes Deo sacræ*, et *domus orationis*, ut omnia in eis debeant ad religionem et sanctitatem conspirare. — *Cf. Trid. sess. 22, De observ.*

a) Unde, procul ab eis arcendi sunt quilibet actus, non modo *illiciti*, sed etiam simpliciter *profani*, quales sunt negotiationes, judicia sæcularia, civiles conventus, profana colloquia, multoque magis ludi theatrales, choreæ, cantus lascivi, et demum omnia quæ vel divinum turbent officium, vel oculos divinæ majestatis offendant. — *Cap. 2, De immunit. eccles., in 6°. — Constit. Cum primum, Pii V.*

Similiter piaculum est *vasa sacra* et ecclesiarum utensilia in usus profanos adhibere.

b) Non licet admittere in ecclesia, occasione exsequiarum aut quorumdam festorum quibus laicæ sodalitates intersunt, nisi *vexilla religiosa*, et pro quibus habeatur formula benedictionis in Rituali Romano. — *S. C. R., 14 jul. 1887; 17 jan. 1890. — Cf. n. 1334.*

Et, si intimatione facta antecedenter juxta mentem S. Congregationis, *mandato non obtemperetur*, Parochus se abstineat. — *Ibid.*

Porro, benedicenda non sunt « nisi vexilla earum societatum quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica *adprobata* fuerint, ab eaque aliquo modo *dependeant*, et aliquod *religionis signum*, nullum autem emblema reprobandum, præ se ferant ». — *S. C. S. O., 3 sept. 1887.*

1283. **II. Ea immunitatis pars lege civili protegitur in Gallia.**

« Le culte catholique sera exercé sous la direction des

Archevêques et Évêques dans leurs diocèses, et sous celle des curés dans leurs paroisses. » — *Art. 9 inter organicos.*

« La *police intérieure des églises* appartient à l'autorité ecclésiastique, c'est-à-dire aux Curés et aux Desservants dans leurs paroisses. » — *Decret. 10 feb. 1805.*

« Les professions de foi, circulaires et *affiches* électorales pourront être placardées..., sur tous les édifices publics autres que les édifices consacrés au culte. » — *Loi du 29 juillet 1881, art. 16.*

a) « Il rentre par conséquent dans les attributions du curé, *ait D. Durieu*, de donner tous les ordres convenables pour maintenir le respect et la décence *dans le lieu saint*, dans les processions et dans les cérémonies religieuses qui se pratiquent en *dehors de l'église*. Les serviteurs de l'église n'obéissent qu'à lui.

» Dans le cas où il se produirait des désordres qu'*il ne pourrait pas réprimer*, son droit et son devoir seraient de faire appel aux *autorités civiles* qui sont obligées de protéger le libre exercice du culte catholique. » — *Durieu, Traité de l'administration temp. des établiss. ecclés., num. 769.*

b) « Toutefois il ne faudrait pas en conclure qu'il soit revêtu, même à cet égard, d'un *caractère légal* tel que la loi confère aux seuls dépositaires ou agents de l'autorité publique.

» Ainsi il n'a point qualité pour *requérir*, à proprement parler, la force armée ; il ne peut la requérir que de la même manière et dans les mêmes cas qu'un simple citoyen le ferait, par forme d'*invitation*, mais sans avoir d'*ordres* à donner.

» Le curé ne peut pas davantage dresser *procès-verbal* d'un délit ou d'une contravention ; l'acte qu'il rédigerait n'aurait point les caractères distinctifs d'un procès-verbal véritable, et ne ferait point preuve authentique en justice. » — *Journal des conseils de fabrique, an. 1892, pag. 181.*

1284. **III. Jus asyli** ex ipsa reverentia ecclesiis debita profluit, estque illud per quod *debitores* et *rei criminum*, ad ecclesiam confugientes, *tuti* sunt, nec illinc sine piaculo avelli possunt. — *Cf. cap. Inter alia, 6, De immunit. eccles.*

a) Ipsa quidem *natura* gentes docuit nefas esse eos violare qui ad templa diis sacra confugissent.

1º Hinc, apud *Græcos* et *Romanos*, templa, altaria, simulacra, luci sacri, securitatis et asyli loca fuerunt.

Apud *Hebræos* autem, quorum vera religio fuit ex Dei ipsius mandato, *sex urbes refugii* constitutæ sunt, et altare templi ad se confugientes tuebatur qui inviti vel inconsulto occidissent.

2º Jure asyli *ab ipsis incunabulis* donatæ sunt *Christi ecclesiæ;* nam sanctio Theodosii de iis qui ad ecclesiam confugerant, non primo jus asyli constituit, sed *modum* potius et ejus limites decrevit, quod indubium argumentum est jam pridem ecclesias ea immunitate potitas esse. — *Soglia, Instit. juris privati,* § *132.*

3º Unde dicendum est : immunitatem hanc constitutam ordinatione Dei, imo *jure naturali* originaliter, quatenus naturale et divinum jus dictat ecclesias, tanquam res Deo consecratas, a sæculari potestate eximendas esse, *humano jure* fuisse perfectam, quatenus hoc privilegium immediate a Papa et ab Imperatoribus constitutum est. — *Schmalzgrueber, in tit. De immunit. eccles., n. 58.*

b) *Plures excepti sunt a beneficio immunitatis,* ne privilegio malefactores abuterentur.

1º Excepti sunt, v. gr., homicidæ qui animo deliberato occiderunt, latrones publici et viarum grassatores, rei læsæ majestatis, falsificantes litteras Apostolicas, etc. — *Cf. Commentatores Decretalium, in tit. De immunit. eccles.*

2º Porro, ut fert constitutio Benedicti XIII, *Ex quo divina,* an. 1725, « omnimoda cognitio atque judicium de criminibus exceptis (an scilicet crimen reo imputatum sit e numero eorum quæ jus canonicum ab immunitatis beneficio exceperat) *ad Episcopos* tantum, *privative* quoad omnes alios, spectare debet ».

c) *Firmo manente ecclesiastico jure asyli* juxta sacros canones et Pontificias constitutiones, Apostolica Sedes, pro locorum et circumstantiarum adjunctis, *illud jus œconomice temperavit.*

Sic, ex concessione Pii VII et Gregorii XVI, asyli jure destituta fuere *atria, scalæ* et *limina* ecclesiarum, ne in eis otiosi et vagi flagitia impune committerent.

Jus asyli pariter restrictum est in *Concordato Austriaco;* nam statutum est sacrorum templorum immunitatem in tantum servandam esse « in quantum id publica securitas, et ea quæ justitia exigit, fieri sinant ».

d) Imo, non desunt *regiones* in quibus lex asyli ecclesiastici, secundum omnem suam rationem, a longissimo tempore *in desuetudinem abiit.*

Mota autem quæstione utrum, abrogata contraria consuetudine per constitutionem *Apostolicæ Sedis*, lex asyli denuo statuta, in his quoque regionibus sit saltem *quoad substantiam* servanda, necne, S. Officium respondit *affirmative. — Decret. 22 dec. 1880.*

e) *Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatæ* subjacent : « Immunitatem asyli ecclesiastici violari jubentes, aut usu temerario violantes ». — *Const. Apostolicæ Sedis, Pii IX, tit. 2, num. 5.*

Verba « *ausu temerario* » utrumque membrum, scilicet *jubentes* et *violantes*, complectitur. — Ex quo intelligitur. « eum tantum excommunicationem incurrere qui, ab aliis *minime coactus, prudens* ac *sciens*, immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exsequendo violat, quem porro, utpote omnis excusationis expertem, excommunicationi subjacere mirum esse non debet. — *Inst. S. C. Inquisit., 15 jun. 1870; — et instr. S. Pœnit., 1 feb. 1871.*

Unde, censura non attingit *magistratus* qui legibus patriis coguntur jubere ut rei extrahantur e loco sacro, nec, a fortiori, *milites* mandata imposita exsequentes.

CAPUT II.

DE ALTARIBUS.

Agendum est : de notione altaris; — de altarium consecratione, — et pollutione; — et de altari privilegiato.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ALTARIS.

Altare (*alta ara*) in genere est sedes aut locus in quo *sacrificium* offertur; altare autem christianum est mensa super quam conficitur *Eucharistiæ sacramentum,* et offertur sacrosanctum *Missæ sacrificium.*

1285. I. **Duplex altare distinguitur** : aliud *fixum,* aliud *portatile,* prout tanquam conjunctum basi, vel ut a basi sejunctum consecratur. — *Cf. n. 1291.*

Vocabulum enim *altare* sumitur : aut pro *integra structura* cum tabula superiori quæ ad sacrificium Missæ deputatur : aut pro *sola tabula* seu *lapide sacro* qui, vel integram constituit mensam, vel in medio ejus inseritur.

a) Utrumque *làpideum* esse antiqui canones præscribunt. – *Cf., ex. gr., can. 31, dist. 1, De consecrat.*

« Altaria portatilia quæ constant ex vero lapide duro et compacto, etsi *non marmoreo,* idonea haberi debent; quæ autem confecta sunt ex lapide *puniceo,* sive ex *gypso,* aut alia simili materia, illicita prorsus sunt. » — *S. Cong. Rituum, 24 nov. 1885.*

Unde, altaria e *schisto lapide* satis duro retineri possunt. — *S. C. R., in Lamacen., 29 apr. 1885.*

b) Admitti nequeunt altaria portatilia quæ ex *duabus partibus* ita constant ut pars superior sit lapis, pars vero inferior lignum, et inter lapidem et lignum, in quodam concavo spatiolo, sint reliquiæ Sanctorum. — *S. Cong. Rituum, 31 aug. 1867.*

1286. **II. Altaria, tum fixa, tum portatilia, figuram quadratam aut oblongam** induere consueverunt, cum *crucibus* in medio et in quatuor angulis, in quibus unctiones sancti olei sacrique chrismatis ad consecrationem altarium præscriptæ peraguntur.

Majoris minorisve *molis* esse solent altaria, præsertim prout fixa aut portatilia considerantur.

Ex *rubrica Missalis*, ea exigitur ara lapidea « quæ *tam ampla* sit, ut hostiam et majorem partem calicis capiat ».

ARTICULUS II.

DE ALTARIUM CONSECRATIONE.

Altaria debent *consecrari*, ut sacrificium Missæ super iisdem fieri licite possit.

1287. **I. Consecratio fit ab Episcopo diœcesano,** qui *per se* vel *per alios Episcopos* id complere valet. — Solus enim Romanus Pontifex *simplicibus presbyteris* id juris concedere potest, quia est regula generalis : benedictiones quæ sacro chrismate perficiuntur Episcopis reservari.

a) *Cardinales* in ecclesiis sui tituli jus habent consecrandi altaria, ex decisione peculiaris Congregationis a S. Pontifice Leone XIII designatæ. — *Cf. n. 443.*

b) *Forma* et *ritus* hujus consecrationis in Pontificali Romano describuntur.

Si *crux* in medio lapidis *absit*, ac proinde in altaris consecratione *omittatur unctio* istius crucis, consecratio invalida non est. Sed unctio in medio tabulæ nunquam omitti debet, quamvis crux ibidem sculpta non sit. — *S. C. Rit., 2 maii 1892.*

1288. **II. Nullum altare consecrandum est quin includantur sacræ reliquiæ.**

a) Reliquiæ debent esse Sanctorum *Martyrum ;* et solum permittitur ut, cum his, *Sanctorum Confessorum* reliquiæ uniantur, illorum præsertim in quorum honorem ecclesiæ vel altaria dedicantur.

Plurium autem Sanctorum reliquiæ ponendæ sunt, ut verba sacerdotis in prima altaris deosculatione verificentur: « *Quorum reliquiæ hic sunt* » ; sicuti etiam pars aliqua *corporum* reponenda est, non vestes aut quidquid aliud hujusmodi. — *Gardellini, n. 4742.*

b) « Altaria quorum sepulchrum non *in medio lapidis*, sed in ejus *fronte* fuit effossum, non sunt admittenda, utpote Pontificalis Romani præscriptionibus haud conformia. » — *S. C. Rit., 24 nov. 1885.*

1289. **III. Reliquiæ claudendæ sunt cum parvo operculo, ex lapide etiam confecto.** — *S. C. Rit., 31 aug. 1867 ; 28 jul. 1883 ; 23 jun. 1892.*

a) Imo, altaria, nisi sepulchrum fuerit coopertum lapide *marmoreo*, vel saltem *duro*, nova indigent consecratione. — *S. C. R., 9 sept. 1880 ; 28 jul. 1883.*

Verum S. C. Rit., attenta difficultate omnes aras haud rite consecratas denuo solemni ritu consecrandi, *petentibus Episcopis* benigne *indulsit*, utendo facultatibus sibi specialiter a S. P. Leone XIII tributis, ut ipsi *sensim sine sensu*, et capta occasione, vel *per se*, vel per *simplices presbyteros*, hoc tantum in casu Apostolicæ Sedis nomine delegandos, certas Sanctorum reliquias in iisdem aris reponant, iis solummodo cæremoniis servatis quæ in Pontificali Romano præscribuntur dum in sepulchro reconduntur reliquiæ et superponitur lapis, scilicet ut signetur sacro chrismate confessio, sive sepulchrum, et interim dicatur oratio : « *Consecretur et sanctificetur, etc....* » ; postea, reconditis reliquiis cum tribus granis thuris, et superposito operculo ac firmato, dicatur altera oratio : « *Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum....* », et nihil aliud.

b) Cœmentum, pro firmando in altari *portatili* sepulchri lapide, *benedicendum est* ritu pro altaris fixi consecratione præscripto.

1º Si agatur de *unico* altari portatili consecrando, *ipse Episcopus* sepulchrum cœmento linire et lapide claudere debet.

2º Si vero agatur de *pluribus* aris portatilibus consecrandis, satis est ut Episcopus liniat cœmento labium sepulchri

unius arœ ; et, dum ipse prosequitur in sacrarum reliquiarum repositione, *adsistentes sacerdotes* lituram et cujusque sepulchri clausuram peragant. — *S. C. Rit., 10 maii 1890.*

1290. **IV. Loculus in quo sacræ reliquiæ reponuntur plerumque signatur sigillo Episcopi,** ut constet de consecratione altaris et de reliquiarum authenticitate.

Attamen hoc sigillum non est necessario apponendum. — *S. C. Rit., 10 maii 1890.*

Unde, ob amissionem sigilli episcopalis altaria portatilia non sunt interdicenda, modo constet ea rite fuisse consecrata. — *S. C. R., in Vivarien., 28 feb. 1880.*

ARTICULUS III.

DE ALTARIUM EXSECRATIONE ET POLLUTIONE.

Consecratio, altari tum fixo, tum portatili, impensa, manet usque dum non *exsecretur* aut *polluatur.*

1291. **I. Altare fixum exsecratur,** quando « *tabula,* cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, *mota* fuerit ». — *Cap. 3, De consecr. eccles. et altaris.* — Quod ita intelligi debet ut ipsa tabula altaris disjuncta fuerit a sua inferiori structura seu basi.

a) Ratio est, quia altare fixum habet et essentialiter importat *conjunctionem cum sua inferiori structura seu basi,* cui tabula proinde necessario debet esse *unita ;* dum, e contra, altare portatile, de sui natura, importat esse a basi sejunctum.

b) Sed non amittitur consecratio, si altare fixum *integrum,* nempe cum stipite seu columnis, absque ulla disjunctione *transferatur* de uno loco ad alium locum, intra eamdem tamen ecclesiam.

1292. **II. Altare, sive fixum, sive portatile exsecratur :**

a) Si tabula consecrata fuerit *enormiter fracta.* — *Cf. cap. 3, De consecr. eccl. et alt.* — Secus autem, si fractio sit *levis*, ut dicitur in *cap. 6, eod. tit.*

Scriptores liturgici existimant *enormem* esse fracturam, non solum si tabula fuerit in duas aut in plures partes notabiles divisa, sed etiam si divisa sit per fracturam in aliqua ex partibus ubi peculiares *unctiones* adhibitæ fuerint, nempe si pars fracta unam contineat ex lateralibus *crucibus*, ab Episcopo, in altaris consecratione, specialiter benedictis. — Nam, etiamsi fractura non sit *materialiter* enormis, talis respective evadit, cum separatæ sint partes specialibus precibus et unctionibus consecratæ.

b) Si ab altaris tabula *auferantur reliquiæ*, aut amoveatur vel enormiter frangatur *operculum* sepulchri. — *Constat ex variis decis. S. C. Rituum.*

Imo, altare suam amisit consecrationem, si *lapis sepulchri reliquiarum* aliquas habeat *scissuras*, licet partes sic inter se adhæreant ut nullimode dubitari possit de reliquiarum authenticitate. — *S. C. R., 23 jun. 1879.*

1293. **III. Polluta ecclesia, quacumque ex causa,**

a) Eo ipso et *pollutum* censetur *altare fixum* quod in ea constitutum est. — Secus tamen de *altari portatili* tenendum est.

b) Verum, *exsecrata* ecclesia, non ideo exsecratur altare, sive fixum sive portatile ; neque per exsecrationem altaris exsecratur ecclesia. — *Cf. cap. 1, De consecr. eccles. et altaris ; — et varias decis. S. C. Rit.*

ARTICULUS IV.

DE ALTARI PRIVILEGIATO.

1294. **I. Per indulgentiam altari privilegiato adnexam,** *si spectetur mens concedentis* et usus potestatis clavium, intelligendam esse indulgentiam plenariam quæ animam statim liberet ab omnibus Purgatorii pœnis ; *si vero spectetur applicationis effectus*, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet, communiter tradunt Auctores. — *Sac. Cong. Indulg., 28 jul. 1840. — Cf. Béringer, Les indulgences, leur nature, etc., 2e partie, 3e sect., n. 25.*

1295. **II. Duplex est indultum altaris privilegiati,** *locale* scilicet et *personale.*

Privilegium *locale* ipsi altari conceditur; privilegium vero *personale* personæ celebrantis adhæret, ita ut Missa ab eo super quocumque altari celebrata, præfatam indulgentiam habeat adnexam.

1296. **III. Altare privilegiatum locale regulariter non conceditur nisi sub sequentibus conditionibus,** nempe :

a) Ut non adsit *in eadem ecclesia* altare *similiter privilegiatum.*

Hæc autem verba debent *proprio* et *obvio sensu* accipi, adeo ut, v. gr., privilegium pro omnibus defunctis alicui altari concessum non opponatur altari privilegiato concesso pro certo genere personarum, nec postremum hoc privilegium opponatur altari privilegiato pro alio genere personarum, v. gr., alterius confraternitatis. — *Cf. resp. S. C. Indulg., 21 maii 1742; 30 jan. 1843.*

b) Ut *altare sit fixum.* — Porro, in materia altaris privilegiati, altare *fixum* illud est « quod a loco *dimoveri non possit,* sed non tamen cujus superior pars, sive mensa, sit ex integro lapide, vel adeo calce conjuncta ut lapis consecratus amoveri non possit ». — *S. C. Indulg., 20 mart. 1846.*

Et, ne dubium circa qualitatem altaris fixi exoriretur, S. P. Pius IX « edixit ac declaravit sufficere, *ad constituendam qualitatem altaris fixi,* ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur ». — *S. C. Indulg., 26 mart. 1867.*

Unde, altare quod occasione alicujus solemnitatis, v. gr. mensis *Mariani,* ad tempus in ecclesia erigitur, et postea aufertur, privilegiatum esse non potest.

Attamen « privilegium *altari conceditur,* non *lapidi,* qui unus alteri, pro necessitate vel opportunitate, suffici poterit ». — *S. C. Indulg., 20 mart. 1846.*

c) Ut celebrans *alicui particulari defuncto* indulgentiam applicet, per intentionem saltem virtualem.

1º Nam privilegium pluribus simul defunctorum anima-

bus applicari nequit. — *S. Cong. Indulg., 19 febr. 1864; 19 jun. 1880; 18 dec. 1885.*

2° Imo, indulgentia non potest applicari nisi pro anima *illius defuncti* pro qua sacerdos *Missam* celebrat.

Sub ista enim conditione indulta conceduntur. — *Cf. resp. S. C. Indulg., 18 dec. 1885.*

3° Missa celebrata ad altare privilegiatum pro aliquo particulari defuncto est *per se privilegiata*, neque necesse est ut vel offerens eleemosynam, vel sacerdos, intendat applicare privilegium. — *S. C. Indulg., 5 mart. 1855.*

Nec si Missa *pro pluribus defunctis* celebretur, privilegium inutile evasit eo quod uni determinatæ animæ non applicetur. — *S. C. Indulg., 14 jun. 1880.* — Nam indulgentia, saltem ab una anima quæ Deo placuerit, lucrifieri potest. — *Cf. Acta S. Sedis, vol. 13, pag. 133 et seq.*

d) Ut celebretur *Missa de Requiem*, diebus per rubricas permissis, idque licet in indulto non exprimatur, vel agatur de ecclesia conventuali. — *S. C. Indulg., 29 maii 1841; — 24 jul. 1885.*

Aliis vero diebus, sufficit *Missa diei*, etiamsi ex peculiari tantum causa, v. gr. ratione expositionis SS. Sacramenti, stationis ecclesiæ, aut alterius solemnitatis, Missa *de Requiem* foret prohibita. — *S. C. Indulg., 11 april. 1864.*

Sed, si privilegium concessum est pro quibusdam tantum hebdomadæ diebus, eligi deberent dies Missam *de Requiem* non impedientes. — *S. C. Indulg., 11 apr. 1840.*

1297. **IV. Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati personalis,**

a) Necessarium non est ut Missa celebretur ad *altare fixum*; privilegio enim « frui potest sacerdos in *quocumque* altari, sive locali, sive portatili, celebraturus ». — *S. Cong. Indulg., 15 mart. 1852.*

b) Verum sacerdos, gaudens privilegio personali, non potest indulgentiam lucrari *in festis duplicibus*, nisi habeat privilegium quotidianum. — *S. C. Indulg., 11 apr. 1840.*

Attamen si privilegium habeat pro *determinato numero* dierum in *hebdomada*, et in ea non occurrant festa semidu-

plicia, poterit etiam festa duplicia eligere ad applicationem privilegii. — *S. C. Indulg., 29 feb. 1864.*

1298. **V. Altare privilegiatum suum privilegium amittit, destructa ecclesia,** licet integrum maneat altare cui erat adnexum. — Attamen,

a) Si *reædificetur* ecclesia, reviviscit privilegium, modo in eodem loco reædificetur, et sub eodem titulo.

b) Si agatur de ecclesia alicujus *confraternitatis,* licet hæc destruatur et in alio loco reædificetur, modo confraternitas non fuerit exstincta, ipso jure *reviviscit* privilegium, et *translatum* censetur ad novam ecclesiam vel oratorium; translata enim sodalitate, transferuntur etiam indulgentiæ. — *Cf. n. 1076.*

c) Dum *ipsum altare destruitur,* non amittitur indultum altaris privilegiati, modo reædificetur *sub eodem titulo, in eadem ecclesia,* etsi in loco diverso; nisi altare fuerit privilegiatum ratione alicujus imaginis aut statuæ quæ destructa est. — *S. C. Indulg., 16 septemb. 1723; 27 jun. 1836; 24 apr. 1843.*

d) Nec amittitur privilegium per *altaris exsecrationem;* sed, facta nova consecratione, reviviscit privilegium; idque etiamsi altare, quod erat fixum in sensu *Pontificalis Romani,* mutetur in portatile, dummodo sit fixum in sensu quem tenet S. C. Indulg. in præsenti materia.

1299. **VI. Omnes ecclesiæ parochiales et collegiatæ gaudent altari privilegiato quotidiano, ad septennium,** *ex indulto Clementis XIII, 19 maii 1759.*

a) Verum hoc privilegium conceditur ea lege adjecta : ut quilibet Episcopus, pro sua respectiva diœcesi, de hujusmodi gratia *supplicet.*

Et, *expleto septennio,* Episcopi, et, sede vacante, Vicarii Capitulares, supplicare debent pro *confirmatione* ejusdem privilegii ad aliud septennium. — *Unum* dumtaxat *Breve* pro omnibus uniuscujusque diœcesis parochialibus ecclesiis suffragatur.

« Ne autem parochi expensis graventur, voluit Sanctitas

Sua *nihil omnino exigi posse*, sub pœna nullitatis privilegii, ab Officialibus Episcoporum, in *certiorandis parochis* sive in *expediendis litteris* pro designatione altaris privilegiati in unaquaque parochiali ecclesia diœcesis. » — *Decretum Clementis XIII.*

b) Facultas *Episcopi* incipit a die *datæ* Brevis; ac proinde, *absoluto septennio* pro altaribus designandis, etiamsi nondum in omnibus ecclesiis ea declaraverit, ipsi recurrendum erit ad Sedem Apostolicam pro talis facultatis prorogatione.

Quoad vero *altaria* hoc privilegio ad septennium decorata, illud tempus incipit a die respectivæ *designationis* uniuscujusque altaris, ita ut altaria quæ, durante septennio, Apostolico privilegio donata sunt, privilegiata exsistant per *integros* annos septem. — *S. C. Indulg., 25 sept. 1841; — Secret. Brev. ad Episc. Nanneten., an. 1840.*

c) Hoc privilegium extendi potest ad eas *filiales ecclesias* in quibus parochus sacras functiones vere parochiales exercet, ut sepelire mortuos, baptizare, etc. — *S. C. Indulg., 30 jan. 1760.*

d) Designatione altaris privilegiati ad septennium revocantur anteriora privilegia unice *intuitu parœciæ* concessa, non vero ea quæ *alia de causa*, ex. gr. in gratiam alicujus Confraternitatis, ratione capellæ seu altaris jurispatronatus alicujus familiæ, etc., concessa sunt. — *S. C. Indulg., 30 jan. 1760; 24 maii 1843.*

1300. **VII. Missa quæ, die Commemorationis omnium defunctorum,** *a quocumque sacerdote* sæculari, vel cujuslibet Ordinis et Instituti regularis celebratur, eodem gaudet privilegio ac si esset in altari *privilegiato* celebrata. — *Decret. ejusdem Clementis XIII, 19 maii 1761.*

Et, *ex rescripto Pii VII, 10 maii 1817*, omnia altaria *privilegiata* sunt dum in ecclesiis fiunt *preces 40 horarum* cum expositione SS. Sacramenti, quocumque anni tempore fiant, ad normam instructionis Clementis XII, *1 sept. 1730*, et constitutionis Benedicti XIV, *16 apr. 1747.*

CAPUT III.

DE SACRA SUPELLECTILI ECCLESIARUM.

Agendum est : de sacris imaginibus; — de reliquiis sanctorum; — de vasis sacris et aliis utensilibus; — et de campanarum benedictione et usu.

ARTICULUS I.

DE SACRIS IMAGINIBUS.

Consuetum est, ab antiquissimis temporibus, sacras ædes exornari *imaginibus* quæ Christum Dominum, Beatam Virginem, Sanctos, seu facta historica repræsentent quæ ad religionem referantur.

1301. **I. « Imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas** docet synodus Tridentina, eisque debitum *honorem* et *venerationem* impertiendam.

a) » Non quod credatur inesse aliqua in iis *divinitas*, vel *virtus*, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda veluti olim fiebat a Gentibus quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur *refertur ad prototypa* quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, *Christum* adoremus, et Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt *veneremur;* id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. » — *Trid., sess. 25, De invocat., venerat., etc.*

b) « Illud vero diligenter doceant Episcopi : per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, *erudiri* et confirmari populum in *articulis fidei* commemorandis, et assidue recolendis : tum vero, ex omnibus sacris imaginibus *magnum fructum*

percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos *miracula* et *salutaria exempla* oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. » — *Trid., loc. cit.*

1302. **II.** « **In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint,** eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullæ *falsi dogmatis imagines*, et rudibus *periculosi erroris occasionem* præbentes, statuantur.

» Quod si aliquando historias et narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit : doceatur populus, non propterea *Divinitatem figurari,* quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit. » — *Trid., ibid.* — *Cf. n. 577.*

a) Imagines Sanctorum qui nondum a Sede Apostolica *canonizati* vel *beatificati* sunt, pingi interdicitur cum radiis, splendoribus, aliove signo quod cultum indicet. — *Decret. Urbani VIII, Sanctissimus, 23 mart. 1625.*

1º Imo, Beatorum *nondum canonizatorum* imagines in ecclesiis et oratoriis quibuscumque, *inconsulta Sede Apostolica* nullo pacto exponi debent. — Et, ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam eorum imagines pictasque tabellas in ecclesiis poni, et coli posse, in pariete tantum, non autem *super altare* collocandi facultas tributa censetur. — *Decret. Alexandri VII, 20 sept. 1659.*

2º Insuper, imago Beatificati pingenda est, non cum *diademate* circa caput, sed cum *radiis* tantum. — *Ferraris, v. Imagines, num. 46.*

b) Prohibitæ sunt imagines Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Apostolorum et Evangelistarum, cum habitu vel forma nova *alias non usitata* in Ecclesia, neque cum habitu Regularium. — *Constit. Urbani VIII, Sacrosancta Tridentina, 15 mart. 1642.*

Idem Pontifex prohibuit ne Sanctorum imagines habitu

profano pingerentur, vel *indecentiam* aut *inhonestatem* præ se ferentes.

c) Firma Liturgiæ regula est, in *una* eademque *ecclesia,* eoque magis in *uno* eodemque *altari*, duas pluresve depictas tabulas aut statuas unum eumdemque Cœlitem referentes; vel, si agatur de Beata Virgine, Deiparam referentes sub *uno eodemque titulo* invocatam, publicæ venerationi exponi non posse. — *S. C. Rituum, 20 maii 1890; 27 aug. 1892.*

1303. **III. Licitæ sunt imagines Deum repræsentantes** sub ea forma qua Ipse hominibus *apparuit.* — *Bened. XIV, const. Sollicitudini, § 12 et seq.*

a) Imagines *SS. Trinitatem* repræsentantes sub certis formis licitæ sunt: nempe quæ Deum *Patrem* continent in forma hominis senis, in cujus sinu sit *Christus*, et inter utrumque *Spiritus Sanctus* in forma columbæ; vel imagines in quibus seorsim Deus Pater, in forma hominis senis, et seorsim Christus, sed propinqui ambo, et inter utrumque Spiritus Sanctus in forma columbæ. — *Bened. XIV, constit. cit.*

Non licet SS. Trinitatem pingere *in utero B. M. V.*; — nec sub figura *hominis tricipitis.* — An autem sub figura *trium hominum* æqualium et similium, disputatur.—*Ibid.*

b) *Imagines Æterni Patris* permissæ et approbatæ sunt ut pingatur solus, tanquam ambulans et loquens in paradiso auditus est ab Adamo; — item, ut innixus mysticæ scalæ visus est Jacob; — seu ut miro modo conspiciendum se præbuit Moysi; — seu ut Isaiæ apparuit tanquam rex in solio sedens; — seu ut Danieli, veluti senex albo vestimento amictus. — *Bened. XIV, constit. cit.*

c) *Imagines Æterni Filii* permissæ et approbatæ sunt, ut pingatur solus, uti cum hominibus in diebus carnis suæ conversatus est, atque etiam, postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis aliisque manifestus apparuit. — Item, sub humana forma cruci affixus et mortuus. — Item, in forma agni. — *Ibid.*

Nuper S. C. U. Inquisit. declaravit « *nova emblemata* Sa-

cratissimi Cordis Jesu *in Eucharistia* non esse ab Apostolica Sede adprobanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse imagines Sanctissimi Cordis in ecclesia jam usitatas et adprobatas; quia cultus erga Sanctissimum Cor Jesu *in Eucharistia* non est perfectior cultu erga *ipsam Eucharistiam*, neque alius a cultu erga Sanctissimum Cor Jesu.

» Insuper iidem Emi Patres communicandam mandarunt mentem ab hac sacra Congregatione, jussu Pii Papæ IX sac. mem. panditam, *feria 4 die 13 januarii 1875*, monendos esse alios etiam Scriptores qui ingenia sua acuunt sæpe iis aliisque id generis argumentis quæ *novitatem* sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito *desistant*, ac perpendant *periculum* quod subest pertrahendi fideles in *errorem* etiam circa fidei dogmata, et ansam præbendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinæ catholicæ ac veræ pietati. » — *S. Cong. S. Off., 3 junii 1891.*

d) *Imagines Spiritus Sancti* permissæ et approbatæ sunt ut pingatur in forma columbæ. — Item in figura linguarum ignis, ubi repræsentatur mysterium Pentecostes. — *Ibid.*

Non tamen *Spiritus Sanctus* seorsim ab aliis duabus personis *humana specie*, seu viri, seu juvenis, depingi potest. — *Bened. XIV, cit. constit.*

ARTICULUS II.

DE RELIQUIIS SANCTORUM.

1304. **I. Per reliquias Sanctorum et Beatorum intelliguntur** eorum *corpora* et corporis partes, etiam minimæ; item *vestes, panni, vela* quibus in vita usi sunt, vel quibus eorum corpora aut partes corporis post mortem fuerunt involuta; *instrumenta* quoque pœnarum et mortificationum quibus utebantur, et alia ejusmodi.

a) Quamvis *quælibet* Sanctorum corporum pars *vene-*

ratione colenda sit; hæc est enim Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo; nihilo tamen secius *major* solet esse *fidelium devotio* erga *integrum* alicujus Sancti corpus, aut ejusdem *membra præcipua*. Ideo distinctio inducta est inter reliquias *insignes*, et reliquias *non insignes*. — *Cf. decret. S. C. Indulg., 12 jun. 1822.*

Sacra Congregatio Rituum, *die 13 januarii 1631*, declaravit « *reliquias insignes esse :* corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr, modo sit *integra* et non parva, et legitime ab Ordinario approbata ».

b) Ut crus et brachium censeantur integra, debent constare *duobus ossibus præcipuis*. — Unde S. C., interrogata « an *tibia* esset reliquia insignis », respondit « *Negative*, juxta rubricas in Missali et Breviario Romano impressas ». — *3 jun. 1662.*

1305. **II. Episcoporum est invigilare**, ut in reliquiarum veneratione, omnis *superstitio* et omnis *turpis quæstus* eliminetur. — *Trid., sess. 25, De invoc., etc.*

a) Turpis autem hic quæstus *dupliciter* intervenire potest, nempe exponendo reliquias quæstus causa, vel eas exponendo venales, cum in hoc altero casu habeatur vera simonia et sacrilegium. — *Cf. decret. S. C. Indulg. et Reliq., 21 dec. 1878; — et epistolam Cardinalis Vicarii, 16 kal. febr. 1881.*

b) Non tamen illicitum est eas de manibus *infidelium* et *hæreticorum* etiam pretio redimere, ut omnes concedunt.

1306. **III. De auctoritate Episcopi in recognitione et approbatione sacrarum reliquiarum** egimus ubi *de Episcopi auctoritate doctrinali, n. 575.*

a) Thecæ vetustæ, cum reliquiis quæ *authentico documento* carent, non possunt exponi in altari, etsi hoc fiat ab immemorabili tempore. — *S. C. Rit., 23 jun. 1892.*

b) Ob *fraudes* quorumdam falsariorum, quibus plures in dolum inducti sunt, S. Pontifex Leo XIII Episcopos monuit ut *martyrum* corpora, quæ e *Romanis* veterum Christianorum *cœmeteriis* prodiisse dicuntur, quæque utcumque recognita ecclesiarum Præsulibus nunc exhibentur, generatim *suspecta* habeant, neque fidelium cultui proponi permittant, donec *novis litteris* moneantur qua ratione circa ea se gerere debeant. — *Cit. epist. Card. Vicarii, 16 kal. feb. 1881.*

ARTICULUS III.

DE VASIS SACRIS ET ALIIS UTENSILIBUS.

De his *pauca dicemus;* plenior enim et accuratior earum rerum explanatio ad *disquisitiones liturgicas,* potius quam ad prælectiones canonicas attinet.

1307. I. **Calices** esse debent ex auro, vel argento, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, simul cum patena itidem inaurata. — *Const. Innocent. IV, Sub catholicæ, an 1254;* — *Rit. serv. in celeb. Missæ,* § 1.

Sed, ex decreto S. C. Rit., *die 6 dec. 1866,* permittuntur calices et patenæ ex ære *aluminii,* sub forma et conditionibus in annexa instructione præscriptis. — *Cf. Acta S. Sedis, vol. 6, p. 589.*

a) *Consecrari* debent ab *Episcopo,* qui harum benedictionum munus, quatenus unctione sancti chrismatis perficiuntur, nulli presbytero committere potest.

Vetustissimum hunc morem ungendi calices sacro chrismate, refert ad traditiones Apostolicas Innocentius III, *cap. Cum venisset, 1, De sacra unctione.*

b) Calices et patenæ *exsecrantur :* quando immutantur, vel franguntur, adeo ut inservire amplius non possint sancto sacrificio; puta si perforentur, vel si cuppæ calicis a pede cui fixa est per fractionem divellatur, vel tandem, si pars interior calicis aut cuppæ aurationem amittat, prout responsum fuit a S. C. Rit., *in Leodiensi, 14 jun. 1845.*

c) Quando calix *fractus* est, aut internam perdidit

inaurationem, non potest in sacris conficiendis mysteriis adhiberi; cum enim formam amiserit in qua sacer evaserat precibus et ritibus ecclesiasticis, consecrationem non servat; quapropter *tradi potest artifici* ut reficiatur.

1º Si autem formam necessariam non amiserit, sed opportunum videatur illum ex majori decentia expoliri, et *intus inaurari,* adeundus est Episcopus, vel alter Prælatus loci Ordinarius, qui per modum *dispensationis* permittat calicem artificibus tradi; non enim *laicis* fas est sacra vasa manu contrectare.

2º Dispensatione non opus est, si *pes* dumtaxat calicis expoliendus et inaurandus sit, et possit sejungi a cuppa sine fractura. — *Icard, Prælect., num. 560.*

1308. **II. Ciborium et pyxis** destinata ad conservationem et expositionem sanctæ Eucharistiæ, non consecrantur unctione chrismatis, sed simplici *benedictione,* quæ tamen reservatur *Episcopo.*

1309. **III.** « **Chrisma et oleum sanctum**

a) » Sint in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis, bene obturatis : quæ vascula sint inter se *distincta,* et propriam unumquodque *inscriptionem* habeat majusculis litteris incisam, ne quis error committatur.

» Ad usum vero quotidianum *minora* habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno, sive separata, sive etiam conjuncta, apte tamen *distincta* et bene cooperta, et cum suis *inscriptionibus.* » — *Rituale Rom.*

b) Non possunt sacerdotes, pro sua commoditate, apud se *in domibus suis* retinere Sanctum Oleum infirmorum; « et servetur *Rituale Romanum,* excepto tamen casu *magnæ distantiæ* ab ecclesia : quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam et *decentem* tutamque custodiam ». — *S. C. R., 31 aug. 1872; 23 jun. 1892.*

1310. **IV. Lintea** quæ propius inserviunt sacrificio, nimirum mappæ altaris, corporalia, pallæ, purificatoria, non alia adhibenda sunt quam ex *tela linea,* aut *cannabina.* — *Cap. Consulto, 46, dist. 1, De consecr.* — *Cf. res. Sacræ Cong. Rit., 23 jun. 1892.*

Altare cooperiendum est *tribus mappis*, superiori saltem oblonga quæ hinc inde usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel altera duplicata, dummodo lapidem altaris tegant.

Vetustum esse usum trium mapparum indicat *caput Si per negligentiam, 27, dist. 2, De consecratione.*

1311. **V. Crux** erigitur in omnibus ecclesiis, aut saltem reponitur *tabula* in qua repræsentatur imago Jesu Christi crucifixi.

Cum rubricæ requirant ut crux collocetur super altare et inter candelabra, dum offertur sacrum sacrificium, Scriptores quæstionem instituerunt, utrum crux debeat constitui *in altari*, etiamsi imago Christi e cruce pendentis in majori tabula *depicta* aut *cœlata* appareat.

« *Gavantus* id quidem probat, ait *Benedictus XIV.* Alii vero id minime necessarium arbitrantur, dummodo tamen crucifixus in majori tabula vel pictus, vel cælatus, *primum locum obtineat* præ cæteris omnibus quæ in eadem tabula exprimuntur.... Huic sententiæ se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex responsione quam ipsa promulgavit anno 1663. » — *Litteræ encyclicæ Accepimus, an. 1746.*

1312. **VI. Vestium sacerdotalium**, quæ ad sanctum sacrificium adhibendæ sunt, *materiam*, *formam* et *colorem* certæ regulæ definierunt.

a) Per varia S. C. Rit. decreta, vetitum est quominus sacra ornamenta ex *gossypio* vel *lana* contexta adhibeantur; imo, ex *holoserico opere* tantum illa confici præscribitur. — *Cf., ex. gr., declar. 28 jul. 1881; 23 jun. 1892.*

Quum vero non omnes ecclesiæ, ob reddituum defectum, ejusmodi paramenta serica sibi comparare valeant, ab eadem S. C. R. quæsitum est utrum, *attenta ecclesiarum paupertate*, liceat pro ornamentis sacris præparandis illud adhibere panni genus quod, ex parte externa et oculis intuentium apparente, ex filo serico integre contegitur, habet tamen operis textilis fulcimentum in gossypio, lana, vel in lino. — Et S. Congregatio, attenta ecclesiarum paupertate,

id panni genus pro sacris ornamentis *tolerari posse* declaravit, *die 23 mart. 1882.*

b) Nec probantur paramenta *diversi coloris*, quæ indifferenter inserviant pro colori albo, rubro, viridi, violaceo, quatenus habent intextos flores diversi coloris, adeo ut vix dignoscatur quis sit color dominans.

Declaratum etiam fuit : non admitti colorem *flavum*, nec *cœruleum*, in iisdem paramentis sacerdotalibus. — *S. Cong. Rit., 23 sept. 1837 ; 23 jun. 1892.*

Tolerantur tamen paramenta ex *auro* contexta, quæ adhibeantur pro albo, viridi ac rubro, non tamen pro violaceo. — *S. C. R., 5 dec. 1868.*

1313. **VII. Per Episcopum benedicenda sunt sacra omnia, tam ministrorum quam altaris, ornamenta.** — Nullus quippe sacerdos, nisi specialem facultatem consecutus sit, illis benedicendis aptus est.

a) Solent vero Episcopi recipere facultatem *delegandi simplices presbyteros* ad benedicenda paramenta ad sacrificium Missæ necessaria. — Episcopus *Corisopitensis* hanc facultatem omnibus parochis et capellanis suæ diœcesis delegare consuevit.

b) *Prælati regulares* non alio ad id privilegio donantur quam sacra ornamenta benedicendi pro *suarum*, non autem pro *aliarum ecclesiarum* usu, quemadmodum Sacra Congregatio Rituum non semel declaravit.

ARTICULUS IV.

DE CAMPANARUM BENEDICTIONE ET USU.

1314. **I. Campanas pulsandi jus habet Ecclesia,** tum quia fideles invitant ad ecclesiam, et, ruri præsertim, constituunt meliorem modum *plebem congregandi ;* tum quia ipse sonitus campanarum est actus cultus publici, et *publica fidei manifestatio,* fidelesque excitat ad lætitiam spiritualem, vel ad dolorem aut alios pios animi sensus.

Circa *modum* autem, curandum est ne *importune* pul-

sentur, sive quoad horam, sive quoad temporis productionem. Verum de his judicare ad Ecclesiam spectat. — *Cavagnis, Instit. jur. pub., lib. 4, n. 267 et seq.*

1315. **II. Campanæ benedicendæ sunt,** antequam suo loco reponantur : quæ quidem benedictio reservatur Episcopo, eadem lege qua cæteræ omnes benedictiones quæ *sacro chrismate* perficiuntur.

Nec potest Episcopus absque *indulto Apostolico* hanc facultatem simplicibus presbyteris *delegare.*

Idcirco ritus benedictionis campanarum describitur in *Pontificali Romano*, non in *Rituali.*

Attamen, si campana ad usum ecclesiæ *inservire non debeat*, adhiberi potest, a quolibet sacerdote, *benedictio simplex*, cujus formula nuper approbata est a S. C. Rit., *4 mart. 1892.*

a) Campanæ *nomen* imponitur ut distinguatur a non benedictis, tutelæ Sancti commendetur, et populus, quasi voce alicujus Sancti, ad ecclesiam vocari videatur. — *Bened. XIV, Instit. 47*, § *4.*

b) Etsi non ex præcepto, solent in ipsius benedictione assistere vir et femina, sub *patrini* et *matrinæ* denominatione.

Hanc ob causam, et etiam quia adhibetur aqua in hujusmodi benedictione, vulgo ipsa *baptismus* nominatur.

1316. **III. Campanæ solemniter benedictæ non debent usibus profanis inservire.** — *S. Cong. Rituum, 16 jul. 1594.*

Nihil tamen obstare videtur quominus primi Pastores sinant campanas pulsari in casu *periculi imminentis*, puta incendii aut inundationis, ut populus admonitus provocetur ad ferendum auxilium; vel etiam occasione *adventus Principis*, in signum honoris; siquidem adest in hujusmodi rerum adjunctis ratio aliqua virtutis, quæ ad finem supernaturalem quodam modo refertur. — *Icard, n. 561.*

1317. **IV. Ex lege civili de regimine municipiorum in Gallia, diei 5 apr. 1884 :**

a) « Les cloches des églises sont spécialement affectées aux cérémonies du culte.

» Néanmoins, elles peuvent être employées dans le cas de péril commun qui exige un prompt secours, et dans les circonstances où cet emploi est prescrit par les dispositions de lois ou règlements, ou autorisé par les usages locaux.

» Les sonneries religieuses, comme les sonneries civiles, feront l'objet d'un règlement concerté entre l'Évêque et le préfet...., et arrêté, en cas de désaccord, par le ministre des cultes. » — *Art. 100.*

b) « Une clef du clocher sera déposée entre les mains des titulaires ecclésiastiques, une autre entre les mains du maire, qui ne pourra en faire usage que dans les circonstances prévues par les lois ou règlements.

» Si l'entrée du clocher n'est pas indépendante de celle de l'église, une clef de la porte de l'église sera déposée entre les mains du maire. » — *Art. 101.*

CAPUT IV.

DE CŒMETERIIS.

Agendum est : de origine et historia cœmeteriorum ; — de jure Ecclesiæ quoad sepulturas; — de cœmeterii consecratione et benedictione; — de ejus pollutione et reconciliatione; — de iis quibus deneganda est sepultura ecclesiastica; — et de legislatione civili quoad cœmeteria et sepulturas.

ARTICULUS I.

DE ORIGINE ET HISTORIA CŒMETERIORUM.

1318. **I. Apud omnes fere gentes, etiam barbaras,** indignum et inhumanum visum est corpus hominis, qui cæteris animantibus dignitate præstat, *inhumatum* projicere, a volucribus ferisque bestiis dilaniandum ; imo *locus* humationis ipso facto *sacer* et *religiosus* habitus est.

a) Hunc hominum animis a natura inditum religionis et pietatis sensum *Catholica Ecclesia* semper fovit et auxit. Hinc vetustissima illa *cœmeteria* exstiterunt, et adhuc exstant, in quibus tot Christi Martyrum et fidelium exuviæ conditæ sunt. — *Soglia, Instit. juris priv.*, § *126.*

Appellantur *cœmeteria*, seu *dormitoria* (κοιμητήρια), quia Christiani in monumentis non tam quiescere quam dormire dicuntur, usque dum in *resurrectione universali* corpora evigilent, et ad feliciorem vitam a prolixiore somno suscitentur.

b) *Duplici* namque *dogmate* seu fundamento nituntur honores quos, inde a nascentis Ecclesiæ sæculo, fratrum suorum cineribus impenderunt Christifideles : futura nimirum corporum *resurrectione*, et sanctorum animæ æterna in cœlis *beatitate*, cujus et *ipsum corpus*, post ultima tempora, particeps erit.

1319. **II. Tribus prioribus Ecclesiæ sæculis,** nulla, neque in civitatibus, neque in templis proprie dictis, loca sepulturæ inveniuntur, sed, vel in monumentis juxta viam publicam erectis, vel in fornicibus et catacumbis, et in campis subterraneis.

Id probatur tum jure civili Romanorum, tum historiæ ecclesiasticæ monumentis. — *Cf. Vecchiotti, Instit. can., lib. 3, § 57 ; — Hornstein, Les sépultures, ch. 8 et 9.*

1320. **III. Sæculo quarto,** postquam ad Martyrum sepulchra ecclesiæ exstructæ sunt, illorumque reliquiæ ad basilicas translatæ, sensim sine sensu, alibi citius, alibi serius, in desuetudinem abiit pristina disciplina; et consuetudo prævaluit humandi in *oppidis*, et *urbibus*, imo *in ipsis ecclesiis*.

a) Et quidem primitus, ex quodam *privilegio*, Imperatoribus, Episcopis, presbyteris, viris religiosis sacrisque virginibus, nec non aliis dignitate conspicuis; successu autem temporis, hoc est sæculo nono, ex *benevola tolerantia*, omnibus indiscriminatim fidelibus humatio in ecclesiis permissa est.

b) Verumtamen, ex pluribus synodorum statutis apparet Ecclesiam summopere exoptasse ut pristinus in *cœmeteriis* sepeliendi usus restitueretur.

Ideo *Rituale Romanum*, jussu Pauli V editum, sic decernit, *tit. De exsequiis :* « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur ». — *Moulart, dissert. de sepultura et cœmeteriis, Lovan., 1862 ; — Vecchiotti, loc. cit.*

c) Si sepultura fiat *in ecclesia*, cadavera *prope altaria* non sepeliantur, et in tumbis profundis collocentur quorum operimenta solo æqualia sint. — *Constit. Pii V, Cum primum. — Cf. Rit. Rom., De exsequiis.*

Solis enim SS. Pontificibus, non exceptis etiam personis regalibus, competit prærogativa ut eorum corpora in conditoriis elevatis a terra reponantur.

1° Non comprehenditur in præfata dispositione Pii V *monumentum* cadavere vacans, etsi supra terram elevatum.

2° Obtinenda autem est apud nos *licentia Gubernii civilis* pro erigendis hujusmodi monumentis. — Nam, *ex decreto anni 1809, art. 73:* « Nul cénotaphe, nulles inscriptions, nuls monuments funèbres ou autres, de quelque genre que ce soit, ne pourront être placés dans les églises, que sur la

proposition de l'Évêque diocésain, et la permission de notre ministre des cultes. » — *Cf. n. 1335.*

1321. **IV. Nostro sæculo,** grassante atheismo sociali, pluribus in regionibus *auctoritas civilis* totam hanc de sepulturis materiam, veluti *sibi propriam*, vindicavit.

Ad *Galliam* quod attinet, prostat decretum organicum diei 12 junii 1804 (*23 prairial an XII*), vi cujus *potestas municipalis* facultatem *exclusivam* habet regendi quæ spectant ad sepulturas, sive communes, sive privatas.

Sepultura distincta pro *variis cultibus* sublata est lege diei 15 nov. 1881.

Denique, tum lege 5 apr. 1884 de regimine municipiorum, tum lege 15 nov. 1887 « *sur la liberté des funérailles* », accedente decreto 27 apr. 1889 quo *modus inhumationis*, imo *cremationis* ex hoc permissæ, determinatur, cœmeterium omnino *sæcularizatum* est. — *Cf. n. 1335 et seq., ubi de legislatione civili quoad cœmeteria et sepulturas.*

ARTICULUS II.

DE JURE ECCLESIÆ QUOAD SEPULTURAS.

1322. **I. Ecclesia sibi vindicat jus constituendi, pro sua associatione exclusive, cœmeteria** ritu sacro purgata et *sanctificata,* id est *separata* a sepulturis tum communibus, tum aliarum confessionum religiosarum.

a) Ecclesia auctoritatem supremam habet qua potest statuere quidquid pro sua communitate vel *necessarium* vel *utile* est. — Unde, sicut habet jus pro sua communione *templa* ædificandi quæ exclusive pro suo cultu sint destinata, sic quoque jus habet designandi *cœmeteria* quæ fidelium sepulturis unice inserviant. — *Cf. n. 19 et seq.*

b) Et, ut scite animadvertit *de Angelis*, illud admittendum est etiam juxta principia neoterica a schola *liberalium* adserta. Hi siquidem, cum admittant principium omnimodæ *libertatis cultus*, hoc Ecclesiæ Catholicæ jus denegare nequeunt.

Per summam proinde injustitiam contra Catholicos, et contra omnes alias sectas religiosas quæ exigunt cœmeteria confessionalia, status civiles et municipia construunt cœmeteria sic dicta *civilia* vel *municipalia*, in quibus omnium demortuorum cadavera conduntur, ad *quamcumque religionem pertinuerint* illi qui decesserunt, sive nullam professi sint religionem.

Ita *practice* impugnatur illud principium, hodie communiter a novatoribus admissum, nempe cœmeteria esse *essentialiter* proprietatis publicæ, seu *municipalia*, ut omnes de communitate ibi valeant tumulari post mortem, nulla habita ratione professi cultus religiosi. — *De Angelis, in tit. De sepulturis, num. 1.*

c) Equidem civilis auctoritas jus habet curandi ut ea serventur quæ *hygienem* et *publicam securitatem* respiciunt, v. gr. ne *citius* sepeliantur qui forsitan adhuc vivunt, vel *serius* cum corpora corrumpuntur, in contagiosis præsertim morbis; et Ecclesia leges de cætero justas, a civili auctoritate de hac re latas, *observare debet*, salva sua independentia. Sed, omnibus his suppositis quæ *accidentalia* sunt, Ecclesia sepulturam præstat ut actum religiosum, et sepulchrum habet ut locum religiosum. — *Cf. Cavagnis, Instit. jur. pub., lib. 4, n. 280 et seq.*

1323. **II. Ecclesia pariter sibi asserit auctoritatem judicandi quinam debeant admitti in suis cœmeteriis tumulandi**, et quinam sint ab iis excludendi. — Quod *ex iisdem principiis* deducitur.

a) Unde, injustitiæ, et non magis servatæ libertatis conscientiæ, redargui possunt illi qui cœmeteria catholica violare præsumunt, inferentes in ea illorum cadavera qui *vel diversæ sint religionis*, vel ab auctoritate ecclesiastica *indigni* habeantur istius juris et privilegii.

1° Si enim societas ex catholica facta est mixtæ religionis, ad summum id poterit exposci, ut pro asseclis aliorum cultuum construantur *alia cœmeteria*, non vero quod catholicum violetur.

2° Ubi vero cœmeterium publicum construendum de novo

est, ad minimum exigere potuerunt catholici ut *pars* pro sua confessione deputetur, eaque *dividatur* a reliquo quod, vel pro aliis confessionibus subdividatur, vel pro iis, quemadmodum malunt, indivisum maneat. — *De Ang., loc. cit.* — *Cf. resp. S. C. de Propag., 16 apr. 1862.*

b) Ex mente tamen Sedis Apostolicæ *toleratur ut* in sepulchris gentilitiis, quæ *privata* et particularia pro catholicis laicorum familiis ædificantur, cognatorum et affinium etiam *acatholicorum* corpora tumulentur, quatenus absque scandalo et periculo Episcopi obtinere non possunt ut cuncta fiant ad normam sacrorum canonum. — *S. C. S. O., 30 mart. 1859; 25 apr. 1860.*

Hæc tolerantia intelligenda est mere *passiva,* ad præcavenda majora mala. — *Epist. S. C. S. Officii ad Episc. Statuum Fœderat., an. 1889.*

1324. **III. Actio funeris, et deductio ad cœmeterium, est cæremonia essentialiter ecclesiastica.**

a) Unde fiet modo omnino religioso, et juxta præcepta *Ritualis Romani,* et illis tantum adhibitis pompis quæ mœstam hanc decent ecclesiasticam functionem.

b) Non excludit quidem Ecclesia quod in funeris pompa ratio habeatur *dignitatis civilis* aut *muneris* a defuncto exerciti; sed quidquid pertinet ad *sectas damnatas* in funeribus esse eliminandum, facili negotio argui potest.

Imo, clerus procedere nequit ad sepulturam defuncti cujus funeribus *Massones* cum suis insignibus, vel etiam sine insignibus, *ut societas,* adsunt, vel cujus feretrum *insignibus* societatis damnatæ ornatur. — *Cf. n. 1334 et 1282.*

c) Ex hac pariter ratione, antiquissimo usu et legibus synodalibus receptum est, ut *orationes funebres* pro aliquo defuncto in ecclesia non recitarentur, nisi a *clerico,* post Missam expletam; et *laudationes publicæ in cœmeterio* a laicis ad populum non fiant sine licentia auctoritatis ecclesiasticæ. — *De Angelis, loc. cit., num. 5.*

1325. **IV. Terra pro sepultura fodienda vendi non debet,** *ex dispositione cap. 13, De sepulturis,* ubi contraria consuetudo reprobatur.

Attamen, ad rectam hujus capitis interpretationem, quædam hic *notanda sunt*, ex citati Auctoris commentariis excerpta :

a) Omnes Doctores conveniunt posse esse materiam contractus emptionis, venditionis, *locum profanum*, seu *fundum* pro ædificanda sepultura.

b) Praxis communissima docet posse quoque pretium intervenire pro *cedenda capella in ecclesia* ad sepulturam; et quidem absque beneplacito Apostolico, si sepultura *construenda* sit, quia non emitur capella consecrata, sed datur pretium pro *loco honorabiliore*.

Si autem conceditur usus capellæ seu sepulturæ *jam constructæ*, requiritur beneplacitum Apostolicum.

c) Etiam in cœmeteriis *benedictis*, seu *sacratis*, pro loco honorabiliori, ex eadem ratione, potest peti et dari pretium, cum non vendatur locus, sed, pro honore et *præeminentia* non debita, detur pecunia.

d) Ubi est consuetudo, pariter admittitur ut, pro loco communi in cœmeterio, solvatur *taxa* quæ dicitur *taxa sepulturæ;* atque hujus quidem taxæ pendendæ ratio est *partialis reintegratio summæ expensæ* pro cœmeterii ædificatione, et *sumptuum* qui fiunt pro conservatione et custodia ejusdem loci.

e) Verum pro *pauperibus* sepultura debet esse gratuita; et quod in istis exactionibus jure reprehenditur, est *modus vexatorius* quo fiunt : ut non detur licentia sepeliendi nisi fuerit summa pecuniæ soluta, quod constituit irrationabilem et omnino abolendam consuetudinem; de quo ultimo casu, ut advertunt Doctores, dispositio *cap. 13* est intelligenda. — *De Ang., ibid., num. 5.*

1326. **V. Ecclesia corpora fidelium exenterare, aut in frusta concidere, aut igne decoquere generaliter non permisit**, eo quod *templa Dei* fuerint, Christi sacramentis sæpius refecta et *sanctificata ;* sed ea in cœmeteriis condi curavit et sepeliri, quatenus ibi naturaliter consumantur, omni violenta actione hominis exclusa. — *Cf. extravag. Detestandæ feritatis, De sepult., inter comm.*

Hæc decretalis non ita tamen est intelligenda ut nunquam dentur *casus extraordinarii* in quibus, ob legitimam causam, talis exenteratio aut concisio membrorum *legitima evadat.*

a) Porro, id non videtur interdictum ad anatomiam corporis faciendam pro *scientiæ medicæ progressu*, vel ad despiciendum si *crimen homicidii* sit admissum, sicut pluries tribunalia civilia id fieri præscribunt.

b) Item aliquoties id impune fieri tradunt Auctores, ut *debitus honor* exhibeatur cadaveribus Regum, Principum, aliorumque, qui frequenter petunt corpora sua dividi, aromatibus condiri, et alibi sepeliri cor, alibi alia membra. — *Cf. de Angelis, loc. cit., num. 6.*

Cæterum, abusus quodammodo impediuntur ex eo quod in omnibus istis casibus intervenire debeat *venia auctoritatis politicæ,* quæ privatum ausum gravibus plectit pœnis. — *Cf. decret. diei 27 apr. 1889, art. 3.*

1327. **VI. Nostris temporibus usum cremationis cadaverum** subrogare nonnulli contendunt vetustissimo modo sepeliendi defunctorum cadavera. — *Cf. decret. potestatis civilis in Gallia, 27 apr. 1889, tit. 3.*

Porro, « non pauci sacrorum Antistites cordatique Christifideles, animadvertentes ab hominibus vel dubiæ fidei, vel massonicæ sectæ addictis, magno nisu hodie contendi ut et *ethnicorum usus* de hominum cadaveribus *comburendis* instauretur, atque in hunc finem *speciales etiam societates* ab iisdem institui : veriti ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in eis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam, constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium corpora *humandi* : ut aliqua certa norma iisdem fidelibus præsto sit qua sibi a memoratis insidiis caveant, a Suprema Sac. Rom. et Univ. Inquisitionis Congregatione *declarari postularunt* :

» 1° An licitum sit *nomen dare* societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera ?

» 2º An licitum sit *mandare* ut sua aliorumve corpora comburantur?

» Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Cardinales in rebus fidei generales Inquisitores, suprascriptis dubiis serio ac mature perpensis, præhabitoque DD. Consultorum voto, respondendum censuerunt :

» *Ad primum, Negative; et, si agatur de societatibus Massonicæ sectæ filialibus, incurri pœnas contra hanc latas.*

» *Ad secundum, Negative.*

» Factaque de his Sanctissimo D. N. Leoni Papæ XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa detestabilem abusum corpora cremandi, atque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant. » — *Decret. 19 maii 1886. — Cf. n. 1333.*

ARTICULUS III.

DE CŒMETERII CONSECRATIONE ET BENEDICTIONE.

1328. **I. Cœmeterium, ut humandis Christifidelibus sit aptum, prævia consecratione vel benedictione est sanctificandum.**

a) Cœmeterium *consecratur*, vel per Episcopum, vel per sacerdotem a Romano Pontifice delegatum, ritibus in Pontificali Romano descriptis.

Benedicitur vero per Episcopum, vel per sacerdotem ab Episcopo delegatum. — *Cf. Rituale Romanum.*

Superiores regulares privilegium habent benedicendi ecclesias et cœmeteria in locis sibi subjectis.

b) Vi consecrationis et benedictionis, cœmeteria fiunt *loca sacra*, habenturque a sacris canonibus veluti appendix ecclesiarum.

Quapropter, iisdem *privilegiis, immunitate* et *jure asyli* fruuntur; et quod fieri prohibetur in ecclesiis, ob loci sanc-

titatem, in cœmeteriis eodem jure vetitum est. — *Cf. num. 1282 et seq.*

c) Ideo, in civitatibus et pagis necesse est, vel ut plura sint cœmeteria, vel ut pars cœmeterii non benedicta *separata* habeatur quæ servetur iis quibus sacra sepultura deneganda est.

d) Sepulchrum quod foditur in *cœmeterio benedicto*, in sepultura benedicendum non est, quia totus locus ad hunc usum jam benedictus est. – *S. C. Rit., 27 maii 1876.*

e) Sepulchrum tamen in sepultura *benedicendum est :*
1º Si in cœmeterio novum ex *lapidibus* construatur sepulchrum, quod ratione *novæ materiæ* benedicendum est.
2º Si quis *in ecclesia* sepeliatur, quia ecclesia non est benedicta in usum sepulchrorum, nisi locus *in alterius sepultura* fuerit benedictus.
3º Quando, ex *urgente necessitate*, corpora defunctorum in ecclesiis aut cœmeteriis benedictis sepeliri non possunt, ut tempore pestis et belli, etc.
Tunc adhibenda est *benedictio brevis* in Rituali Romano adsignata; nec ulla requiritur delegatio ad hanc impertiendam. — *De Herd, Sacræ Liturgiæ praxis, tom. 3, n. 256.*

f) Mandat Rituale Romanum ut, ubi fieri potest, sepulchra *clericorum* a sepulchris laicorum separata sint, et decentiori loco sita; ut locus quoque separatus sit pro sepultura *parvulorum baptizatorum.*

1329. **II. Hodie novus et lugendus sane invaluit usus** quo, in nonnullis locis, propter immixtionem *potestatis civilis* in materia sepulturæ, ad *promiscuam* omnium civium humationem destinantur cœmeteria, quæ ideo non possunt *generali* benedictione initiari. — *Cf. n. 1338.*
Cum tamen omnis fidelis in communione Ecclesiæ defunctus debeat in loco benedicto sepeliri, in tali casu sacerdos qui fidelium corpora ad sepulchrum comitatur, *singulis* destinatam fossam prius *benedicat* quam humo cadaver mandetur. — *Cf. Rituale Rom.; — et resp. Sacræ Cong. de Propaganda Fide, 16 apr. 1862.*

ARTICULUS IV.

DE CŒMETERII POLLUTIONE ET RECONCILIATIONE.

1330. **I. Cœmeterium iisdem actibus polluitur quibus pollui ecclesiam diximus.** — *Cf. n. 1279.*

a) Præterea, cœmeterium *per ecclesiæ pollutionem,* si contiguum ei sit, hoc est, si ecclesiæ parietes immediate tangat, polluitur, adeoque reconciliatione prorsus distincta indiget. — *Cap. unic., De consecr. Eccles., in 6o.*

b) Verum, cœmeterio ipso polluto, *ecclesia non polluitur.* — Cœmeterium enim est accessorium ecclesiæ, non autem ecclesia cœmeterii.

1331. **II. Cœmeterii reconciliatio,**

a) Si *consecratum* antea fuerit, facienda est ab *Episcopo* diœcesis in qua situm est, ritibus in *Pontificali Romano* descriptis.

Simplex autem *sacerdos* nonnisi ex delegatione *Summi Pontificis* id præstare potest.

b) Cœmeterium dumtaxat *benedictum* reconciliari quoque debet ab Episcopo, ut patet ex *Rituali Romano.*

Verum Episcopus simplicem sacerdotem ad perficiendam hanc reconciliationem *delegare* potest.

1332. **III. Si pollutio ecclesiæ, vel cœmeterii, ex sepultura indignorum advenerit,** in primis eorum corpora debent *exhumari.* — *Cap. 12, De sepulturis.*

a) Verum animadvertendum est cœmeterium non pollui nisi per sepulturam infidelium, et excommunicatorum qui sunt *vitandi.* — *Cf. n. 1279.*

b) Et, si corpora quæ exhumanda sunt, ab aliis *discerni nequeant,* non expedit ut cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium. — *Cap. Sacris, 12, De sepulturis.*

Præterea, apud nos, ratio habenda esset *legis* qua *prohibetur* ne fiant exhumationes absque magistratus civilis licentia. — *Cf. n. 1342.*

ARTICULUS V.

DE IIS QUIBUS DENEGANDA EST SEPULTURA ECCLESIASTICA.

Sepultura ecclesiastica, considerata ut *jus*, communiter definitur : Jus spirituale competens fidelibus pie demortuis, ut condantur eorum cadavera in loco, auctoritate Episcopi, vel privilegio Pontificio, ad hoc deputato. « Nemo (enim) christianus, in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam, aut cœmeterium rite benedictum, sepeliri debet. » — *Rit. Rom., De exsequiis.*

1333. I. **Verum sepultura ecclesiastica donandi non sunt :**

a) *Omnes qui non sunt Ecclesiam per Baptismum ingressi.* Ideoque excluduntur :

1° Pagani, Judæi, et, in genere, omnes infideles. — *Cf. can. Ecclesiam, 28, dist. 1, De consecr.*

2° Infantes, nati etiam ex fidelibus, qui e vita absque Baptismate excesserunt, ut docet *Rituale Romanum, tit. De exsequiis.*

Si autem in defunctæ matris utero proles obierit, neque ab utero fuerit extracta, *cum matre*, cujus pars esse censetur, in loco sacro sepelienda est.

3° Catechumeni, quia nondum sunt in Ecclesiæ gremium recepti. — *Ita communiter.*

b) Qui *divisi sunt a cœtu fidelium*, nempe :

1° Hæretici notorii, eorumque credentes, receptores, fautores et defensores (*cap. 13, De hæreticis*), etiamsi hæresis post mortem eorum fuerit detecta. — *Cf. cap. 6, c. 24, q. 2.*

2° Schismatici quoque et apostatæ. — *Cf. Rituale Romanum, ubi De exsequiis.*

3° Item excommunicati, nisi fuerint in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati. — *Cf. n. 1608.*

4° Interdicti nominatim, et ii qui sunt in loco interdicto. — *Cap. 20, De sent. exc., in 6°.* — *Cf. n. 1637.*

c) *Morientes in duello*, etiamsi ante mortem non incerta

dederint pœnitentiæ signa, atque etiam a peccatis et censuris absolutionem obtinuerint. — *Trid., sess. 25, cap. 19, De ref.; — constit. Detestabilem, Bened. XIV, 5 idus novembr. 1752.*

Sepultura ecclesiastica deneganda est, etiam si quis *extra locum conflictus* decedat, ex suscepto in duello vulnere. — *Bened. XIV, constit. cit.*

De prava duellorum consuetudine, cf. epistolam Leonis XIII, *Pastoralis officii*, 22 sept. 1891. — *Cf. n. 1658.*

d) *Seipsos occidentes* ob desperationem vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ. — *Cap. Placuit, caus. 23, q. 5.*

1° Crimen suicidii non est supponendum, sed id plene *probandum est*; quandoque enim, ut scite animadvertit *de Angelis*, edicta sunt suicidia quæ non erant nisi homicidia dolose perpetrata. — *In dubio* igitur non est quis sepultura ecclesiastica privandus.

2° Quando autem constitit suicidium commissum esse, non semper est retinendum quod acciderit *ex insania*, prout hodie communiter dictitatur, et Doctores aliqui, plus æquo modernis placitis indulgentes, admittunt, ad hoc ut suicidæ omnes sepultura ecclesiastica donentur; sed potius *ex facti et personarum circumstantiis* est despiciendum an ex desperatione, aliaque injusta imputabili causa, vel potius ex insania hoc advenerit. — *De Angelis, loc. cit., n. 8.*

3° Et, si *dubium* supersit utrum mortem quis sibi dederit per desperationem aut per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum. — *S. C. S. O., 22 feb. 1887.*

e) *Qui impie decesserunt.* — Et sic excluduntur :

1° Usurarii manifesti, nisi de usuris acceptis satisfecerint, vel idoneam saltem cautionem de restituendis usuris dederint. — *Cap. 2, De usuris, in 6°.*

2° Raptores et violatores ecclesiarum, nisi pœnitentes restituerint, vel de restituendo caverint. — *Cap. 2, De raptoribus.*

3° Blasphemantes Deum, vel aliquem Sanctorum et

maxime B. M. V., nisi pœnam ab Episcopo impositam acceperint. — *Cap. 2, De maledicis.*

4º Regulares decedentes cum illicita proprietate, nisi, resignatione facta, pœnituerint. — *Cap. 2, 4, 6, De statu Monachorum.*

5º Manifesti et publici peccatores qui sine pœnitentia perierunt. — *Rit. Rom.*; — *cap. 16 et 31, causæ 13, q. 2.*

Unde, arcendi sunt, non solum ii qui in *habitu* publice noto criminis, sed et omnes qui in *notorio* ac *certo peccato mortali* absque pœnitentia decedunt, ut qui in actuali furto et rapina, fornicatione, adulterio, et hujusmodi, occiduntur.

Item, illi quos palam et notorie constat omnem respuere religionis actum, ex impietate et contemptu, prout si palam et coram testibus *respuant sacramenta in ultimo morbo*, et in peccato indurati moriantur.

6º Ii de quibus publice constat quod semel in anno non susceperint sacramenta confessionis et communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt. — *Rit. Rom., loc. cit.*; — *cap. Omnis utriusque, 12, De pœnit. et remiss.*

Verum ut isti privari debeant sepultura ecclesiastica, communiter requiritur *notoria* intermissio præcepti paschalis, per *plures annos* continuata. — *Cf. de Angelis, in tit. De sepult., n. 8.*

7º Ii « qui propria voluntate cremationem elegerunt (*cf. n. 1327*), et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseveraverunt ». — *S. C. S. O., 15 dec. 1886.*

« In casibus autem particularibus, in quibus *dubium* vel *difficultas* oriatur, *consulendus est Ordinarius*, qui, accurate perpensis omnibus adjunctis, id decernet quod magis expedire in Domino judicaverit. » — *Ibid.*

Eadem S. Congregatio decrevit « quoties agitur de iis quorum corpora, non propria ipsorum, sed *aliena voluntate* cremationi subjiciantur, *Ecclesiæ ritus et suffragia* adhiberi posse tum domi, tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, *remoto scandalo*. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse ». — *Ibid.*

1334. **II. Lex qua sepultura ecclesiastica denegatur, ultra personas expressas non debet extendi.**

a) Cum in pœnis mitior interpretatio sit tenenda, in *dubio*, sive *juris*, ubi de ipsa legis exsistentia et comprehensione quæritur, sive *facti*, num scilicet in legis adjunctis factum prodierit, ea eligenda est pars quæ, salvis rectis de legis *odiosœ* interpretationis regulis, personis magis faveat.

Et, cum denegatio sepulturæ sit res gravissima, quæ sæpe molestias affert, Rituale Romanum jubet ut, ubi in casibus prædictis *dubium* occurrerit, *Ordinarius consulatur*. — *Rit. Roman., loc. cit.*

Cavendum est igitur, tum a *nimio rigore*, ne turbæ excitentur, tum a nimia *indulgentia*, ne scandalum fideles patiantur, et religionis sanctitas lædatur.

b) Si ecclesiastica sepultura negari non potest sine *gravi incommodo*, culpa caret mortuum efferre ritu catholico eique solemnia funerum solvere, dummodo hæc non extorqueantur *in contemptum Ecclesiœ*, et dummodo defunctus non efferatur, signis *massonicis* feretro aut vexillis appositis. — *Cf. epist. Pii IX, ad Archiep. Paris., 26 oct. 1865.* — *Zitelli, loc. cit.*

c) S. Pœnitentiaria, die 20 mart. 1885, sancivit « quod si *publici excommunicati* et *publici peccatores* nondum Ecclesiæ conciliati, sed *cum signis resipiscentiœ* decesserint, donentur quidem, hisce signis evulgatis, ecclesiastica sepultura, sed absque pompis et solemnitatibus exsequiarum ».

d) Qui *sectœ Massonum* aliisque societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt, ecclesiastica sepultura privantur, quæ illis, etiamsi collata fuerint sacramenta, denegari debet *si postulaverint sepeliri cum signis sectœ*, et hanc voluntatem postea non retractaverint.

Quod si, *perversa aliorum opera*, contra defuncti votum emblemata sectæ feretro apposita fuerint, cognita eorum appositione, statim amoveri jubendum est, et omnino ante associationem cadaveris amoveantur. — *S. Pœnit., ibid., ad dub. 18.*

ARTICULUS VI.

LEGISLATIO CIVILIS QUOAD CŒMETERIA ET SEPULTURAS.

1335. **I. Des sépultures et des lieux qui leur sont consacrés.**

a) Aucune inhumation n'aura lieu dans les *églises, temples, synagogues, hôpitaux, chapelles publiques*, et généralement dans aucun des édifices clos et fermés, où les citoyens se réunissent pour la célébration de leur culte, ni dans l'enceinte des villes et des bourgs. — *Décret du 12 juin 1804* (*23 prairial an XII*), *art. 1.*

Les inhumations ne peuvent avoir lieu dans l'intérieur des hospices, pas même pour les religieuses et Supérieures qui les desservent. — *Décis. minist., 1862.*

1º L'usage s'est introduit d'inhumer les Évêques et les Archevêques dans leurs cathédrales, et quelquefois les curés dans leurs églises; mais l'autorisation du Gouvernement est nécessaire. — *Circul. minist., 14 déc. 1831; — Cons. d'État, 19 juillet 1872; et 8 août 1873.*

2º Lorsqu'il s'agit d'inhumations dans une chapelle qui n'a pas d'existence légale, il appartient au maire de les autoriser, en exécution des articles 14 et 16 du décret du 23 prairial an XII. — *Décis. du 3 sept. 1868.*

3º Une fabrique ne peut être autorisée à céder à une famille une chapelle ou un caveau pour en faire un lieu de sépulture. — *Avis du comité de législ., 12 fév. 1841.*

La condition mise à une donation d'église d'y être inhumé, ne peut être acceptée. — *Décis. minist., 1868.*

b) Il y aura, *hors des villes et bourgs*, à la distance de 35 à 40 mètres au moins de leur enceinte, des terrains spécialement consacrés à l'inhumation des morts. — *Décret du 12 juin 1804, art. 2.*

1º Dans les communes, qui n'ont pas d'*enceinte proprement dite*, la jurisprudence du Conseil d'État interprète la prescription de cet article en ce sens que les cimetières doivent être établis à 35 ou 40 mètres de la *masse des habi-*

tations agglomérées, qui seraient comprises dans l'enceinte, si l'on en construisait une. — Il faut, d'ailleurs, que le cimetière soit séparé, par cette distance, des murs de clôture des *jardins* qui ont une étendue restreinte, et sont compris dans la même clôture que les maisons. — *Conseil d'État, 29 janv. et 12 mars 1862; 16 avril 1863.*

2° Les terrains les plus élevés et exposés au nord seront choisis de préférence; ils seront clos de murs, à deux mètres au moins d'élévation. On y fera des plantations, en prenant les précautions convenables pour ne point gêner la circulation de l'air. — *Décret du 12 juin 1804, art. 3.*

3° Pour éviter le danger qu'entraîne le renouvellement trop rapproché des fosses, l'ouverture des fosses pour les nouvelles sépultures n'aura lieu que de cinq années en cinq années; en conséquence, les terrains destinés à former les lieux de sépulture seront cinq fois plus étendus que l'espace nécessaire pour y déposer le nombre présumé des morts qui peuvent y être enterrés chaque année. — *Décrets du 12 juin 1804, art. 6; — du 29 nov. 1889, art. 14.*

4° Les acquisitions pour agrandir les cimetières insuffisants, ou pour le transfert, sont autorisées par le préfet, si elles remplissent le vœu de la loi. — *Décret du 25 avril 1852; — décision minist., 2 avril 1850.*

c) Toute personne pourra être enterrée *sur sa propriété*, pourvu que ladite propriété soit hors et à la distance prescrite de l'enceinte des villes et bourgs. — *Décret du 12 juin 1804, art. 14.*

1° Le droit des particuliers d'être enterrés sur leurs propriétés n'est pas absolu. Il est subordonné à l'autorisation du maire, sauf recours à l'autorité supérieure, en cas de refus. — *Cass., 14 avril 1838; 11 juillet 1856.*

L'autorisation devrait être renouvelée pour l'inhumation d'un nouveau membre de la famille, la loi ne permettant pas la création de cimetières particuliers, même pour l'usage restreint d'une famille.

2° Une communauté quelconque, civile ou religieuse, ne saurait être autorisée, une fois pour toutes, à ouvrir un cimetière particulier destiné à l'inhumation de ses membres.

L'autorisation doit être spéciale, et renouvelée pour chaque personne.— *Avis du cons. d'État du 12 mai 1846; — décision du ministre des cultes, 1er oct. 1851.*

1336. **II. De l'établissement, de l'entretien, et de la translation des cimetières.**

a) « Sont obligatoires pour les communes.... la clôture des cimetières, leur *entretien* et leur *translation* dans les cas déterminés par les lois et les règlements d'administration publique. » — *Loi munic. du 5 avril 1884, art. 133.*

1° D'après l'art. 37 du décret du 30 déc. 1809, les *fabriques* devaient veiller à l'*entretien* des cimetières. L'article de la loi municipale que nous venons de citer, ayant mis sans restriction cet entretien à la charge des *communes,* il semblait que les fabriques ne devaient plus y être tenues.

2° Et cependant la Cour de cassation, par un arrêt du 30 mai 1888, et le ministre de l'intérieur, par une circulaire du 26 février 1891, déclarent que les *grosses réparations* des cimetières seules sont à la charge des *communes,* et que l'*entretien* incombe aux *fabriques,* à moins qu'elles ne justifient de l'insuffisance de leurs revenus !

b) Les communes qui seront obligées d'abandonner les cimetières actuels et de s'en procurer de *nouveaux* hors de l'enceinte de leurs habitations, pourront, sans autre autorisation que celle qui leur est accordée par la déclaration du 10 mars 1776, *acquérir* les terrains qui leur seront nécessaires, en remplissant les formes voulues par l'arrêté du 7 germinal an IX. — *Décret du 12 juin 1804, art. 7.*

1° Les anciens cimetières qui *appartenaient* autrefois aux *fabriques,* et qui ont continué à servir aux inhumations après 1801, sont considérés par la jurisprudence administrative comme ayant été *restitués* non aux fabriques, mais aux *communes.* — *Décis. du ministre des cultes, des 11 avril 1825, et 17 juillet 1854. — Cf. n. 1344.*

2° L'administration des cultes refuse invariablement aux fabriques le droit d'acquérir des cimetières. — *Avis du conseil d'État des 15 mars, 27 sept. 1833, etc.; — circulaire du minist. des cultes, 10 août 1862.*

c) Aussitôt que les nouveaux emplacements seront disposés à recevoir les inhumations, les cimetières existants seront *fermés*, et resteront dans l'état où ils se trouveront, sans que l'on en puisse faire usage pendant cinq ans. — *Décret du 12 juin 1804, art. 8.*

1º A partir de cette époque, les terrains servant maintenant de cimetières, pourront être *affermés* par les communes auxquelles ils appartiennent ; mais à condition qu'ils ne seront qu'ensemencés ou plantés, sans qu'il puisse y être fait aucune fouille ou fondation pour des constructions de bâtiment, jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné. — *Décret du 12 juin 1804, art. 9.*

2º Des dispositions de la loi du 15 mai 1791, et du décret du 23 prairial an XII, il résulte qu'aucune *fouille*, ou *fondation* pour construire un bâtiment, ne peut avoir lieu dans les terrains affectés aux sépultures, que dix ans après l'époque où il a cessé d'avoir cette destination. — *Bulletin du minist. de l'intérieur, 1860.*

d) La translation du cimetière, lorsqu'elle deviendra nécessaire, sera ordonnée par un *arrêté du préfet*, le conseil municipal de la commune entendu. Le préfet déterminera également le nouvel emplacement du cimetière, sur l'avis du conseil municipal, et après enquête *de commodo et incommodo*. — *Ordonn. du 6 déc. 1843, art. 2.*

1º Si le propriétaire refuse de délivrer son terrain, il peut y avoir expropriation. — *Cons. d'État, 27 oct. 1830, et 4 sept. 1833.*

2º Les dispositions des titres 1 et 2 du décret du 23 prairial an XII, qui prescrivent la *translation* des cimetières hors des villes et bourgs, peuvent être appliquées à toutes les communes du royaume. — *Ordonn. du 6 déc. 1843, art. 1.*

Cependant l'extension de ces dispositions aux communes *rurales* est *facultative* pour l'administration.

e) Nul ne pourra, sans autorisation, *élever aucune habitation,* ni creuser aucun puits, à moins de 100 mètres des nouveaux cimetières transférés hors des communes en vertu des lois et règlements. — *Décret du 7 mars 1808, art. 1.*

1° Les bâtiments existants ne pourront également être restaurés ni augmentés sans autorisation. Les puits pourront, après visite contradictoire d'experts, être comblés en vertu de l'ordonnance du préfet du département, sur la demande de la police locale. — *Décret du 7 mars 1808, art. 2.*

2° Les dispositions de ce décret ne s'appliquent qu'aux nouveaux cimetières, et non pas aux anciens qui n'ont pas été transférés. — *Déc. minist., 17 mars 1838.*

f) « Dans les communes *rurales*, il sera réservé, devant et autour des églises, sur le terrain des anciens cimetières qui seraient affermés ou aliénés, une place et un *chemin de ronde* de dimensions convenables. » — *Conseil d'État, 25 janv. 1807.*

Le ministre des cultes, dans une lettre du 16 mai 1877, reconnaît que l'établissement d'un pareil chemin, quand il n'existe pas, constitue un motif suffisant *d'expropriation*.

1337. **III. Des concessions de terrains dans les cimetières.**

a) Lorsque l'étendue des lieux consacrés aux inhumations le permettra, il pourra y être fait des *concessions de terrains* aux personnes qui désireront y posséder une place distincte et séparée, pour y fonder leur sépulture et celle de leurs parents ou successeurs, et y construire des caveaux, monuments ou tombeaux. — *Décret du 12 juin 1804, art. 10.*

1° Les tombeaux, ainsi que le sol qui les porte, constituent une *propriété particulière*, placée au-dessus des règles ordinaires du droit sur la propriété et la disposition des biens, et ne peuvent pas être compris dans la masse partageable de l'hérédité pour fixer la quotité disponible. — *Cassation, 7 avril 1857.*

2° Cependant, les tombeaux de famille appartenant aux héritiers dans la proportion de leur *part héréditaire*, chacun d'eux a le droit de faire inhumer tous les siens dans le tombeau de famille, sous la double condition de se conformer aux prescriptions de l'autorité, et de respecter le droit

de ses cohéritiers. — *Jugement du tribunal civil de la Seine, 24 déc. 1856.*

3° Une concession perpétuelle ne confère pas un droit de propriété, mais un droit *d'usage* et de *jouissance,* avec affectation spéciale et nominative. — *Circul. du minist. de l'int., 20 juill. 1841, 30 déc. 1843.*

4° Une concession perpétuelle ne pourrait être ni *donnée* ni *vendue*, ni faire l'objet d'aucune transaction particulière. — *Cassation, 7 avril 1857.*

5° Les communes n'ont pas la faculté de céder ou d'affermer le droit d'accorder des concessions dans les cimetières. — *Avis du conseil d'État, 7 sept. 1832.*

6° Les concessionnaires doivent se conformer aux *arrêtés des maires* qui les concernent, sous peine d'être traduits devant le tribunal de simple police, si, par exemple, ils mettaient une clôture en maçonnerie, quand le maire n'a autorisé qu'une simple balustrade. — *Cass., 14 octobre 1834.*

b) Les concessions de terrains dans les cimetières communaux, pour fondations de sépultures privées, seront à l'avenir divisées en trois classes : concessions *perpétuelles,* concessions *trentenaines,* concessions *temporaires.*

1° Aucune concession ne peut avoir lieu qu'au moyen du *versement d'un capital,* dont deux tiers au profit de la commune, et un tiers au profit des pauvres ou des établissements de bienfaisance.

2° Les concessions trentenaires seront *renouvelables* indéfiniment à l'expiration de chaque période de 30 ans, moyennant une nouvelle redevance qui ne pourra dépasser le taux de la première.

A défaut de paiement de cette nouvelle redevance, le terrain concédé fera *retour à la commune ;* mais il ne pourra cependant être repris par elle que *deux années* révolues après l'expiration de la période pour laquelle il avait été concédé ; et, dans l'intervalle de ces deux années, les concessionnaires, ou leurs ayants cause, pourront user de leur droit de renouvellement.

3° Les concessions *temporaires* seront faites pour 15 ans

au plus, et ne pourront être renouvelées. — *Ordonnance du 6 déc. 1843, art. 3.*

c) En cas de *translation d'un cimetière,* les concessionnaires ont droit d'obtenir, dans le nouveau cimetière, un *emplacement* égal en superficie au terrain qui leur avait été concédé; et les restes qui y avaient été inhumés seront transportés aux frais de la commune. — *Ibid., art. 5.*

D'après la jurisprudence, la dépense qu'entraîne le *transport des matériaux* des tombes est également considérée comme incombant à la commune.

d) Les concessions, dans le cas où il n'y a point de caveau de famille, ne peuvent recevoir *plusieurs corps,* que si *cinq années* au moins séparent chaque inhumation, ou si les corps ont été placés de manière que la profondeur réglementaire soit observée dans la dernière inhumation.— *Décret du 27 avril 1889, art. 14.*

e) Aux termes des articles 68, § 7, et 69 de la loi municipale du 5 avril 1884, combinés avec le décret du 25 mars 1852, les *délibérations* des conseils municipaux sur le tarif des concessions dans les cimetières sont actuellement soumises à l'*approbation du préfet.*

1338. **IV. De la police des cimetières.**

a) *La police municipale comprend :* « Le mode de transport des personnes décédées, les inhumations et exhumations, le maintien du bon ordre et de la décence dans les cimetières, sans qu'il soit permis d'établir des distinctions ou des prescriptions particulières à raison des croyances ou du culte du défunt, ou des circonstances qui ont accompagné sa mort ». — *Loi municipale de 1884, art. 97,* § *4.* — *Loi du 15 nov. 1881.*

b) Aucune *inscription* ne pourra être placée sur les pierres tumulaires ou monuments funèbres, sans avoir été préalablement soumise à l'approbation du maire.—*Ordonn. du 6 déc. 1843.*

Le nom même du défunt et la date de la mort devraient être soumis à l'autorité administrative. Mais en pratique

cela ne se fait jamais. L'autorité locale pourrait faire effacer une inscription qui serait jugée inconvenante.

c) Les *fossoyeurs* sont nommés et révoqués par les maires. — *Déc. minist., 12 juin 1838, 27 juill. 1870.*

Ils sont payés par les communes. — *Avis du cons. d'État, 8 mai et 7 sept. 1825.*

Les clefs des cimetières restent entre les mains des autorités municipales; et, d'après la jurisprudence du ministre de l'intérieur, le curé n'a pas le droit d'en exiger une.

d) Sera puni d'un emprisonnement de 3 mois à 1 an, et de 16 francs à 200 francs d'amende, quiconque se sera rendu coupable de *violation de tombeaux ou sépultures;* sans préjudice des peines contre les crimes ou délits qui se seraient joints à celui-ci. — *Code pénal, art. 360.*

1339. **V. Des funérailles.**

a) « Toutes les dispositions légales relatives aux *honneurs funèbres* seront appliquées, quel que soit le caractère des funérailles, civil ou religieux. » — *Loi du 15 nov. 1887, article 1er.*

« Il ne pourra jamais être établi, même par voie d'arrêté, des prescriptions particulières applicables aux funérailles en raison de leur caractère civil ou religieux. » — *Art. 2.*

b) « Tout majeur ou mineur émancipé, en état de tester, peut *régler les conditions de ses funérailles,* notamment en ce qui concerne le caractère civil ou religieux à leur donner, et le mode de sa sépulture.

» Il peut charger une ou plusieurs personnes de veiller à l'exécution de ses dispositions. — Sa volonté exprimée dans un testament ou dans une déclaration faite en forme testamentaire, soit par-devant notaire, soit sous signature privée, a la même force qu'une *disposition testamentaire* relative aux biens; elle est soumise aux mêmes règles quant aux conditions de la révocation.

» Un règlement d'administration publique déterminera lee conditions applicables aux divers modes de sépulture. (Ce règlement a été porté par un décret du 27 avril 1889. — *Cf. n. 1341 et 1342.*)

» Toute contravention aux dispositions de ce règlement sera punie des peines édictées par l'article 5 de la présente loi. » — *Ibid., art. 3.*

c) « En cas de *contestation sur les conditions des funérailles*, il est statué, dans le jour, sur la citation de la partie la plus diligente, par le *juge de paix* du lieu du décès, sauf appel devant le *président du tribunal civil* de l'arrondissement, qui devra statuer dans les 24 heures. — La décision est notifiée au *maire*, qui est chargé d'en assurer l'exécution. » — *Ibid., art. 4.*

d) « Sera punie des *peines* portées aux articles 199 et 200 du Code pénal, sauf application de l'article 463 dudit Code, toute personne qui aura donné aux funérailles *un caractère contraire à la volonté du défunt*, ou à la décision judiciaire, lorsque l'acte constatant la volonté du défunt ou la décision du juge lui aura été dûment notifié. » — *Ibid., art. 5.*

1340. **VI. Des pompes funèbres.**

a) Les *fabriques* des églises et les consistoires jouiront *seuls* du droit de fournir les voitures, tentures, ornements, et de faire généralement toutes les fournitures quelconques nécessaires pour les enterrements et pour la décence ou la pompe des funérailles.

Les fabriques et consistoires pourront *exercer*, ou *affermer* ce droit, d'après l'approbation des autorités civiles sous la surveillance desquelles ils sont placés. — *Décret du 12 juin 1804, art. 22.*

b) Les fabriques feront *par elles-mêmes*, ou feront faire *par entreprise*, aux enchères, toutes les fournitures nécessaires aux services des morts dans l'intérieur de l'église, et toutes celles qui sont relatives à la pompe des convois, sans préjudice des droits des entrepreneurs qui ont des marchés existants. – *Décret du 18 mai 1806, art. 7.*

1° Les articles 7, 10 et 14 du même décret prescrivent également l'adjudication aux enchères. Ce n'est pas là cependant une formalité substantielle dont l'omission entraînerait la nullité de la concession ; une concession faite de gré à gré, et approuvée par le préfet, ne serait pas nulle, et elle

recevrait son exécution. — *Arrêts du conseil d'État, des 18 mars 1864; 15 mars et 10 avril 1867.*

2° Les *traités* et *tarifs* relatifs aux pompes funèbres sont actuellement approuvés par le *préfet* dans les villes ayant moins de 3 millions de revenus. Dans les villes dont le revenu atteint ce chiffre, l'approbation doit être donnée par *décret.* — *Loi munic. du 5 avril 1884, art. 115.*

c) Dans les grandes villes, toutes les fabriques se réuniront pour ne former qu'*une seule entreprise.* — *Décret du 18 mai 1806, art. 8.*

Chaque fabrique conserve le droit que lui accorde l'article 22 du décret du 12 juin 1804, de faire *par elle-même* les fournitures nécessaires pour les enterrements, bien que les autres fabriques de la même ville préfèrent un autre mode d'exploitation. — Mais, si toutes renoncent à cette exploitation directe, et désirent la faire par la voie de la régie intéressée ou de l'entreprise, elles doivent se réunir pour n'avoir qu'*un seul régisseur* ou un seul entrepreneur. — *Lettre du ministre des cultes, 14 juillet 1865.*

d) Le Parlement est saisi depuis plusieurs années d'un projet de loi tendant à l'*abrogation* du *monopole des pompes funèbres.* Mais aucune loi nouvelle n'a encore été promulguée.

1341. **VII. Du transport des corps.**

a) Sauf la translation à la chambre funéraire, le déplacement d'un cadavre ne peut s'effectuer s'il n'a été autorisé par le *maire* ou par le *sous-préfet,* selon que ce déplacement a lieu dans les limites de la commune ou de l'arrondissement; dans les autres cas, il doit être autorisé par le préfet du département où a lieu le décès. — *Décret du 27 avril 1889, art. 4.*

Il peut être établi des *chambres funéraires* destinées à recevoir avant la sépulture les corps des personnes dont le décès n'a pas été causé par une maladie contagieuse. — *Ibid., art. 5.* — *Cf. art. 6 et seq.*

b) La loi municipale du 5 avril 1884, art. 97, § 4, charge le *maire* de régler le mode de *transport* des corps.

L'arrêté du maire en cette matière peut être annulé ou suspendu par le préfet. — *Ibid., art. 95.*

c) Dans les *communes populeuses*, où l'éloignement des cimetières rend le transport coûteux, et où il est fait avec des voitures, les autorités municipales, de concert avec les fabriques, feront adjuger aux enchères l'entreprise de ce transport, des travaux nécessaires à l'inhumation, et de l'entretien des cimetières. — *Décret du 18 mai 1806, art. 9.*

1° Le transport des morts *indigents* sera fait décemment et gratuitement; tout autre transport sera assujetti à une taxe fixe. Les familles qui voudront quelque pompe traiteront avec l'entrepreneur, suivant un tarif qui sera dressé à cet effet.

2° Il est interdit, dans ces règlements et marchés, d'exiger aucune surtaxe pour les présentations à l'église, toute personne ayant également le droit d'y être présentée. — *Ibid., art. 12.*

1342. **VIII. De l'inhumation et de l'exhumation.**

a) Aucune inhumation ne sera faite sans une *autorisation*, sur papier libre et sans frais, de l'officier de l'état civil, qui ne pourra la délivrer qu'après s'être transporté auprès de la personne décédée pour s'assurer du décès, et que *vingt-quatre heures après le décès*, hors les cas prévus par les règlements de police. — *Code civil, art. 77.*

1° En cas d'*épidémie*, ou de mort causée par une maladie contagieuse, le maire peut ordonner l'inhumation immédiate, dans l'intérêt de la salubrité publique. — *Loi du 15 nov. 1887, art. 4.*

2° L'officier de l'état civil peut, s'il y a *urgence*, notamment en cas de décès survenu à la suite d'une maladie *contagieuse* ou *épidémique*, ou en cas de décomposition rapide, prescrire, sur l'avis du médecin commis par lui, la *mise en bière immédiate* après la constatation officielle du décès, sans préjudice du droit d'ordonner la sépulture avant l'expiration du délai fixé par l'article 77 du code civil. — *Décret du 27 avril 1889, art. 1er.*

3° Si le décès paraît résulter d'une *maladie suspecte*, dont la protection de la santé publique exige la vérification, le préfet peut, sur l'avis conforme, écrit et motivé de deux docteurs en médecine, prescrire toutes les *constatations* nécessaires, et même l'autopsie. — *Ibid., art. 2.*

b) Ceux qui, *sans l'autorisation préalable de l'officier public*, dans le cas où elle est prescrite, auront fait inhumer un individu décédé, seront *punis* de 6 jours à 2 mois d'emprisonnement, et d'une amende de 16 francs à 50 francs, sans préjudice de la poursuite des crimes dont les auteurs de ce délit pourraient être prévenus dans cette circonstance. — La même peine aura lieu contre ceux qui auront contrevenu de quelque manière que ce soit à la loi et aux règlements relatifs aux inhumations précipitées. — *Code pénal, art. 358.*

1° Le prêtre qui contrevient aux lois sur les inhumations est d'abord traduit devant le conseil d'État, qui décide s'il y a eu abus, et s'il doit être poursuivi devant le tribunal.— *Cassation, 29 déc. 1842.*

2° S'il y a eu bonne foi, le conseil d'État peut se borner à déclarer l'abus, sans prononcer le renvoi devant les tribunaux. — *Cassation, 21 déc. 1843.*

3° S'il y a renvoi devant les tribunaux, le prêtre est considéré comme coupable d'une contravention de police, punie, par l'article 471 du Code pénal, d'une amende de 1 à 5 francs. — *Cassation, 27 janv. 1832; 20 oct. 1850.*

Il ne pourrait même pas être acquitté par le motif qu'il aurait demandé l'autorisation de l'officier de l'état civil, et que la famille lui avait assuré que cette pièce allait lui être remise, les contraventions de police étant punissables malgré la bonne foi des contrevenants. — *Cassat., 20 octobre 1850.*

c) Les cercueils doivent être déposés dans les *fosses* et *tranchées*, à une *profondeur* d'un mètre cinquante centimètres au moins.

1° Chaque fosse particulière doit avoir, au minimum, une *largeur* de quatre-vingts centimètres, sur une *lon-*

gueur de deux mètres. Pour l'inhumation des *enfants* en bas âge, les fosses peuvent être réduites à un mètre superficiel. — *Décret du 27 avril 1889, art. 12 et 13.*

2° Les fosses seront *distantes* les unes des autres de trente-cinq centimètres au moins. — *Ibid., art. 13.*

3° Dans les inhumations en tranchées, les cercueils doivent être distants les uns des autres d'au moins vingt centimètres. — *Ibid., art. 15.*

d) La sépulture dans le cimetière d'une commune *est due :* 1° aux personnes décédées sur son territoire, quel que soit leur domicile ; — 2° aux personnes domiciliées sur son territoire, alors même qu'elles seraient mortes dans une autre commune ; — 3° aux personnes non domiciliées dans la commune, mais y ayant droit à une sépulture de famille. — *Décret du 27 avril 1889, art. 10.*

A défaut de la *famille*, la commune est tenue de pourvoir à la sépulture des personnes *décédées sur son territoire*, sauf à réclamer contre qui de droit le remboursement de la dépense. — *Ibid., art. 11.*

e) Les autorités locales sont spécialement chargées de maintenir l'exécution des lois et règlements qui prohibent les *exhumations* non autorisées. — *Décret du 12 juin 1804, art. 17.*

1° Toute exhumation, autre que celle qui est requise par la police judiciaire, doit être préalablement *autorisée* par le maire. — *Circul. minist., 10 mars 1856.*

L'exhumation qui n'a pas été préalablement autorisée constitue le délit de violation de sépulture puni par l'article 360 du Code pénal. — *Cassation, 10 avril 1845.*

Il en est de même d'une exhumation et d'une réinhumation pratiquées contrairement aux conditions de l'autorisation. — *Cassation, 4 décembre 1847.*

2° Le *curé* qui, sans l'autorisation du maire, fait enlever un corps déposé dans un terrain concédé à perpétuité dans un cimetière communal, commet le délit de *violation de sépulture* prévu et puni par l'article 360 du Code pénal. Le fait matériel de l'enlèvement suffit. L'intention coupable

n'est pas nécessaire pour constituer le délit. — *Cour de Riom, arrêt du 3 mars 1870.*

f) Les *recours contre les décisions des autorités municipales et des préfets* sur les inhumations, sont formés devant le ministre de l'intérieur. C'est à lui qu'il appartient, en cas d'inhumations irrégulières, d'ordonner des exhumations. — *Avis du conseil d'État, du 10 août 1841.*

ARTICULUS VII.

DE DOMINIO SACRARUM ÆDIUM ET CŒMETERIORUM.

Quæritur nempe : Utrum ecclesiæ et cœmeteria, in Galliis, pertineant ad *parochias* aut *diœcesim,* vel ad *Gubernium sæculare* seu *municipia.*

1343. **I. Ædificia quæ Gubernium civile aut civitas acquisivit, seu publicis sumptibus construxit,** remanent *sub jure et dominio potestatis sæcularis*, si hoc dominium sibi retinere *voluerit*, quod reipsa intendit.

Nihil enim repugnat quominus Gubernium et municipia habeant *dominium rei sacræ*, eadem prorsus ratione qua laicus privatus retinere potest dominium calicis, oratorii et rei cujusvis benedictæ.

1344. **II. Ædes sacræ et alia ædificia, quæ ante Concordatum sub jure et dominio Ecclesiæ erant, et cultui publico restituta fuerunt,** remanent proprietas *diœcesis*, si sint ædificia diœcesana, v. gr. ecclesia cathedralis et palatium Episcopi ; vel *parochiæ*, si sint ædificia parochialia.

a) Hæc assertio, ait *D. Icard,* cujus egregiam dissertationem hic referimus, etsi non placeat plerisque jurisperitis civilibus (*cf. dec. consilii Status, 6 pluv., an. XIII),* certis nihilominus fundamentis nititur. — Etenim Gubernium sæculare non potuit acquirere dominium harum sacrarum ædium nisi *vi Concordati* initi cum Sancta Sede; porro, Concordatum nihil statuit de dominio horum ædificiorum.

Articulus 13 declarat : eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisierunt, *molestiam nullam* habituros a Romanis

Pontificibus, ac consequenter proprietatem eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhærentia, penes ipsos fore atque ab ipsis causam habentes.

Verum notare oportet : 1° agi in hoc articulo de bonis *alienatis ;* 2° alienationem sanciri *in gratiam acquirentium* et ab ipsis causam habentium; 3° rem ita componi « *pro pacis bono*, felicique religionis restitutione ».

Porro, ædificia de quibus agimus, non erant *alienata*, sed tantummodo *occupata*, id est detenta absque ullo titulo proprietatis a Gubernio, quæ duo sunt valde diversa.

Bonum pacis postulabat quidem ut consolidaretur legitimaque haberetur possessio quam tot cives inierant diversis titulis, emptione, commutatione, hæreditaria successione, bonorum ecclesiasticorum a Gubernio alienatorum; quid vero obstabat quin ipsum Gubernium restitueret bona non alienata ?

b) In contrarium objiciunt agendi rationem *Pii VII* et ipsius *Gubernii civilis*.

Pius VII, inquiunt, epistolis ad Episcopum Pictaviensem directis, qui super hoc Sanctam Sedem consuluerat, declaravit, an. 1821, emptores qui acquisierant bona ecclesiastica, occupata quidem a Gubernio ante Concordatum, *postea vero alienata*, posse ea retinere tanquam sua.

Insuper, Gubernium retinuit plures ecclesias aliasque ædes sacras, quas tunc temporis occupabat, *quin Sancta Sedes reclamaverit :* inde concludendum putant hæc sub illius jure remansisse.

Quoad ipsas ecclesias quas necessarias reputavit cultui divino, dicunt Gubernium eas remisisse Episcopis ut iis uterentur, non vero dedit eo modo quo censerentur esse *sub dominio diœcesis*, seu *parochiæ*.

c) *Ad solutionem* difficultatis animadvertendum est :

1° Pium VII non declarasse bona alienata a Gubernio a tempore Concordati pertinere ad acquisitores *vi Concordati*. Potuit, attentis circumstantiis temporum, *novas concessiones* superaddere concessionibus antea factis; nihil vero dixit quod ad ecclesias non alienatas referatur.

2° Nihil aut parum referre ad quæstionem, quod Guber-

nium *non omnia restituerit* quæ tunc temporis occupabat. Siquidem, potissimum agimus de sacris ædibus cultui divino restitutis.

3° *Silentium SS. Pontificum* adscribendum esse *prudentiæ,* non assensui; aut, si Sancta Sedes tacitum assensum præstiterit ut potestas sæcularis retineret ædificia ab *administrationibus publicis occupata,* quæ non sine difficultate restituta fuissent, mens illius certe non fuit ut sacræ ædes *cultui publico addictæ* remanerent in dominio Gubernii.

His præmissis, dicimus ecclesias cathedrales et parochiales, palatia episcopalia et domos presbyterales *restituta,* pertinere ad diœceses et ad parochias; res enim adhuc manent, sub eo respectu, *in statu quo fuerunt tempore Concordati.* Invocari non potest præscriptio diuturna contra Ecclesiam, quæ reclamare utiliter non potuit.

d) Gubernium et municipia *concurrunt* quidem, sumptibus æris publici, ad *reparationes* ædificiorum: sed nihil inde contra nostram sententiam. — Nam :

1° Gubernium seu municipium non concurrit nisi quatenus ecclesiæ *destituuntur* redditibus ad id necessariis.

2° *Æquum* omnino est ut Gubernium et municipia opem conferant in conservationem templorum, quibus utuntur *cives* nimirum catholici.

3° Hac contributione aliqualis *indemnitas* præstatur Ecclesiæ, quæ, injuste olim *spoliata* a Gubernio suis bonis temporalibus, non habet unde providere sufficienter valeat instaurationi suarum ædium cæterisque necessitatibus cultus publici.

e) Quæ de dominio ecclesiarum diximus, jure applicari possunt *cœmeteriis* earumdem ecclesiarum contiguis quæ ante Concordatum erecta erant, et cœmeteriis quæ a tempore Concordati acquisita fuerint *oblationibus* fidelium, vel fabricarum parochialium *impensis*.

Sed hodie non potest obtineri a Gubernio approbatio donationis, ea conditione ut locus inserviat sepulturæ fidelium sub jure et dominio parochiæ.—*Icard, Prælect., num. 571.* — *Cf. n. 1336, ubi de translat. cœmet.*

CAPUT V.

DE REBUS ECCLESIÆ TEMPORALIBUS IN GENERE.

Videlicet : de jure Ecclesiæ acquirendi bona temporalia; — de inviolabilitate bonorum ecclesiasticorum; — de eorumdem immunitate; — de subjecto dominii ecclesiastici; — et de bonorum ecclesiasticorum administratione.

ARTICULUS I.

DE JURE ECCLESIÆ ACQUIRENDI BONA TEMPORALIA.

Ecclesia *jus nativum* et legitimum habet *acquirendi* et *possidendi* bona temporalia.—Contraria propositio damnata est in *Syllabo, sub num. 26.*

1345. **I. Probatur ex ipso jure divino.**

a) Certum enim est, ex divina institutione, Ecclesiam esse societatem *perfectam*, a qualibet alia societate *independentem*, omnibusque *mediis* instructam quæ necessaria sunt ad finem suum consequendum. — *Cf. n. 19 et seq.*

Atqui, ad Dei cultum et salutem animarum, ædificanda sunt *templa* et *altaria*, comparanda ornamenta et vasa sacra aliaque ad divinum cultum spectantia; *alendi* sunt Episcopi, presbyteri et ministri qui Ecclesiæ inserviant; clerici in litteris et bonis moribus *instituendi;* et cætera hujusmodi procuranda : quæ quidem omnia sine *magnis sumptibus* fieri non possunt.

Ergo Ecclesia, ex sua constitutione, et Divini Fundatoris voluntate, jus habet, *independenter a societate civili*, pecunias sive bona stabilia et frugifera sibi comparandi, acquirendi ac possidendi, ut quæ ad faciendos sumptus necessaria sunt, ea in promptu habeat. – *Soglia, Instit. jur. publ., p. 2, § 69.*

b) Ipse *Christus*, cum hanc societatem instituit, ei communia bona esse voluit, hoc est pecuniam collectam fide-

ium oblationibus, habuitque *loculos* cum quibus Apostolis, liscipulis, pauperibus opitularetur.—*Marc.*, VI, *37*;—*Luc.*, x, *13*; — *Joan.*, IV, *8*; XII, *6*; XIII, *29*.

Christi exemplum secuti sunt Apostoli eorumque successores. — *Cf. Act.*, II, *44*; IV, *34*; V, *1*; — *I Cor.*, IX, *11*.

c) Unde, nisi ex *spontaneis* oblationibus fidelium ecclesia sit sufficienter provisa, potest a suis *exigere* media sibi necessaria, ita ut ea subministrentur sive *mediate* a fidelibus, sive *immediate* a societate civili, seu a publico ærario, et sic mediate a fidelibus, ita ut Princeps, taxas imponendo, et illud præ oculis habeat ut sibi procuret unde Ecclesiæ succurrat.—*Cavagnis, Instit. jur. pub., lib. 4, num. 401.*

1346. **II. Probatur ex perpetua Ecclesiæ praxi.**

a) Hoc enim jure acquirendi et possidendi bona temporalia Ecclesia *semper usa est.*

Vel itaque dicendum est Ecclesiam in errorem injustitiæ et usurpationis lapsam fuisse, vel fatendum jus ei esse, seu potestatem a Deo traditam, temporalia bona, etiam contra Principum voluntatem, acquirendi ac possidendi.—*Cf. conc. Lugdun. II, an. 1274, can. 12*; — *et Trident., sess. 22, cap. 11, De ref.*

b) Unde Pius IX, in allocutione *Quibus luctuosissimis*, *sept. 1851* : « Omni studio et contentione, ait, vindicandum ac tuendum curavimus jus quo Ecclesia pollet, *acquirendi* scilicet et *possidendi* quæcumque bona stabilia et frugifera, veluti innumera prope conciliorum acta, et SS. Patrum sententiæ et exempla, et Prædecessorum Nostrorum constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant ».

Et in *Syllabo*, præter propositionem 26, modo citatam, damnata quoque est propositio quæ legitur sub numero 27 : « Sacri Ecclesiæ ministri, Romanusque Pontifex, *ab omni rerum temporalium cura* ac dominio sunt omnino *excludendi* ».

1347. **III. Ex his colligitur legem amortizationis dictam,** nempe Principis edictum quo generatim statui-

tur ne res immobiles *in manus mortuas*, ut aiunt, nempe in ecclesias seu alia loca pia, *sine consensu potestatis civilis* transferantur, non modo *iniquam* esse et Ecclesiæ *injuriosam*, sed et *de se invalidam* ob defectum jurisdictionis.

a) Nam jus acquirendi Ecclesiæ competens, ad normam congruæ dotationis et sustentationis, est *divinum*.—Porro, ad *Ecclesiam solam* spectat jura sibi divinitus tradita moderari, et *limites* evolutionis suorum jurium definire.

b) Præterea, lex ejusmodi, qua cives vetantur aliquid bonorum suorum ecclesiis donare, injusta est, non solum habita ratione Ecclesiæ; quam impedit quominus jure proprio acquirendi fruatur, verum etiam *habita ratione civium*, quibus suarum rerum in pias causas transferendarum *libera potestas* adimitur.

c) Et frustra objicitur per legem *amortizationis* Statum non privare Ecclesiam bonis *jam acquisitis*, sed solum *acquirendis*, ideoque bona, antequam ab Ecclesia acquirantur, esse civilia, et in dominio potestatis sæcularis posita.

Nam respondetur : *æqualem esse injustitiam* spoliare aliquem a bonis acquisitis aut a libertate bona acquirendi, quando ei competit. — Et certe Status injuriam civibus inferret, non tantum eos spoliando ab *acquisitis*, sed ab *acquirendis* indebite prohibendo; quanto magis infert Ecclesiæ, quæ absolute est ab eo independens. — *Craisson, Element. jur. can., n. 763.*

ARTICULUS II.

DE INVIOLABILITATE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

1348. **I. Invasio bonorum ecclesiasticorum sacrilegum latrocinium est.**

a) Est *latrocinium;* — nam res in dominio pleno alicujus posita, non potest, invito domino, usurpari et detineri sine injustitia; et ista violatio juris alieni perdurat, donec res domino restituta fuerit.

b) Et quidem *sacrilegum ;* — nam bona ecclesiastica

sunt Deo dicata, in finem sacrum tradita, in ditione societatis spiritualis posita, et, demum, ad usus sacros applicata.

Ideo, juxta formulam a Martino V editam, omnes suspecti de hæresi *Wicleffi* interrogandi erant : « Utrum credant quod bonorum ecclesiasticorum invasio *inducat sacrilegium ?* »

Et Pius IX : « Utinam, aiebat, ubique gentium, ubique terrarum, possessiones Deo ejusque Sanctæ Ecclesiæ dicatæ semper *inviolatæ* fuissent, et homines debita illas reverentia essent prosecuti ! Equidem haud cogeremur deflere plurima omnibus notissima mala et damna, in civilem ipsam societatem derivata, ex injusta prorsus et *sacrilega* ecclesiasticarum rerum ac bonorum spoliatione et direptione, quæ ad funestissimos quoque ac perniciosissimos *Socialismi* ac *Communismi* errores fovendos, magna ex parte, viam munivit. » — *Allocutio consistor. Quibus luctuosissimis, 5 sept. 1851.*

1349. **II. Quod attinet ad bona ecclesiastica quæ a Gubernio Gallico, tempore perturbationis, usurpata ac occupata fuerunt,** ac postmodum, hoc est, tum ante, tum post Concordatum an. 1801, *divendita sunt,* vel forte in posterum *divendentur,* certum est eos omnes qui hæc bona sibi compararunt, ac forte comparant, *jure ac pacifice ea retinere posse.*

a) Etenim, de his quæ *ante Concordatum* acquisita sunt, adest articulus 13 hujus conventionis, ubi « Sanctitas Sua, pro pacis bono, felicique religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, *molestiam nullam habituros*, neque a Se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis ; ac, consequenter, *proprietatem* bonorum, redditus ac jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos fore atque ab ipsis causam habentes ». — *Cf. decisionem S. Pœnitentiariæ, 20 mart. 1848.*

b) Quoad bona vero quæ *post conventionem* divendita fuerunt, tum Pius VII, litteris ad Episcopum Pictaviensem directis, *an. 1821*, tum Gregorius XVI, litteris ad Episcopos Belgii, *16 sept. 1833* datis, satis explicite dixerunt « me-

moratum art. 13 *ampliari* et *extendi* ad alia quælibet ex occupatis, ut supra, bonis quæ, sive post conventionem illam alienata a Gubernio sunt, sive adhuc apud Gubernium ipsum remanent ».

1350. **III. Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici speciali modo reservatæ subjacent :** « Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentia ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, Pii IX, tit. 1, num. 11. — Cf. n. 1652.*

Et multo latius patet, quoad *objecta* et quoad *personas*, excommunicatio latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ a concilio Tridentino, *sess. 22, cap. 11, De ref.*, lata, et a Pio IX in citata constitutione confirmata. — *Cf. n. 1674.*

ARTICULUS III.

DE IMMUNITATE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

1351. **I. Bona ecclesiastica regulariter sunt immunia ab oneribus civilibus**, eo quod eximantur a Status jurisdictione ea omnia quæ *divino cultui* quomodocumque sunt addicta.

a) Hæc *immunitas realis*, ait *de Angelis*, eximebat a quacumque *taxa* vel *tributo* omnia bona vel fundos ad Ecclesiam pertinentes, hoc est omnes fundos computatos in patrimonio Ecclesiæ, sic dictos *ecclesiasticos*, etiamsi Ecclesia super his servasset tantum dominium directum, comprehensis quoque fundis beneficiorum ; imo, et eos qui quavis ratione ad *patrimonium* clericorum pertinerent.

b) Atque hæc immunitas realis non poterat violari ab *ipsis clericis* pendendo Guberniis taxas, absque incursu censurarum, cum hic applicaretur principium : « *Iis quæ jure publico statuta sunt non potest pactionibus privatorum obviari* ».

c) Cavebatur autem a jure ecclesiastico quod loca pia et clerici *succurrerent* extraordinariis Statuum necessita-

tibus, recepta venia et probata causa ab Episcopo vel a Romano Pontifice. — *Cap. 3 et 7, De immunit. eccles.* — *De Angelis, in eumd. tit., num. 3.*

1352. **II. Societates civiles christianæ legem hanc, seu privilegium, per plura sæcula libenter susceperunt**, quamvis non defuerint casus violationis, prout in humanis aliquando accidit.

a) Verum, instante spiritu rebellionis et odii contra Ecclesiam, bona pertinentia ad clericos, ecclesias et loca pia, *subjecta sunt iisdem fere taxis* ac gravaminibus quibus bona laicorum subdebantur.

b) Pro hac servanda *immunitate reali*, pergit laudatus Auctor, non putavit S. Sedes amplius insistere neque reclamare, et *toleravit* quod Ecclesia et clerici, relate ad bona, essent in eadem conditione ac cæteri laici.

Hinc est quod, in constitutione *Apostolicæ Sedis*, disparuerint omnes *censuræ* latæ contra eos qui super bonis Ecclesiæ vel clericorum imponunt taxas, prout superioribus canonibus plectebantur.

Et dici proinde potest immunitatem realem, saltem *ex non reclamatione Ecclesiæ*, vel ex ejus taciturnitate, *in praxi* cessasse. — *De Angelis, loc. cit., num. 4.*

1353. **III. Hodie, in Gallia**, ab eis tributis *directis* quibus subjacent bona immobilia, et quæ dicuntur *Impôts fonciers*, eximuntur : *Ecclesiæ* et templa divino cultui consecrata ; — *cœmeteria ;* — *domus episcopales ;* — *presbyteria* et horti contigui, sive ad fabricam, sive ad communitatem ea pertineant; at vero non frueretur exemptione domus privata quæ, deficiente presbyterio, habitationi parochi destinaretur; — *seminaria* majora et minora, modo tamen Seminarium minus sit institutum publicum, non schola privato nomine rectoris exsistens;—*hospitalia* cujuscumque generis.

a) Verum bona immobilia fructifera quæ pertinent ad *Fabricas, Seminaria, Hospitalia*, nec non ad *Congregationes religiosas* a Gubernio agnitas, loco tributi quod bonis

privatorum in hæreditaria successione imponitur *(droits de mutation)*, præstationi annuæ subjiciuntur quæ dicitur *taxe de mainmorte.—Cf. decr. 20 feb. 1849; et 30 martii 1872.*

Imo hodie, omnibus Congregationibus religiosis, iis non exceptis quæ præfatam taxam solvere coguntur, *aliud tributum* ex iniqua Gubernii civilis vexatione imponitur *(droit d'accroissement)*, cujus solutionem urgere nemo potest absque jurium omnium violatione.

b) A tributo quod *personale* et *mobiliare* nuncupatur nulla lege eximuntur ministri cultus; neque a tributo quod vulgo appellatur *des portes et fenêtres. — Cf. n. 951.*

ARTICULUS IV.

DE SUBJECTO DOMINII ECCLESIASTICI.

1354. **I. Doctores non conveniunt in determinando quis sit vere et proprie bonorum ecclesiasticorum dominus.**

a) *Alii* dicunt dominium directum et proximum bonorum ecclesiasticorum apud *nullum hominem*, sive publicum, sive privatum, exsistere, sed solum apud *Deum*, sola administratione apud Dei ministros consistente.

In probationem afferunt varios textus juris canonici, in quibus bona ecclesiastica dicuntur *res Dei*, bona *Deo* consecrata.

b) *Alii* tenent dominium præfatum penes *Romanum Pontificem* residere. — Et probant in primis ex plenitudine juris ea bona administrandi quæ ipsi a sacris canonibus tribuitur.

c) *Tertia tandem sententia* dicit dominium de quo agimus esse penes *ecclesias* vel *Instituta* in quorum usum sunt respective tradita et applicata.

1º Et hæc sententia, prout est communior, ita et multo probabilior videtur; et probatur ex *cap. Quoniam, 68, c. 16, quæst. 1; et ex Trid., sess. 22, cap. 11, De ref.*

Item probatur ex *sensu fidelium,* qui bona sua elargiendo

intendunt determinatam ecclesiam aut speciale Institutum gratificare; — et ex *sensu* pariter *ipsarum ecclesiarum,* quippe quæ singulæ eadem mente fidelium largitiones sibi determinate factas accipiunt, eas more veri domini possident et administrant, salvis solis juris ecclesiastici dispositionibus, quæ quidem proprietatem *moderantur* et *regunt,* non tamen auferunt.

2º Neque in contrarium valet quod bona ecclesiastica a sacris canonibus dicantur etiam *res pauperum, res Dei,* seu *pecuniæ* aut *patrimonium Christi,* ponanturque sub dominio *Romani Pontificis.*

Diversa enim ratione bona ecclesiastica sunt *Dei, Pontificis, pauperum,* et *ecclesiarum.*

Ecclesiis, ut diximus, proprie data sunt, ac in earum dominio posita.

Pauperes, pro parte saltem, sunt objectum hujus donationis, ut scilicet ex his subleventur. — *Cf. n. 906.*

Summus Pontifex, licet in bona ecclesiastica non habeat proprie dictum dominium, habet tamen in ea jus supremæ dispensationis, seu *altum dominium,* vi cujus potest, non arbitraria quidem voluntate, sed id exigente necessitate vel magna utilitate ecclesiarum, ea transferre, alienare, aut etiam laicis cedere. — SS. Pontifices hoc jure identidem sunt usi, licet cum summo moderamine. — *Cf. n. 399.*

In eadem sententia, bona ecclesiastica non omnino subtrahuntur auctoritati *Episcopi* quoad suam diœcesim; sed rursus illius auctoritatis exercitium non supponit proprietatem illorum bonorum, et nihil aliud includit quam actum *administrationis.*

Tandem, bona ecclesiastica dicuntur *res Dei,* quia Deus est motivum et finis ad quem bona illa destinantur; referri enim debent ad honorem et cultum Dei; nec possunt, exceptis casibus jure probatis, impendi in usus profanos. — *De Brabandère, juris can. compendium, num. 877.*

1355. **II. Ut Institutum ecclesiasticum possit civiliter acquirere et possidere, requiritur ut sit agnitum a Gubernio, seu a lege civili :**

a) Porro, in Gallia, a lege civili agnoscuntur *quinque*

Instituta *diœcesana,* videlicet titulus episcopalis, Capitulum ecclesiæ cathedralis, fabrica ejusdem, seminaria majus et minus.

b) Item agnoscuntur *duo parochialia*, fabricæ nempe et tituli parochiales. — *Cf. n. 950, 979 et seq.*

Succursales et *capellæ vicariales* parochiis æquiparantur, quando ut tales agnitæ sunt a Gubernio; non sufficit vero quod agnitæ sint tanquam *annexæ.* — *Cf. n. 779 in procemio.*

c) Quædam Instituta *religiosa* a Gubernio agnoscuntur, ex. gr. plures Monialium Congregationes, imo et nonnullæ virorum ; plures tamen ab illo non agnoscuntur, et ideo civiliter acquirere non possunt. — *Cf. n. 1254 et seq.*

Neque a lege civili *Confraternitates* agnoscuntur, ita ut possidere valeant coram lege civili. — *Cf. n. 1078.*

1356. **III. Solemnitates ex lege civili servandæ ad acquisitionem bonorum ecclesiasticorum** descriptæ sunt in Tractatu *De parocho*, ubi *de administ. bonorum temp., ad præscriptum juris civilis, n. 992 et seq.*

ARTICULUS V.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

1357. **I. Rerum ecclesiasticarum administratio ad Ecclesiam, hoc est ad Prælatos et rectores ecclesiarum, pertinet.**

a) Ad eos enim bonorum administratio pertinet qui earumdem rerum potiuntur *pleno dominio*, vel saltem *utili ;* quia, in omni re, primum et præcipuum est dominium plenum vel utile; administratio autem suapte natura *consequitur,* ut fert *regula 42 juris, in 6o :* « Accessorium naturam sequi congruit principalis ». — Cum igitur in rebus Deo et religioni dicatis *dominium,* saltem utile, *ad personas ecclesiasticas* pertineat, consequens est ipsarum quoque *curam* et *administrationem* ad easdem personas jure suo pertinere.

b) Unde, *leges civiles* bonorum Ecclesiæ administrationem ordinantes non evadunt legitimæ, nisi *accedente approbatione Ecclesiæ.*

Hisce legibus civilibus *in Gallia*, licet non approbatis a potestate ecclesiastica, rectores ecclesiarum obtemperant, sola cogente necessitate. — *Cf. n. 979 et seq.*

1358. **II. Prioribus sæculis**, *res omnes* ecclesiarum totius diœcesis ab *Episcopo* administrabantur, a quibus, statis temporibus, juxta præscriptam sacris canonibus mensuram, inter clericos dividebantur.

a) Verumtamen, Episcopis, ne ipsorum administratio sine testibus esset, tum etiam ut aliqua curarum parte levarentur, utendum fuit *administris*, præsertim *Archidiacono* et *Œconomo*, a quibus tamen eisdem Episcopis, tanquam principibus Ecclesiæ rectoribus, *ratio administrationis* reddenda erat.

b) At, procedente tempore, bona ecclesiastica pedetentim *partita sunt*, et in particulas abierunt quæ, cum iis spirituale officium adnexum est, *beneficia* audierunt. — *Soglia, Instit. juris privati,* § *111;* — *Vecchiotti, Instit. can., lib. 3,* § *41.*

1359. **III. Institutis autem beneficiis**, mutata est exterior administrandi forma, et, loco unius Episcopi, *alii administratores* emerserunt. — Namque,

a) Administratio *beneficiorum* beneficiatis tributa est; itemque bona *ecclesiarum*, aut fabricæ, aut aliis piis usibus destinata, a rectoribus earumdem ecclesiarum, nisi aliter fundatoribus placuerit, administrantur.

b) Similiter *Hospitalia, Confraternitates, locaque pia*, suos administratores habent, jure fundationis, qui tamen Episcopis subsunt, si ipsorum auctoritate, unde ecclesiastica et religiosa evaserunt, ea loca erecta sint.

Laicalia vero saltem debent eisdem Episcopis quotannis rationem reddere gestæ administrationis, ex decreto *conc. Trid., sess. 7, cap. 15; et sess. 22, cap. 8 et 9, De ref.*

c) Demum, *Monasteria* bona propria administrant, et

hujus administrationis, jure exemptionis, nullam rationem Episcopis reddunt. — *Soglia, loc. cit.*

Attamen *Moniales*, etiam *exemptæ* et Prælatis regularibus subjectæ, debent Episcopo loci singulis annis *rationem administrationis* reddere, et ad id cogi et compelli possunt. — *Constit. Greg. XV, Inscrutabili, 5 febr. 1622.*

1360. **IV. De officiis administratorum,** et speciatim de *alienatione* bonorum ecclesiasticorum, diximus in Tractatu *De parocho*, ubi *de administratione temporali ad præscriptum juris canonici, n. 960 et seq.*

CAPUT VI.

DE REBUS ECCLESIÆ TEMPORALIBUS IN SPECIE.

Præcipue attendenda est divisio bonorum ecclesiasticorum in *oblationes*, *fundationes* et *beneficia*.

Porro, de oblationibus agebatur in *Tractatu De parocho*, *ubi de congrua sustentatione parochi*, *n. 952 et seq.* —Dicemus igitur tantum de fundationibus, — et beneficiis, — postquam aliquid prænotaverimus de primitiis et decimis, ad intelligentiam juris et veteris disciplinæ.

ARTICULUS I.

DE PRIMITIIS ET DECIMIS.

1361. **I. Primitiæ sunt rerum primi fructus qui Deo offeruntur.**

a) Apud *gentes*, ait *Devoti*, vetustissimi instituti est primitias Deo offerre et consecrare. — *Hebræi* vero divina etiam lege primitias dabant.—Et antiquissima monumenta sunt unde intelligimus *Christianos* primitias rerum suarum præstare consuevisse, — *Devoti*, *lib. 2*, *tit. 17*.

b) Dabantur primitiæ, non tantum ad agnoscendum *Creatorem*, sed etiam ad *ministros Ecclesiæ sustentandos*, erantque præsertim ex uvis et frumentis, certaque exstabat precum formula quæ in earum *benedictione* adhibebatur.

c) Post sæculum V, vix ulla amplius mentio primitiarum occurrit; et nunc fere ubique *desierunt*. Ac, si qua regio est in qua ex *consuetudine* adhuc tribuuntur, ex eadem noscetur quid et quantum dari debeat. — *Devoti*, *loc. cit.*

1362. **II. Decimæ sunt certa pars fructuum aut lucri** : *certa* pars, ait cardinalis Soglia, non *decima*, nam interdum major est, interdum minor, ob diversam locorum consuetudinem.

Dicuntur autem pars *fructuum* aut *lucri*, eo quod ex fructibus prædiorum, aut ex lucro industriæ, persolvuntur.

Unde, præcipua eorum divisio est in *prædiales* et *personales*. — *Soglia, Instit. juris privati*, § *74*.

a) *Prioribus Ecclesiæ sæculis*, neque Christiani decimas solvebant, neque *ulla lex* erat quæ hanc solutionem imperaret. Clerici vivebant ex oblationibus quas fideles sua sponte in ecclesiam conferebant, adeo ut nihil opus esset decimas indicere ut ex iis clerici victum et cultum obtinerent.

Imminuta autem fidelium largitate, institutæ sunt decimæ, tum Patrum hortationibus, tum Ecclesiæ legibus quibus eas Christiani solvere jussi sunt. — *Devoti, Institutiones canonicæ, lib. 2, tit. 16.*

b) Recepti populorum mores sæpe leges de solvendis decimis *abrogarunt*. Hinc, spectandæ sunt singularum ecclesiarum *consuetudines* ut noscatur a quibus decimæ pendendæ sint, quid item et quibus eas solvere oporteat.

Nimirum, posteaquam clericis, *aliis bonis* atque redditibus, parata sunt ea quæ suppeditent ad cultum et ad victum, paulatim *decrevit* solutio decimarum; et nunc multæ etiam regiones sunt, in quibus decimæ prorsus *exoleverunt*. — *Cf. Devoti, loc. cit.*, § *6 et seq.*

ARTICULUS II.

DE FUNDATIONIBUS.

Agendum est : de natura fundationum, — earumque acceptatione, — exoneratione, — cessatione et reductione ; — de condonatione seu absolutione a præteritis omissionibus ; — et de piarum voluntatum commutatione.

§. I. DE NATURA FUNDATIONUM.

1363. **I. Fundatio est** : *Attributio boni temporalis* facta alicui Instituto ecclesiastico, sive donatione inter vivos, sive per testamentum, *sub conditione* operis spiritualis in *perpetuum*, vel in *diuturnum tempus præfinitum*, præstandi.

a) *Quæ opera* impleri debeant definitur in *titulo fundationis*. — Nam pii fundatores, ex jure, possunt quaslibet sibi bene visas *conditiones* adjicere, dummodo possibiles et honestæ sint, neque juri divino vel naturali adversentur.

b) Quando fundator *Missas* celebrari postulavit, nullo fine speciali indicato, regula generalis est, quamplurimis confirmata S. C. Conc. resolutionibus, eum qui beneficium fundavit Missæque celebrationem jussit, voluisse quoque eamdem *sibi applicari*. — Nam, ex *regula 45 juris, in 6°*, « Inspicimus in obscuris quod sit verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit ».

Et hæc verisimilitudo talis est ut destrui non possit, nisi in contrarium habeantur *gravissimæ præsumptiones*, quod scilicet fundator, præcipiendo Missarum celebrationem, liberam reliquerit applicationem earumdem. — *S. C. C., 22 maii 1875; — 20 maii 1882, etc.*

1364. **II. In Gallia, ex Concordato anni 1801,** cautum est « ut catholicis *liberum sit,* si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus ». — *Art. 15.*

Et, *ex decreto diei 30 dec. 1809, art. 29,* « Le curé ou desservant se conformera aux règlements de l'Évêque pour tout ce qui concerne.... l'*acquittement des charges pieuses* imposées par les bienfaiteurs, sauf les *réductions* qui seront faites par l'Évêque conformément aux règles canoniques, lorsque le défaut de proportion des libéralités et des charges qui en sont la condition l'exigera. » — *Cf. n. 1376.*

1365. **III. Necessarium non est ut civilis juris solemnitates, in ultimis voluntatibus, observentur,** ad hoc ut piæ dispositiones *validæ* sint et in jure sustineantur; quod privilegium *piarum causarum* proprium est. Sufficit enim ut de pia dispositione quomodocumque constet, per argumenta jure naturali communiter admissa ac recognita. — *Cap. Relatum, De testamentis; — S. C. C., in Ariminen., 13 sept. 1854; in Hortana, 29 febr. 1855; — S. Pœnit., 23 jun. 1844.*

Et revera, piæ causæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque jurisdictioni subjacent; porro, Ecclesia immunis est a potes-

tate civili, in omnibus iis quæ jurisdictioni suæ directe subsunt. — *Cf. Trid., sess. 22, cap. 8, De ref.*

§ II. DE ACCEPTATIONE FUNDATIONUM.

1366. **I. Fundationes debent acceptari ab administratoribus Instituti cui res sub onere donatur.** — Nam fundatio induit naturam *contractus;* atqui, contractus *mutuo consensu* offerentis et acceptantis perficitur.

Unde, cum fundationes per actus inter vivos, quamdiu acceptatæ non fuerint, possint *revocari*, sicut aliæ quælibet donationes, et nullæ sint si donator interea obierit, necessitas urget acceptandi fundationes *quamprimum* moraliter fieri potest.

1367. **II. Obtinendus est prævius consensus Episcopi, vel Prælati regularis** si fundatio fiat in gratiam communitatis religiosæ, ut loca ecclesiastica sæcularia, aut regularia, *non graventur* fundationibus quibus satisfacere nequeant, et redditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjectis, juxta morem cujusque civitatis vel provinciæ. — *Cf. decret. S. C. C., Nuper a Congregatione, auctoritate Urbani VIII et Innocentii XII edit., die 23 nov. 1697.*

a) Nam, inter *episcopalis sollicitudinis onera*, ait Bened. XIV, haud sane novissimum locum tenere censendum est illud quo sacri Pastores obstringuntur, majori qua possunt cura, invigilare ut in suis diœcesibus pia legata *debitæ exsecutioni mandentur*, præscriptæ celebrentur Missæ, eædemque juxta piorum fundatorum voluntatem applicentur. — *Cf. Trid., sess. 22, cap. 8, De ref.; — et Bened. XIV, De syn., lib. 13, cap. ult.*

b) Ideo Episcopus potest, statuto generali, declarare fundationes non esse acceptandas nisi *sub certis conditionibus;* exinde, qui fundationes testamento constituunt, merito præsumuntur suas intentiones ad præscriptum legis componere. — *Cf. Bened. XIV, loc. cit.*

1368. **III. Non quidem invalida esset acceptatio**

absque petita Episcopi licentia, quia præfatum decretum Urbani VIII clausula *irritante* munitum non est; et hoc ipsa S. Congregatio Concilii declaravit.

Sed integrum est Ordinario acceptationem *rescindere;* et reipsa, S. C. Ep. et Reg., die 17 maii 1861, acceptationem cujusdam legati, a deputato loci pii sine licentia Episcopi peractam, *nullatenus comprobandam esse* respondit, ex eo quod detrimentum potius quam utilitas, aut saltem non paucæ difficultates ac lites, ex ea acceptatione, non sine causa prætimerentur. — *Cf. Lucidi, De visitatione sacrorum liminum, cap. 7, art. 3.*

1369. **IV. De requisitis ex parte legis civilis ad acceptationem fundationum**, egimus ubi *de administratione tempor. parœciæ, n. 992. — Cf. n. 1376.*

§ III. DE EXONERATIONE FUNDATIONUM.

1370. **I. Leges canonicæ ad promovendam observationem onerum fundationum,** consignatæ reperiuntur in cit. decr. *Nuper a Congregatione*, auctoritate Urbani VIII et Innocentii XII edito, *cujus hæc summa est :*

a) Mandatur, sub obtestatione divini judicii, ut *tot Missæ celebrentur* quot ad rationem attributæ eleemosynæ fuerint præscriptæ ab eo qui eleemosynam tribuit, « ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur ».

b) Statuitur ut pecunia, seu bona mobilia, ecclesiis, tam sæcularibus quam regularibus, data cum onere perpetuo Missas celebrandi, ab his ad quos pertinet, quamprimum investiantur in *bonis immobilibus fructiferis*, qualia sunt prædia rusticana et immobilia urbana.

1° Si bona stabilia non reperiantur, vel non sinat Gubernium civile bona data ecclesiis aliter investiri quam in *emptione censuum publicorum,* nimirum reddituum ab ærario publico constitutorum, ad illud medium recurritur, licet minus consentaneum sit canonibus et praxi quam

indicat Sacra Congregatio. — *Icard, Prælect., num. 590.*

2° Si tandem hæc bona *alienari* contigerit, servatis regulis canonicis, pretium debet quantocius converti in alios fundos *stabiles* et *frugiferos*, cum expressa mentione oneris Missarum a fundatore impositi. — *Cf. de Angelis, in tit. De rebus Ecclesiæ non alienandis.*

c) Prohibetur ne rectores ecclesiarum *eleemosynas manuales* et quotidianas pro Missis celebrandis recipiant, nisi oneribus antea impositis per varias fundationes *satisfecerint*, vel intra tempus satis modicum satisfacere valeant, excepto tamen si tribuens eleemosynam consentiat ut Missæ quas postulat protrahantur ad tempus, quoadusque susceptis jam muneribus fuerit satisfactum.

d) Tenentur rectores, ad quos spectat, conficere, semperque in loco patenti retinere *tabellam* onerum perpetuorum et temporalium litteris descriptorum.

Insuper, retinere debent in sacrario *duos libros*, ac in eorum altero singula *onera* perpetua et temporalia, in altero autem *Missas manuales*, et tam illorum quam istarum *adimplementum* diligenter adnotare, singulisque annis, de supradictis adimplementis exactam rationem suis Superioribus reddere.

1371. **II. Parocho competit jus, officiumque incumbit exonerandi fundationes quæ in ecclesia parochiali exsistunt.** — Et talis est *præsumpta fundatorum intentio*, nisi alius sacerdos in limine fundationis designatus sit.

a) Si parochus *per seipsum* omnes fundationes exonerare nequeat, curabit ut per alios debito modo exonerentur.

Quo casu suadet æquitas, præscribitque decretum anni 1809 de fabricis, *art. 31*, ut curam illam *suis vicariis* committat. — *Cf. n. 1031.*

b) Si fructus fundationum ut *pars congruæ parochialis* habeatur, parochi qui, ob legitimas causas, vicariis Missam fundatam persolvendam committunt, non tenentur *totum stipendium* eisdem tradere, sed possunt eam partem

retinere quæ taxam dioecesanam excedit. — *Votum Consultoris, in Trevirensi, 11 maii 1888. — Cf. n. 958.*

§ IV. DE CESSATIONE ET REDUCTIONE FUNDATIONUM.

1372. **I. Onera fundationum penitus cessant,**

a) Quando perit fundus, aut amittitur redditus ad exsecutionem piorum operum destinatus, *nisi ex causa culpabili* amissio juris temporalis contigerit.

b) Non vero cessant sola *præscriptione* si fundatio facta sit in perpetuum, etsi per diuturnum tempus prætermissa fuerit operis exsecutio. — Vetat enim *naturalis æquitas* quominus præscriptio currat contra non valentem agere; nec eidem æquitati consonum est titularem velle sua suorumve prædecessorum negligentia protegi contra obligationes fundationi adnexas, adeo ut redditibus temporalibus perfrui præsumat, dum se ab oneribus immunem prætendit. — *Cf. resol. S. C. Conc., 20 dec. 1879.*

1373. **II. Reductio proprie dicta, seu onerum imminutio pro tempore futuro, auctoritati Sedis Apostolicæ reservata est,** ut constat ex decreto jussu *Urbani VIII* promulgato. — *Cf. n. 399.*

a) Et S. C. C. pluries declaravit facultatem reducendi onera Missarum, tributam Episcopis *ex decreto concilii Tridentini, sess. 25, cap. 4, De ref.,* intelligi tantum de prima synodo post idem concilium celebrata, ac de oneribus Missarum celebrandarum ante idem concilium impositis. — *Cf. Ben. XIV, De syn. dioec., lib. 23, cap. ult., n. 18 et seq.*

b) Diximus : *reductio proprie dicta ;* — etenim nonnulli sunt actus qui minus recte dicuntur reductiones, sed potius dicendi sunt *declarationes* quibus definitur, ex. gr., onus Missarum, vel nulliter impositum, vel resolutum irritumque factum, vel denique satis impletum fuisse.

Ut autem præfatos actus omnes præstare possit Episcopus, haud opus est ut sibi Apostolicam auctoritatem imploret; quandoquidem ea omnia limites *ordinariæ* jurisdictionis nequaquam excedunt. — *Bened. XIV, loc. cit., n. 9.*

1374. **III. Decretum Urbani VIII afficit quoque onera nondum acceptata**, adeo ut non liceat Episcopis, *ipso in limine fundationis*, reductionem peragere, antequam legata agnoscantur et acceptentur, si redditus in eorum implementum adsignatos impares deprehenderit.

Nulla igitur ipsis hodie relicta est facultas Missas reducendi, excepta dumtaxat ea facti specie qua *testator ipse* hanc facultatem tribuisse dignoscatur.

1375. **IV. Causas ob quas fas est reductionem aggredi** plerumque, imo fortasse semper, suppeditat *decrementum reddituum* qui fuerant pro onerum implemento adsignati.

Aliam causam Benedictus XIV indigitavit, quando nempe *adaucta* est per Episcopos in suis synodis *Missarum eleemosyna*, quo nimirum fit ut, quamvis initio id quod constituit fundator, in præscripti oneris supportationem, ad illius implementum satis haberetur, nihilominus, *auctis subinde Missarum eleemosynis*, impar deprehendatur, nec ullus reperiri valeat sacerdos qui, oblata juxta veterem taxam eleemosyna, Missam celebrare velit; proindeque, is cui onus est curandi hujuscemodi Missarum celebrationem, si velit imposito sibi oneri satisfacere, cogatur sacerdotibus celebraturis pinguiorem eleemosynam largiri. — *Ben. XIV, loc. cit., num. 28. — Cf. Trid., sess. 25, cap. 4, De ref.*

a) Quando aliqua dispositio simul et Missarum onera et eleemosynarum distributionem aliave pia opera comprehendit, et, ob reddituum tenuitatem, necessarium est ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire, *reducenda sunt potius reliqua opera*, non autem Missarum numerus, modo tamen facultates ex indulto Apostolico concessæ protendantur ad omnia pia legata.

Hæc regula innititur præsumptæ *menti* ac voluntati *fundatoris*, qui proclivior censendus est in illud pium opus ex quo majora animæ suæ suffragia obventura prospiceret. — *Bened. XIV, loc. cit., num. 23.*

b) Ob eamdem rationem, si reductio in Missis facienda sit, reducere oportet *ritum* et *solemnitatem*, non vero *nu-*

merum Missarum, quantum fieri potest. — *Cf. decis. S. C. Conc., apud. Bened. XIV, loc. cit., num. 34.*

1376. **V. Episcopis et Prælatis regularibus indultum a Sede Apostolica solet concedi,** quo valeant onera fundationum, justis de causis, *reducere*, tum *ante*, tum *post* acceptationem.

a) Reductio Missarum fieri non debet, nisi quando Missarum legatum *taxative* conceptum sit, incipiendo scilicet dispositionem ab adsignatione fundi, et subinde impositionem oneris addendo.

Nam, si legatum fuerit *demonstrative* conceptum, nempe si fundatores dispositionem inceperint ab impositione oneris, et subinde fundum adsignaverint, *hæredes prius cogendi sunt* ad perpetuam dicti oneris manutentionem, et ad supplendam summam deficientem, quoad fieri potest, antequam onera ipsa reducantur. — *Cf. Bened. XIV, loc. cit., n. 32; — Le Canoniste contemp., an. 1879, p. 11 et seq.*

1° Unde, reductioni non est locus, quando universa hæreditas Missarum onere gravata fuerit. Tunc enim minime prodest hæredi fundi adsignatio quam ultro ecclesiæ fecerit, si progressu temporis ejusdem fundi fructus oneri sustinendo impares efficiantur. — *Quod sæpe S. C. C. declaravit. — Cf. Lucidi, cap. 7, num. 97 et seq.*

2° Idemque dicendum est si testator hæredi mandaverit ut legatario *tot fructus* præstare debeat *quot satis sint* ad injunctam Missarum celebrationem adimplendam. — Hoc enim in casu, etiamsi hæres tot bona consignaverit quot eidem celebrationi sufficiant, nihilominus onere eadem bona *supplendi* non liberabitur, si eadem tractu temporis *imparia* fieri contingat, ut probat Benedictus XIV, *De syn., lib. 13, cap. ult., num. 33.*

b) In indulto excipiuntur *instrumenta*, seu *contractus*, « super quibus manus apponere non debeat (Episcopus), nisi in casu judicialis instantiæ pro illorum rescissione, titulo læsionis ».

Unde, Episcopi quibus facultas concessa est reducendi Missarum onera, non possunt Missarum *numerum in con-*

tractu præscriptum, ac vicissim *acceptatum*, minuere seu reducere, quando imminuti fuerint redditus ob eum finem adsignati; sed, hac proposita facti specie, oportet ut judicis partes assumant, investigantes an talis sit quæ obvenit reddituum imminutio ut, juxta recepti juris regulas, sufficiat ad *rescindendum contractum*, vel saltem ad eumdem ad justi et æqui normam redigendum. — *Bened. XIV, loc. cit., num. 26.*

c) Tandem, si diminutio reddituum *accidentalis* et *temporaria* sit, reductio in perpetuum fieri non debet. — Quod *æquitas naturalis* suadet, expresse cavetur in *indulto*, siquidem conceditur facultas reductionis cum clausula : « Quod si quando augeantur redditus, augeatur etiam proportionaliter numerus ipse Missarum ». — *Cf. Nouvelle revue théol., tom. 22, pag. 310 et seq.*

d) Ob speciales locorum difficultates, indulta quandoque Episcopis concessa sunt quæ a consueto stylo recedunt, *ex. gr. in Engolismen., 18 aug. 1888; in Meten., 29 martii 1890.*

e) Quod spectat ad conditiones requisitas *ex parte legis civilis* : « Quand il y a lieu de modifier les charges, l'établissement et l'Ordinaire s'entendent préalablement. La première chose à faire est d'établir le *revenu net* à venir des objets légués; et, pour le faire exactement, on tient compte des droits de *mutation* et *autres frais* qui seront supportés par l'établissement, et de l'impôt de *mainmorte*, s'il est question d'immeubles. Quand on est fixé sur la réduction à opérer, l'établissement, dans sa délibération, émet un avis favorable à l'acceptation du legs, sous réserve de la réduction convenue. *L'Évêque prononce cette réduction.* Il y a lieu alors de joindre au dossier l'ordonnance portant réduction, ainsi qu'une expédition du tarif des oblations. » — *Circul. minist., 20 nov. 1879. — Cf. n. 992.*

§ V. De condonatione seu absolutione a præteritis omissionibus.

Quando reductio ad tempus præteritum refertur, ac omissam sacrorum celebrationem importat, tum proprie *remissio, condonatio* et *absolutio* nuncupatur, quæ proinde, non secus ac reductio, ordinariam Episcoporum potestatem excedit, et *Summo Pontifici* reservatur. — *Cf. n. 399.*

1377. **I. Nonnisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione, hujusmodi absolutio concedenda est.** — Quinimo, ex decretis Urbani VIII et Innocentii XII, si quis sub *malitiosa* vel *irrationabili* spe absolutionis consequendæ, Missarum celebrationem omittere præsumpserit, huic gratia *nullimode suffragatur.*

a) Quapropter S. C. C. tum solum absolutionem pro præteritis omissionibus impertiri consuescit, cum dilucide pateat *absque legatarii culpa* Missas celebratas minime fuisse, nec cæteroquin *supersit* tantus redditus ut omissionibus præteritis suppleri valeat. — *S. C. C., 31 aug. 1819; 14 dec. 1822.* — Namque *bona fides* plurimum semper valuit ut Missarum absolutio a Sacra Cong. concederetur. — *S. C. C., 27 apr. 1805; 29 jan. 1825. — Cf. Lucidi, op. cit., cap. 7, num. 86 et seq.*

Aliter vero se gerit quandocumque constiterit *redditus adhuc satis esse* oneribus sustinendis; adeoque, hoc in casu, omissiones quamprimum suppleri præscribit. — *Sac. Cong. Conc., 23 feb. 1824.*

b) *Extrema paupertas* causam legitimam præbet ob quam absolutio concedatur, præsertim quando de fundatorum *consanguineis* agitur, quorum explorata sit gravissima egestas. — *Quod eruitur ex pluribus decis. S. C. C.*

Juris enim *præsumptio* est testatores haud voluisse consanguineos tot tantisque oneribus obstringere, quibus sustinendis impares evaserint ob summas rei familiaris angustias. — *Cf. Lucidi, loc. cit., n. 90.*

c) *Etiam paupertas relativa* causam suppeditat ido-

neam pro *absolutione* Missarum non celebratarum, et pro *proportionali exoneratione in futuro;* nam colligitur ex Thesauro S. C. C. gratiam hujusmodi concessam sæpius fuisse, paupertate tantum relativa accedente.

Porro, *relative* pauper is dicitur cujus bona minime sufficiunt tuendæ conditioni in qua natus est, vel dignitati quam obtinuit. — *Cf. resol. S. C. C., 21 jun. 1879 (Acta Sanctæ Sedis, tom. 12, pag. 615).*

d) Quando S. Cong. Conc. absolutionem concedit, imponit semper salutarem aliquam *pœnitentiam*, ac præsertim *onus* celebrandi certum Missarum numerum. — *S. Cong. Conc., 9 jul. 1825; — Lucidi, loc. cit.*

e) Quid vero si sanatoria, vel Missarum reductione jam obtenta, sacerdos *dives evadat*, vel redditus augeantur aut recuperentur?

1° Tunc gratia vim amitteret, si *sub conditione* concessa fuerit, vel si redditus recuperati solo titulo *Missarum celebrandarum*, vel alio simili titulo, darentur.

2° In *aliis* autem *casibus*, non obstante cessatione causæ, gratia *perdurare* videtur, juxta *regulam 73 juris in 6°:* « Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari ». — *Berardi, De parocho, num. 720.*

1378. II. **Aliquando S. Sedes concedit ad triennium Episcopis facultatem absolvendi vere pauperes super præteritis omissionibus**, injuncta singulis absolutione indigentibus, juxta locorum, personarum et temporum circumstantias, ac quantitatem Missarum quæ omissæ sunt, *nonnullorum sacrorum celebratione* in suffragium animarum testatorum, injunctoque *pio aliquo opere* per modum suffragii itidem applicandi. — *Cf. Lucidi, De visit. sac. lim., cap. 7, num. 83.*

§ VI. DE PIARUM VOLUNTATUM COMMUTATIONE.

Ne pia dispositio ex omni parte corruat, aliquando necesse est ut aliqua piorum testatorum voluntati *modificatio* afferatur.

1379. **I. Hujusmodi commutatio voluntatis Sedi Apostolicæ reservata est.**

a) Nam S. C. Conc., nec non S. Rotæ sententia est constans ac perpetua, quod commutationes ab *Episcopis* factæ non sustineantur. — Idipsum disertis verbis edixit Urbanus VIII, *in decreto de celebratione Missarum.*

Revera, commutatio hujusmodi fieri nequit nisi vi *alti dominii* bonorum omnium ecclesiasticorum, quo sola potestas suprema pollere dignoscitur.

b) Equidem, facultas commutandi pias voluntates Episcopis tribui videtur a concilio Tridentino, *sess. 22, cap. 6, De reformatione.*

Statuitur enim ut « in commutationibus ultimarum voluntatum...., *Episcopi*, tanquam delegati Sedis Apostolicæ, summarie et extrajudicialiter *cognoscant* nihil in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate, fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ exsecutioni demandentur ».

Verum, si illius decreti contextus penitius inspiciatur, manifesto patebit hoc ibidem poni quod preces pro voluntate commutanda fuerint *jam oblatæ*, eæque porro, non Episcopis, sed *Sanctæ Sedi. — Lucidi, l. c., n. 70 et seq.*

1380. **II. Commutationes ultimarum voluntatum « nonnisi ex justa et necessaria causa fieri debent ».** — *Trid., sess. 22, cap. 6, De ref.*

Cum enim *defunctorum voluntates sancte servandas esse* utrumque jus clamet, ipse Summus Pontifex non solet conditionibus in fundatione adjectis, utendo sua potestate suprema, contraire, nisi legitimæ adsint ac *necessariæ causæ*, præsertim si agatur de jure tertii.

1381. **III. Episcopi possunt voluntatem testatoris interpretari, ita tamen ut commutatio proprie dicta non verificetur.**

a) Ratio est quia, ex concilio Tridentino, Episcopi sunt omnium piarum dispositionum exsecutores et judices. — *Cf. Trid., sess. 22, cap. 8, De ref.*

b) Imo, quando legata pia nullo modo possunt applicari ad usum a testatore intentum, ne caduca sint, Episcopus potest, ex epikeia, *interpretari* voluntatem testatoris, eaque *in alium usum* applicare, ut aliqui tenent post S. Ligorium, *lib. 3, num. 931. — Cf. ephem. Le Canoniste contemporain. an. 1881, pag. 332.*

ARTICULUS III.

DE BENEFICIIS.

Agendum est : de natura et origine beneficiorum ; — de eorum divisione, — erectione, — collatione, — possessione ; — de vetita pluralitate beneficiorum ; — de commendis ; — de obligationibus beneficiatorum ; — et de vacatione beneficiorum.

§ I. DE NATURA ET ORIGINE BENEFICIORUM.

1382. **I. Beneficii nomine intelligitur :** Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiæ, ratione spiritualis officii, auctoritate ecclesiastica constitutum.

a) Sic accepta beneficia *primis Ecclesiæ sæculis* ignota fuerunt, ait cardinalis *Soglia;* nam bona et redditus ecclesiastici in communi administrabantur, et singuli clerici ex communi ærario alimenta accipiebant.

b) Sed, *ineunte sæculo VI*, et facta bonorum partitione, ea vigere cœpit consuetudo, ut Episcopi, penes quos summa rerum ecclesiasticarum administratio relicta erat, *aliquibus clericis*, sive humanitatis, sive meritorum intuitu, prædiola quædam ecclesiastica in usumfructum concederent.

Hujusmodi concessiones, veluti quædam beneficiorum imagines exstiterunt, *non proprie dicta beneficia;* non enim in titulum, nec ratione spiritualis officii, sed Episcoporum munificentia, aut remuneratione, et precario dabantur ; nec prædia ipsa spirituali officio perpetuo *adnexa* erant ; sed morte clerici, aut elapso concessionis tempore, ad commune Ecclesiæ ærarium revertebantur.

c) Paulatim vero, et veluti per gradus, factum est ut

certis hujusmodi bonorum ecclesiasticorum partibus suus cuique titulus et officium spirituale *perpetuo adnecteretur*, et inde *beneficia proprie dicta* originem duxerunt.—*Soglia, Inst. juris privati, § 81.*

1383. **II. Ex beneficii definitione perspicuum est ad ipsius naturam tria maxime pertinere,** nempe jus perpetuum *percipiendi fructus* ex bonis ecclesiæ, *officium spirituale* eidem adnexum, et *Ecclesiæ auctoritatem* seu *institutionem.*

a) Et, ad primum quod attinet, beneficium situm est in jure, hoc est legitima facultate *percipiendi fructus* ex bonis ecclesiæ, eaque *perpetua*, tum ratione *beneficii* quod semel erectum semper permanet, tum præcipue ratione *beneficiarii* qui, non ad tempus, sed in perpetuum, hoc est quoad vixerit, jus ad percipiendos redditus consequitur.

Utramque perpetuitatem habet beneficium *stricte sumptum*, ita ut, jure communi, clericus suo beneficio privari non possit *invitus*, nisi ex causis expressis in jure, et servato ordine judicii ecclesiastici. — *Cf. n. 1390.*

b) Secundo loco, ad naturam beneficii requiritur *officium spirituale*, veluti prædicatio verbi divini, administratio sacramentorum, aliudve ministerium in ecclesia obeundum, cum beneficia ecclesiastica instituta sint ut « in ecclesiis devotum servitium jugiter impendatur », *ut ait Innocent, III, epist. 82 ad Auxit. Archiep.*

Et Tridentini Patres, *sess. 21, cap. 3, De ref.*, docent « beneficia ad divinum cultum et ecclesiastica munera obeunda » esse constituta.

Unde sequitur : neque *laicos* beneficiorum capaces esse, neque jus percipiendi proventus ecclesiasticos ratione alicujus *profani muneris* in ecclesiæ utilitatem explendi, beneficium dici posse.

c) Denique, non est beneficium ecclesiasticum nisi accedat *auctoritas Summi Pontificis vel Episcopi*, quorum est bona in dotem constituenda acceptare, eisque spirituale officium adnectere, atque adeo in beneficii titulum erigere. — *Soglia, loc. cit.*

§ II. UTRUM SINT, IN STATU PRÆSENTI ECCLESIARUM GALLIÆ, VERA BENEFICIA?

Tituli exstantes in statu præsenti ecclesiarum Galliæ *habent rationem beneficii*, licet redditus qui ipsis in dotationem adscribuntur non proveniant nisi ex *ære publico* et ex *donis fidelium*. — *Icard, Prælect., n. 594.*

1384. **I. Pensiones quas Gubernium civile in Gallia solvit Episcopis, Canonicis et parochis, rationem habent beneficii ecclesiastici.**

a) Nam, ex pacto inter Sedem Apostolicam et Gubernium inito, statutæ sunt istæ pensiones *pro redditibus bonorum ecclesiasticorum*, quæ ea conditione condonata sunt ut sufficienter provideretur Episcoporum et parochorum sustentationi.

Unde, quemadmodum olim si vendita fuissent prædia quæ beneficium constituebant ea conditione ut emptor in perpetuum certam pecuniæ summam quotannis solveret, *redditus ille annuus* vere et proprie fuisset beneficium, ita et nunc pensio Gubernii. — *Bouix, De Capit., p. 177.*

b) Ideo *cardinalis Caprara*, in decreto novæ circumscriptionis diœceseon, 9 apr. 1802, declarabat : « singulis ecclesiis parochialibus erigendis, pro congrua rectorum sustentatione, eos redditus qui, ut in conventione statutum est, adsignandi erunt, loco *dotationis* habituros fore ».

Quo tempore prodiit decretum cardinalis Caprara, Gubernium non sibi onus assumpserat providendi dotationi *Capitulorum*. — Sed, ex quo Gubernium redditus adsignavit in gratiam canonicorum, Ecclesia illos similiter acceptavit in dotationem titulorum.

c) Unde S. Pœnitentiaria, 19 jan. 1819, declaravit his bonis inhærere strictam et canonicam obligationem expendendi *superflua* pauperibus seu piis causis, itemque obligationem *residendi*, sub pœna non faciendi fructus suos.

Et iterum, die 9 jan. 1823, respondit pensiones constitutas loco reddituum quos beneficiarii antea percipieban t ex fun-

dis, seu loco suorum beneficiorum, *censeri redditus ecclesiasticos*, non quasi-patrimoniales.

d) De *fructibus prædiorum* annexorum domibus parochialibus, nullum suboriri potest dubium quin ad bona ecclesiastica pertineant. — *Cf. n. 950.*

1385. **II. Oblationes fidelium, quæ, vi statutorum vel consuetudinis, dantur parochis ratione tituli parochialis,** quasque plures designant sub nomine *juris stolæ*, rationem quoque beneficii ecclesiastici habent.

a) Merito quidem tenetur fructus concessos parochis occasione functionis spiritualis, seu *laboris personalis*, cujusmodi sunt bona quæ ipsis proveniunt ex adsistentia quibusdam functionibus ecclesiasticis, obsequiis, officio funebri, etc., esse bona *industrialia* seu *quasi-patrimonialia*.

b) Verum *jus stolæ* proprie dictum, prout hic stricte sumimus, illud est quod parocho adscribitur, non tanquam stipendium laboris determinati, neque præsentiæ personalis, sed *ratione tituli parochialis*, sicut pensiones solutæ a Gubernio.

Porro, Canonistæ communiter docent bonis ecclesiasticis accenseri oblationes fidelium quæ dantur *vi tituli permanentis*, juxta ordinationem Ecclesiæ. — *Cf. Reiffenst., in tit. De præbendis, et De peculio clericorum.*

c) *Nihil igitur desideratur* in titulis hodiernis, nec officium spirituale, nec bonum temporale ecclesiasticum officio canonice adnexum, quominus reputentur vera beneficia. Ideoque dicendum est *sanctiones juris communis* circa beneficia, ecclesiis Galliæ, in præsenti etiam rerum statu, aptari. — *Icard, loc. cit.*

§ III. DE BENEFICIORUM DIVISIONE.

1386. **I. Ratione spiritualis officii,** beneficia dividuntur :

a) In *majora* et *minora.*

1° *Majora* dicuntur, quibus primi gradus in Ecclesia cum

animarum cura et *externa* jurisdictione adhærent, veluti Pontificatus, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, abbatiæ cum jurisdictione quasi-episcopali, et cardinalatus saltem ratione tituli. — *Minora* censentur reliqua omnia beneficia.

2° Hac in re illud præcipuum est : quod majora beneficia, præsertim *in odiosis*, non veniunt beneficii nomine generatim sumpto, cum beneficia simpliciter non sint, sed apices dignitatum.

b) In *duplicia* et *simplicia*.

1° *Duplicia* vocantur, quæ jurisdictionem, præcedentiam, sive administrationem quamdam adjunctam habent, qualia sunt dignitates, personatus et officia.

2° E contra, *simplicia* sunt, quibus nec ulla jurisdictio, aut præcedentia, vel administratio incumbit, sed sola obligatio omnibus beneficiatis communis, quæ est horarum canonicarum recitatio.

3° De *canonicatibus* disputatur utrum computari debeant inter beneficia simplicia vel duplicia. — Putat *de Angelis* posse accenseri inter beneficia *duplicia*, cum exigant assiduitatem personarum, et aliquam præeminentiam importent, saltem quoad reliquum clerum.

Quinimo, Canonici ecclesiæ cathedralis accedunt ad dignitates, propter dispositionem *cap. 11, De rescriptis, in 6°*, qua in exsecutione rescriptorum Apostolicorum cum dignitatibus comparantur. — *De Angelis, in tit. De præbendis et dignit., num. 19.* — *Cf. n. 238.*

1387. **II. Inspectis personis conferentibus**, beneficia dividuntur in *reservata* atque *affecta*, quorum nempe collatio ad Summum Pontificem pertinet; et *non reservata neque affecta*, quorum collatio Prælatis inferioribus relicta est. — *Cf. n. 1397.*

1388. **III. Ratione personarum quibus conferuntur**, alia *regularia* sunt, quæ solis Regularibus, alia *sæcularia* quæ sæcularibus clericis conferenda sunt.—*Cf. n. 1222.*

a) *Omnia beneficia* ex primæva sua institutione, *sæcularia* præsumuntur, quoad aliter demonstretur.

b) *Regularia* vero *quatuor modis* demonstrantur, nempe :

1° Ex *natura beneficii,* si monastica officia contineant.

2° Ex *fundatione,* si per voluntatem fundatoris, ab Episcopo probatam, Regularibus addicta sint.

3° Ex *unione,* quando beneficium legitime et perpetuo monasteriis unitum et incorporatum est.

4° Ex *præscriptione,* cum nempe beneficium quadraginta annorum spatio, ab uno vel pluribus Religiosis « exstitit continue et pacifice gubernatum, ut præscriptio legitima sit completa ». — *Cap. 5, De præbendis, in 6°.*

1389. **IV. Ex diversa conferendi ratione**, beneficia dividuntur : in *electiva,* quæ per legitimam electionem et Superioris confirmationem ; — *patronata,* quæ ad patroni præsentationem aut nominationem et Episcopi institutionem ; — et demum *collativa* seu libera, quæ per liberam Superioris collationem, sine prævia electione vel alterius presentatione, conferuntur. — *Cf. n. 1396.*

1390. **V. Ratione temporis,** beneficia dividuntur in *perpetua* et *manualia,* prout irrevocabiliter vel revocabiliter conceduntur.

Beneficia *perpetua* sunt de *jure ordinario.* — Verum :

a) Beneficia *regularia,* nisi per electionem acquirantur, censentur *manualia,* ratione voti obedientiæ, et proinde ad Superioris nutum revocabilia.

b) Beneficia etiam *sæcularia* manualia sunt : si revocabilitas fuerit statuta ex *fundatoris* ordinatione ab Ordinario approbata; vel ex *privilegio* S. Pontificis beneficii indoles mutata sit, aut ex *consuetudine* immemorabili. — *Cf. Pirhing, in tit. De præbendis, num. 14.*

Porro, hæc beneficia, etsi manualia, quoniam habent perpetuitatem *objectivam,* sunt vera beneficia, ait *de Angelis ;* sed, quia eis deest perpetuitas *subjectiva,* investitus non reputatur ut verus beneficiatus, nisi *in favorabilibus.* — *In tit. De præbendis et dignit., num. 17.*

Hujusmodi sunt apud nos parochiales ecclesiæ quæ *succursales* appellantur. — *Cf. n. 1012 et seq.*

§ IV. DE ERECTIONE BENEFICIORUM.

Erectio beneficiorum est actus legitimus quo sacrum aliquod officium, vel ministerium, in certa ecclesia, vel altari, a clerico obeundum, constituitur cum *perpetuo redditu*, quem clericus *jure suo* percipiat, tum alimentorum et stipendii causa, tum ad ferenda onera beneficii.

Ex quo perspicuum est *multa postulari* ad erectionem beneficii rite recteque perficiendam.

1391. **I. Requiritur legitima Superioris ecclesiastici auctoritas.** — *Cf. n. 1383.*

a) *Romano Pontifici* reservata est erectio *sedium episcopalium*, et *his majorum*, itemque *Capitulorum*, tam cathedralium ecclesiarum, quam collegiatarum.

b) Ad *Episcopum* autem erectio *aliorum beneficiorum* et ecclesiarum *parochialium* spectat; quin etiam, *novos canonicatus*, de consensu Capituli, erigere potest in Capitulis decreto absoluto non numeratis. — *Cf. n. 727.*

1392. **II. Requiritur titulus**, sine quo erectio ecclesiastici beneficii consistere haud potest.

a) Nomine autem *tituli* significatur, non solum ecclesia vel capella, vel ara alicui Sancto dicata, in qua sub ejusdem Sancti tutela et invocatione beneficium erigitur, et unde nomen desumit; verum etiam significatur *officium ipsum spirituale* quod in eadem ecclesia, aut capella, aut ara obire beneficiarius debet: functio enim munerum ecclesiasticorum et cultus divinus, est beneficiorum *fundamentum* et *finis*.

b) Cum vero spiritualia locum non occupent, nihil obstat quin *in una ecclesia*, atque etiam in uno eodemque altari, *plura beneficia* erigantur.

1393. **III. Requiritur constitutio dotis**, quo nomine veniunt bona certa, stabilia et frugifera, ex quibus rector beneficii *annuos fructus* percipiat.

Dotem autem *congruam* esse oportet pro qualitate beneficii et onerum; eaque dos *donatione irrevocabili* per publi-

cum instrumentum, aliasve publicas scripturas, constituenda, et ab Episcopo, in actu erectionis, beneficio attribuenda et applicanda est.

1394. **IV. Denique, decretum erectionis,** quo Superior ecclesiasticus, prævio consensu eorum quorum interesse potest, beneficium ipsum *in perpetuum titulum ecclesiasticum erigit,* eique dotem applicat, legesque et conditiones *approbat,* si quas fundator præscripserit; liberum enim cuique est largitione suorum bonorum fundare beneficium, et statuere *leges fundationis*, etiam juri communi adversas, dummodo substantiam beneficii non lædat. — *Soglia, Instit. juris privati, § 84.*

§ V. DE UNIONE, DIVISIONE ET DISMEMBRATIONE BENEFICIORUM.

1395. *Cf. Tractatum De parocho, ubi De erectione parochiarum, num. 842 et seq.*

§ VI. DE COLLATIONE BENEFICIORUM.

In sacris canonibus *collatio* generatim significat quamlibet vacantis beneficii concessionem.

1396. **I. Collatio vel libera est, vel necessaria.**

a) Collatio *libera* est, quando collator, nullo jure coactus ad hunc vel illum præeligendum, neque ad excipiendam cujuspiam electionem vel præsentationem, beneficium *cui vult* concedit, digno tamen atque idoneo.

b) Collatio *non libera* est coacta concessio, quæ scilicet, ex juris necessitate, *certis personis* ab alio legitime electis vel præsentatis facienda est.

Porro, de *electione* et *postulatione*, nec non de *jure patronatus*, quibus electo vel præsentato *jus ad rem*, ut aiunt, acquisitum est, egimus in Tractatu *De jurisdictione ecclesiastica, n. 183 et seq.*

1397. **II. Ad solos Ecclesiæ Præsules pertinet beneficiorum ecclesiasticorum collatio,** cum ea sit

actus potestatis spiritualis, qua jura et ecclesiastica ministeria dispensantur. — *Cf. n. 197 et seq.*

Quapropter, collationes a *laicis* factæ, nullæ atque irritæ sunt. — *Cap. 4 et 5, De jure patronatus.*

a) Collatio *jure plenario*, competit *Summo Pontifici* respectu beneficiorum totius Ecclesiæ; sicut enim est universalis Pastor, ita supremus est omnium beneficiorum collator. — *Cf. Tract. De R. Pontif., ubi de ejus Primatu.*

Romanus Pontifex beneficia conferre potest jure vel *concursus*, vel *præventionis*, vel *devolutionis*, vel *reservationis :* prout collatio ordinaria ipsi simul et alteri competit; vel, plenario jure utens, collatorem ordinarium prævenit; vel, ob negligentiam aut culpam istius, succedit in ejus facultatem, vel talis beneficii collationem sibi reservat.

b) *Ordinario* et *nativo jure, Episcopi* et alii locorum *Ordinarii* beneficia conferunt, cum ipsi fundatam in jure habeant intentionem seu potestatem conferendi beneficia suæ diœcesis. — *Cf. n. 855.*

Unde, si quis alius contenderit collationem alicujus beneficii ad se pertinere, *tenetur id probare* ex privilegio, vel consuetudine rite præscripta. — *Cf. n. 858.*

Et, *in dubio*, causa adjudicanda est Episcopo, cui præsumptio juris favet.

c) Beneficia *vacantia* sunt conferenda ab Episcopo *intra sex menses* ab accepta notitia vacationis, *quibus elapsis*, de Episcopo ad Capitulum, et demum ad proximum Superiorem collatio devolvitur. — *Cf. n. 855.*

§ VII. DE IIS QUIBUS BENEFICIA CONFERRI POSSUNT.

1398. Est regula generalis : beneficia esse *idoneis* conferenda. — *Cap. 29, De præbendis.*

Quæ desiderantur ut aliquis ad beneficium vel officium ecclesiasticum idoneus habeatur, diximus in Tractatu *De jurisdictione ecclesiastica, n. 209 et seq.;* nec non in variis Tractatibus de Episcopo, de Parocho, etc.

§ VIII. De beneficiorum possessione.

1399. **I. Collatio s[illegible]nstitutio canonica jus tribuit capiendæ possessi[illegible] beneficii**; possessionem autem, cum *quid facti* sit, [illegible]ortet de facto et corporaliter apprehendi.

Porro, hanc possessionem beneficii *propria auctoritate* capere canones omnino vetant. Spectat autem *missio in possessionem* ad Antistitem collatorem, quam *per seipsum* tribuit, aut *exsecutori* tribuendam in litteris collationis committit. — *Cf. n. 942.*

1400. **II. Possessio beneficii traditur, vel ipsi beneficiario præsenti, vel ejus procuratori speciale mandatum habenti**; et, quanquam certa *forma capiendæ possessionis* nullo jure sancita sit, aliqua tamen *externa signa* usu recepta sunt quibus possessionis traditio et acceptatio significantur.

Igitur, possessio arripitur per ingressum in ecclesiam ubi est titulus beneficii, occupando sedem convenientem, veluti stallum in choro, aut campanam pulsando, altare osculando, missale aperiendo vel claudendo, aliaque id genus agendo *quæ officium et potestatem beneficiati significent.*

Canonicatus autem et præbendæ capitularis possessio coram Capitulo accipienda est.

§ IX. De vetita beneficiorum pluralitate.

1401. **I. Ex veteri disciplina**, omnes clerici, cum ordinabantur, ait *Devoti*, certæ adscribebantur ecclesiæ, cui servire debebant, et a qua necessaria quæque accipiebant. — Cum autem unus idemque clericus *eodem tempore duabus ecclesiis* servire non posset, consequens erat ut neminem duabus ecclesiis adscribi vetus disciplina pateretur.

a) Postquam *beneficia* instituta sunt, etiam interdictum est ne cui *plura simul beneficia* tribuerentur, cum unus

clericus simul gerere non possit plura officia quæ beneficiis conjuncta sunt.

b) Sed *imminutis*, lapsu temporum, *beneficiorum redditibus*, uni clerico concedi cœperunt plura beneficia, ut quod unum non dabat haberet ex pluribus ; eaque dicta sunt beneficia *compatibilia*, quoniam non residentiam, neque aliud habebant adjunctum onus quod alterius beneficii possessionem impediret.

Quibus beneficiis opponebantur *incompatibilia*, quæ scilicet plura numero, ob onus singulis affixum, ab uno eodemque clerico simul retineri non poterant. — *Devoti, Instit. can., lib. 2, tit. 14*, § *12 et seq.*

1402. **II. Hodie, iis utimur legibus quæ a Tridentina synodo constitutæ sunt**, *sessione 7, cap. 2 et 4 ; et sess. 24, cap. 17, De ref.*

a) Duo *incompatibilia* beneficia, cujusmodi sunt ea quæ, in diversis locis constituta, onus residentiæ personalis important, vel obligationes imponunt quibus eadem persona satisfacere non valeat, *uni clerico* concedi non debent ; et, si concedantur, primum ipso jure *vacat*.

Quod si utrumque simul beneficium retinere quis velit, *utroque privandus est.*

b) In cæteris beneficiis, quæ *compatibilia* dicuntur :

1º Servanda regula est : eorum plura ab uno eodemque clerico retineri posse, cum unum non tantum præstat quantum est ad cultum et ad victum *necessarium*.

2º Sed, si unius redditus *satis sunt* ut clerus honeste ac decenter vivat, nefas est plura in eo beneficio coacervare ; et *primum amittit* qui, præter necessitatem, alterum beneficium adeptus est.

§ X. DE COMMENDIS BENEFICIORUM.

Licet nulla supersint apud nos beneficia in *commendam*, juvat *de historia hujus institutionis* aliquid adnotare.

1403. **I. Commendarum origo.**

a) Initio, ait *Devoti*, commenda erat custodia aut admi-

nistratio *vacantis ecclesiæ,* quæ tamdiu obtinebat quamdiu ea careret Episcopo a quo regeretur.

Simili modo commendabantur *parochiæ* et *monasteria;* atque hæ commendæ *ad tempus* erant, quoniam certo tempore cessabat causa propter quam institutæ fuerant.

b) *Perpetuæ* dabantur commendæ, cum eas *perpetua causa* postularet.

Ita, cum hostium impetu vastatæ fuissent cathedrales ecclesiæ, atque illinc Episcopi discedere debuissent, Romani Pontifices, vel illos aliis præficiebant cathedralibus ecclesiis quæ tunc vacarent, vel etiam ipsis *abbatias perpetuo commendabant,* ut ex earum redditibus decenter viverent, ac simul episcopalem potestatem exercerent.

Sunt et alia commendarum, quæ quidem perpetuæ erant, exempla, potissimum cum clericus non tantum ex beneficio haberet *quantum ei esset necessarium.*

Itaque, *justis de causis* commendæ institutæ sunt, neque eas improbare quis potest cum episcopatus, parochiæ, monasteria commendantur Episcopis et clericis ordine insignitis quem beneficium postulat. — *Devoti, loc cit.,* § *24.*

1404. **II. Earum vicissitudines.**

a) Verum, lapsu temporum, *laici* ecclesiastica bona *invadere* cœperunt; potissimum vero Principes ea militibus commendabant, ut opes ad gerendum bellum haberent.

Pravum hunc morem quem, invita ecclesiastica jurisprudentia, turbulenta illa ætas induxerat, *prorsus tollere studuerunt* concilia ea tempestate habita; præsertim vero Romani Pontifices diligentem dedere operam ut ad Ecclesiam redirent quæ violenter a laicis occupata fuerant.

b) Ita factum est ut sua denique Ecclesiæ *restituerentur bona;* et tunc potissimum *clericis* multa sunt commendata eorum quæ pridem laici arripuerant, præsertim cum *graves essent causæ* propter quas commendæ, non permittendæ solum, sed etiam *probandæ* viderentur.

1º Scilicet, ab infidelibus iterum occupatis locis sanctis, et *inde ejectis Episcopis,* opportunum visum est alios ipsis

in Italia et alibi episcopatus aut abbatias commendare, ut his redditibus vitam ducerent.

2° Accessit *studium restaurandæ monasticæ disciplinæ,* quæ in pluribus monasteriis pene sublata exstinctaque erat; et plures etiam clerici sibi commendata monasteria acceperunt, ut ea tuerentur atque defenderent.

3° Neque vero Summi Pontifices, aut concilia, factum suum improbari unquam posse existimabant, cum Episcopis aut aliis clericis dabant redditus et fundos qui ad *Regulares* pertinebant. Illud ipsis curæ erat ut laici Ecclesiæ bona non diriperent; sed semper amplam Ecclesiæ potestatem esse putarunt tribuendi ecclesiastica bona *inter clericos* quibus ea magis, pro temporum, locorum ac personarum ratione, concedenda videbantur. — *Devoti, Instit. can., loc. cit.,* § *25.*

1405. **III. Varia de iis decreta.**

Aliquando tamen *valde auctus,* sine justa causa, commendarum numerus, *mala intulit* quæ oportuit removere.

a) Itaque *Clemens V* commendas sustulit quæ, non bene cognitis expensisque rebus, datæ fuerant; et *Benedictus XII* ac *Leo X* commendas abrogarunt quas in perniciem monasteriorum, atque ecclesiasticæ disciplinæ, redundare animadverterunt.

b) Synodus *Tridentina* monasteria in posterum *vacatura* tantum spectatæ vitæ *Regularibus* concedi jubet, eaque monasteria quæ sunt *capita* ac *primates Ordinum* jure commendæ aliquem retinere prorsus vetat.

Reliqua vero *monasteria* jam commendata, quæ suos habent conventus, Romano Pontifici committit, ut iis, pro sua pietate et prudentia, Regulares præficiat, quantum ratio temporum ferre potest. — *Sess. 25, cap. 21, De Reg.;— Devoti, Instit. can., lib. 2, tit. 14,* § *27.*

§ XI. DE OBLIGATIONIBUS BENEFICIATORUM.

Triplici obligationum genere tenentur quicumque in sacris canonibus beneficiatorum nomine veniunt.

Primum genus complectitur obligationes quibus tenentur ut *clerici;* — secundum obligationes quæ universim e *beneficio* oriuntur; — tertium obligationes quas adimplere debent vi *peculiaris muneris* quod exercent.

De obligationibus beneficiatorum quibus ut *clerici* tenentur, egimus in Tractatu *De Episcopo*, ubi *de vita et honestate clericorum, n. 343 et seq.* — Ea quæ respiciunt peculiare officium *Episcopi, parochi*, etc., suo loco proposita sunt. — Superest ut dicamus de alio genere obligationum quæ generatim e *beneficio* oriuntur.

1406. **I. De professione fidei emittenda** ab iis qui provisi sunt de beneficiis curatis, vel de canonicatibus et dignitatibus ecclesiæ cathedralis, egimus *ubi de obligationibus quæ hisce officiis adnectuntur. — Cf. n. 865.*

1407. **II. De recitatione horarum canonicarum.**

Communis est *omnibus beneficiariis* obligatio horas canonicas recitandi. — *Conc. Later. V, sess. 9;* — *constit. Pii V, Ex proximo, an. 1571.*

a) Si quis « *post sex menses* ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum *fructus suos non faciat*, pro rata omissionis recitationis officii et temporis; sed eos, tanquam injuste perceptos, in fabricam hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas, erogare teneatur.

» Si vero *ultra dictum tempus* in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso *privetur.* » — *Conc. Later., loc. cit.*

b) Beneficiarius qui, præter onus recitandi officii, habet etiam *alia sustinenda onera* beneficio adnexa, ut sunt Episcopi, parochi, etc., si, legitime non impeditus, omittat, ex. gr., totum officium unius diei, non tenetur *omnes fructus* hujus diei restituere; sed eam partem retinere potest quæ aliis oneribus respondet. — Ita interpretantur communiter bullam Pii V. — *Cf. S. Lig., lib. 3, num. 673.*

c) Restitutio fructuum debetur *ante sententiam judicis, etiam declaratoriam*, ut patet ex damnatione sequentis pro-

positionis ab *Alexandro VII* : « Restitutio a Pio V imposita beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna ». — *Prop. 20 inter damnatas.*

Ratio cur non sit exspectanda sententia, quæ in omnibus pœnis positivis generatim requiritur, adsignatur a *S. Ligorio*, nempe eo quod recitatio officii sit *conditio sine qua non potest* beneficiarius adipisci fructus, sicut declaravit concilium Lateranense, loc. cit. — *S. Lig., num. 665.*

1408. **III. De obligatione residendi.**

a) Residentia *definiri* solet : Commoratio assidua, seu ferme continua, in ecclesia seu loco beneficii, servitii ecclesiastici personaliter præstandi causa.

b) Hinc, in sensu canonum, revera non residet qui officia ecclesiastica non præstat, quamvis in regione vel urbe *materialiter* commoretur ubi beneficium possidet. — Unde residentia clericorum dicitur *laboriosa. — Cf. Tract. De Episcopo, De parocho, etc., ubi de residentia.*

c) Inspecta beneficiorum *primæva institutione*, dicendum est *omnia* prorsus beneficia secum tulisse personalem clerici residentiam. Verum, *immutatis rerum adjunctis*, desinere incœpit, pro aliquibus beneficiis, ratio obligationis servandi legem residentiæ.

Instituta sunt enim *beneficia* quæ, ex una parte, non satisfaciebant honestæ clericorum sustentationi procurandæ, ex altera autem parte, onera adnexa habebant quæ alibi, etiam *extra ecclesiam beneficii*, persolvi poterant, ex. gr. onus recitationis horarum canonicarum. — Hinc, ex rationabili consuetudine inductum est, ut nonnulla beneficia *legem residentiæ non secum ferrent*, quæ communi acceptione hodie appellari solent beneficia *simplicia. — Santi, in tit. De clericis non resid., n. 4 et seq. — Cf. n. 1386.*

1409. **IV. De obligatione impendendi in usus pios superflua bonorum ecclesiasticorum.**

a) *Quadruplex* est *peculium* clericorum.

1° Primum appellatur *patrimoniale*, et componitur ex

illis bonis quæ clerico obvenerunt ex titulo aliquo civili, ex. gr. successione, contractu, vel profana sed non prohibita industria.

2º Secundum peculium dicitur *quasi-patrimoniale*, seu *industriale*, quod componitur ex bonis quæ, citra redditus beneficii sui, et absque intuitu beneficii, sibi clericus comparavit labore speciali *in muneribus ecclesiasticis obeundis*, vel in officiis sacri ministerii adimplendis, ex. gr. in prædicatione verbi Dei, in celebratione Missarum, etc.

Hoc patrimonium respondet peculio *castrensi* vel *quasi-castrensi* Romanorum.

3º Tertium est proprie dictum *ecclesiasticum*, et appellari potest *beneficiale* peculium; illudque resultat ex fructibus bonorum Ecclesiæ, quos suos facit clericus *munia beneficii sui* adimplens. — *Cf. n. 1384 et seq.*

4º Quartum peculium est *parcimoniale*, et resultat ex illis bonis quæ sibi clericus comparavit subtrahens aliquid ex *redditibus ecclesiasticis* destinatis ad honestam vitæ sustentationem.

Parcimoniale dicitur hoc peculium, quia *parce vivendo* illud sibi clericus comparavit. — *Santi, in tit. De pecul. cleric., num. 2 et seq.*

b) Certum est clericos *pleno jure* possidere bona *patrimonialis peculii*, ceu expresse docet *cap. 9, De testamentis*. — Ratio est quia clericus, in iis quæ assequitur ex titulo honesto et proprio, æquiparatur cæteris civibus, ac proinde censetur rerum suarum *dominus*.

c) Idem dicunt Doctores tenendum esse de bonis peculii *quasi-patrimonialis*; nam censentur esse bona acquisita ab ipso clerico ratione sui *laboris* et *industriæ*, absque intuitu beneficii; sunt scilicet pura merces laborum.

d) Clericus jus habet utendi *ad honestam sustentationem* iis bonis quæ sibi obveniunt ex *beneficiis ecclesiasticis*.

1º Nam « qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de

Evangelio vivere». — *I Cor.*, IX, *13, 14.* — *Cf. Bened. XIV, De syn.*, *lib. 8, cap. 2*; — *et commentat., in tit. De peculio clericorum.*

2° Hæc doctrina applicatur etiam in casu quo clericus ex bonis patrimonialibus sufficienter habet unde sibi provideat; æquum est enim ut nemo cogatur *militare suis stipendiis.*

Quæ autem *requirantur* ad honestam clerici sustentationem, et quæ *superflua* censeantur, non potest certis regulis præfiniri. Congrua sustentatio non eadem in singulis requirit : ratio habenda est *qualitatis beneficii, usus regionis, conditionis personæ;* alia parocho, alia Episcopo onera incumbunt. — Non est securior, nec melior regula quam praxis clericorum timoratæ conscientiæ, qui in eodem dignitatis gradu vivunt. — *Icard, Prælect., num. 613.*

e) Clericus tenetur erogare in pios usus *superflua* redituum bonorum ecclesiasticorum, id est beneficiorum. — *Cf. Trid., sess. 25, cap. 1, De ref.*

An vero hujusmodi obligatio ex *stricta justitia* oriatur, an ex lege *charitatis* et misericordiæ, an ex *virtute religionis*, an denique ex positivo *Ecclesiæ præcepto*, disputant Canonistæ. — *Cf. Bened. XIV, De synodo diœc., lib. 7, cap. 2.*

f) Verum, clerici habent plenum dominium etiam de bonis peculii *parcimonialis.* — Nam, si jure potuissent ea bona in *proprios usus* absumere, eo ipso censentur hæc bona in dominium transiisse clericorum.

§ XII. DE PENSIONIBUS QUIBUS BENEFICIA GRAVARI POSSUNT.

1410. **I. Pensio**, in re canonica, est certa pars redituum qui ex *alieno beneficio* detrahuntur, atque alicui clerico, justa de *causa*, et legitima *auctoritate* assignantur. Ita *beneficio adhæret*, ut morte beneficiarii non exstinguatur.

Hujusmodi pensiones, quæ *reales* dicuntur, imponendi

potestas ad unum *Romanum Pontificem* devoluta est, quia in earum concessione *canones relaxari* oportet, qui jubent « ut beneficia *sine diminutione* conferantur ». — *Tit. 12, lib. 3 Decret.*

1411. **II. Aliquando pensio non imponitur beneficio ipsi, sed personæ beneficiarii;** unde ejus morte *exstinguitur*, neque in beneficii *successores* transit.

a) Hujus *temporariæ* pensionis imponendæ facultatem *Episcopis* inesse plures Canonistæ contendunt, innixi *cap. 21, De præbendis*. Siquidem per hujusmodi pensionem, non *ipsum beneficium* gravatur, sed *solus beneficiarius*, quamdiu beneficium tenuerit.

b) Verum concurrere debent : *justa causa*, *consensus beneficiarii* gravati, et *mensura* in pensionibus imponendis, ita ut beneficiarius congrua portione non fraudetur, et præterea tantum supersit quantum aliis beneficii oneribus sufficiat. — *Cf. Trid., sess. 24, cap. 13, De ref.; — et res. S. C. C., in Regien., 15 mart. 1889.*

c) Hodie, apud nos, cum in plerisque diœcesibus *arcæ* constitutæ sint quibus provideatur necessitatibus clericorum morbo vel ætate debilitatorum, *minus urget necessitas* pensiones ex ipsis beneficiorum redditibus constituere. — *Cf. n. 946.*

§ XIII. DE VACATIONE BENEFICIORUM.

1412. Beneficium *vacat* dum suo rectore destituitur, quemadmodum vacantia bona dicuntur quæ hæredem vel possessorem non habent.

Beneficium vero vacat *duobus modis*: aut *voluntate propria*, aut *necessitate*. — Primo modo beneficia vacant, dum libera beneficiarii voluntate *resignantur* vel *permutantur*; secundo modo vacant, dum, invitis possessoribus, aut ob *mortem* aut in *pœnam* amittuntur.

Porro, de *resignatione* et *permutatione* officiorum et beneficiorum egimus in Tractatu De jurisdictione ecclesiastica in genere, ubi *de amissione jurisdictionis ordinariæ*,

n. 216 et seq.; in Tractatu De Episcopo, ubi *de amissione jurisdictionis episcopalis, n. 687 et seq.;* et in Tractatu De parocho, ubi *de cessatione muneris parochialis, num. 1009 et seq.*

De *necessariis* autem vacationibus dicemus, ubi *de depositione et privatione, n. 1709 et seq.*



TRACTATUS X.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.



Agendum est : de judiciaria potestate Ecclesiæ ; — de personis ad judicium concurrentibus ; — de foro competenti ; — de probationibus judicialibus ; — de ordine servando in judiciis ecclesiasticis ; — de processu extraordinario ; — de modo procedendi extrajudicialiter, ex informata conscientia ; — de remediis canonicis contra judicia et actus extrajudiciales.

CAPUT I.

DE JUDICIARIA POTESTATE ECCLESIÆ.

Nempe : de judiciorum ecclesiasticorum natura et variis speciebus ; — de exsistentia potestatis judiciariæ in Ecclesia ; — ejusque objecto.

ARTICULUS I.

DE JUDICIORUM ECCLESIASTICORUM NATURA ET VARIIS SPECIEBUS.

1413. **I. Judicium forense (jus dicere) est :** Sententia a *persona competente* prolata, de jure ab *Actore* contra *Reum* quæsito, præmissa *disceptatione*.

a) *Causa* dicitur ipsa res seu jus controversum quod deducitur in judicium ; et hæc causæ deductio plerumque *litis* nomine appellatur.

Instantia autem est exercitium actionis, quod litis contestatione incipit, et usque ad sententiam definitivam durat.

b) *Judex* est persona ad justitiam reddendam legitime constituta, cujus decreto res absolvenda et definienda est.

Præfata judicis potestas, ut non inanis remaneat, est

imperio mixta, quatenus adjunctam habet facultatem necessariam ad judiciorum expeditionem et sententiarum exsecutionem.

c) *Actor* ille est qui intentat actionem de commodo obtinendo, aut de pœna infligenda. — In criminalibus speciatim *Accusator* nuncupatur, vel *Procurator fiscalis.*

d) *Reus,* e contra, vocatur ille a quo res de qua disceptatio est, sive commodum sive pœna, ab Actore postulatur apud Judicem.

e) *Causæ disceptatio* tandem ad essentiam judicii forensis omnino pertinere censenda est. Requiritur nempe ut proferantur rationes Actoris ad probandam suæ postulationis justitiam, et fiat Reo respondendi seseque defendendi facultas.

Si autem Reus, ad judicium vocatus, sit *contumax,* id est venire recuset, hac ipsa agendi ratione implicite respondet, et fatetur sese omni efficaci defensionis medio destitui : quæ responsio ad requisitam ex parte Rei causæ disceptationem plane sufficit.

f) Præter conditiones ad constituendum judicium proprie dictum necessarias, quæ *substantiales* dici solent, aliæ conditiones seu formalitates *a lege positiva* utiliter præcipi possunt, ita ut, si omittantur, irritum ac nullius effectus declaretur judicium.

Istæ *accidentales* nuncupantur : tum quia, ex earum omissione, generale injustitiæ periculum non inducitur; tum quia, pro diversis temporibus et locis, varias mutationes passæ sunt.

1444. **II. Variæ sunt divisiones judicii ecclesiastici, ratione finis, materiæ et formæ.**

a) *Ratione finis :*

1º Judicium *civile* appellatur, quando Actor, deducens causam in judicium, non prosequitur vindictam, sed suum aut alterius commodum.

2º Erit *criminale,* quando principaliter intenditur delictum puniendum, propter ipsius societatis bonum.

3° *Mixtum* est judicium, quando commodum privatum et vindicta publica simul intenduntur, seu quando Actor simul expostulat et pœnam Rei et damni reparationem.

b) *Ratione materiæ* :

1° Judicium est *petitorium* vel *possessorium*, prout litigatur de ipsa rei proprietate, aut de sola ejus possessione adipiscenda, retinenda vel recuperanda.

2° *Temporale* vel *spirituale*, prout versatur circa rem profanam ex parte materiæ, quando, v. gr., duo clerici de aliqua re temporali coram Judice ecclesiastico disceptant; aut versatur circa materiam spiritualem, vel *ab intrinseco*, ut sacramenta, vel *ab extrinseco* ex spirituali deputatione, ut beneficia.

c) *Ratione formæ* :

1° Judicium ecclesiasticum aliud est *ordinarium*, quod et *solemne* ac *plenarium* dicitur, in quo nempe omnes solemnitates servantur, sive *substantiales* sive *accidentales*.

2° Aliud est *extraordinarium*, in quo necesse non est *omnes* has solemnitates servare, ipso jure concedente ut, in *certis causis*, breviori peculiarique norma procedatur.

De modo procedendi in *plenariis* et *solemnibus* judiciis, minus solliciti erimus, quoniam, ob angustias inter quas Ecclesia versatur, et in sequelam *Instructionis S. C. Ep. et Reg., diei 11 jun. 1880*, judicia summaria et œconomica jam *ordinaria* evaserunt.

ARTICULUS II.

DE EXSISTENTIA POTESTATIS JUDICIARIÆ IN ECCLESIA.

Ecclesia *jure proprio* seu *divino* judiciariam habet potestatem. — Quod probatur :

1415. **I. Ex Scriptura :**

a) Etenim hæc potestas *directe* in pluribus Scripturæ locis asseritur.

Ex. gr., *I Tim.*, v, *19* : « Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus ».

Item, apud *Matth.*, XVIII, *15* : « Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ».

In quibus reperiuntur omnia judicii in foro externo et contentioso essentialia, nempe *Reus, Accusator, Judex, sententia*, et demum *coercitio* seu pœna, eaque gravissima, scilicet ejectio ab Ecclesia.

b) Plures insuper textus Scripturæ Sacræ probant a Christo datam fuisse Apostolis ac eorum successoribus veram potestatem regnum Dei, id est Ecclesiam, regendi et gubernandi. — *Matth.*, XVI, *19;* XVIII, *18;* XXVIII, *18 et seq.;* — *Heb.*, XIII, *17;* — *I Cor.*, IV, *21 ;* — *II Thess.*, III, *14; etc.*

Jam vero, ejusmodi potestas necessario *includit potestatem judiciariam.* Ille enim non habet populum regendi veram potestatem, qui nequit lites ortas componere ; nec justa est coercitio, nisi certum et probatum sit crimen, quæ probatio ordinarie nonnisi per judicium proprie dictum haberi potest. — *Cf. Bouix, De judic., t. 1, pag. 29 et seq.*

1416. **II. Ex perpetua Ecclesiæ praxi.**

Nam *jus canonicum*, a primordiis Ecclesiæ ad nos usque conflatum, magna ex parte respicit *judicia ecclesiastica* recte ordinanda. — Atqui, Ecclesia circa objectum et extensionem suæ potestatis est *infallibilis*, ita ut jus alienum uti proprium usurpare non possit.

1417. **III. Ratione theologica.**

Christus Ecclesiam suam instituit in *societatem perfectam*, quæ ideo jure polleat exigendi a suis quidquid est necessarium ad finis consecutionem. — *Cf. n. 18 et 19.*

Atqui, pro humani intellectus diversitate, perversarumque cupiditatum æstu, in omni societate perfecta, præter potestatem legislativam, qua media ad obtinendum societatis finem apta designantur, necessaria quoque est potestas

quæ judicet de vera justaque *mediorum applicatione*, hoc est, tum de *vero sensu legum*, tum de *sociorum actionibus* utrum legibus sint conformes nec ne, ita ut media per potestatem legiferam proposita rite applicentur, dubia omnia solvantur, componanturque lites et jurgia. — Et hæc potestas cui omnes parere teneantur, potestas *judiciaria* appellatur. — *Cf. encycl. Immortale Dei, Leonis XIII,* § *Tam ingenti.*

ARTICULUS III.

DE OBJECTO JUDICIARIÆ POTESTATIS ECCLESIÆ.

1418. **I. Causæ spirituales ad forum ecclesiasticum exclusive et proprio jure pertinent.**

Spirituales causæ dicuntur illæ quæ ex *objecto suo* sacræ sunt, seu versantur circa *rem sacram* et *spiritualem*, id est, circa fidem et doctrinam fidei et morum, circa sacramenta, sacramentalia, ritus sacros, vota, juramenta, dies festos, preces sacras, indulgentias, censuras, sacram disciplinam, etc.

Spiritualium etiam causarum nomine veniunt illæ quæ, licet *intrinsece* spirituales non sint, eo quod earum objectum *in se* dumtaxat consideratum sit quid *temporale*, spiritualibus tamen adnectuntur, et, *ratione hujus adnexionis*, spiritualibus adnumerari debent, cujusmodi sunt, ex. gr., causæ circa beneficia ecclesiastica, redditus ecclesiasticos, etc.

a) Has omnes suæ jurisdictioni subjacere Ecclesia, generali sua praxi, disciplina et legislatione declaravit. — *Cf. cap. Decernimus, 2 ; et cap. Quanto, 3, De judiciis ; — cap. Tuam, 3, De ordine cognitionum ; — cap. Ut inquisitionis, 8, De hæreticis, etc.* — Porro, Ecclesia in determinando objecto suæ jurisdictionis errare non potest.

b) Præterea, in iis omnibus quæ *finem suum proprium* spectant, Ecclesia omnino *independens* est a qualibet alia societate. — Atqui, potestas Ecclesiæ judiciaria, dum in causis spiritualibus se explicat, media usurpat quæ proprie

finem suum respiciunt. — Ergo, hujusmodi causæ *exclusive* jurisdictioni ecclesiasticæ subjiciuntur.

Ideo, Imperatorem alloquens : « Tibi Deus, aiebat *Osius Cordubensis,* imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit ». — *Cf. Syllab.,* § *5 et 6 ;* — *et n. 215, ubi de appellatione ab abusu.*

1419. **II. Res mixtæ, seu mixti fori, vocantur :**

a) Quæ, nec ad ecclesiasticas, nec ad civiles absolute possunt referri, sed tales sunt ut *partim* ad unam, *partim* ad alteram potestatem, *pro diversa ratione,* referantur. — Pro his regula est : utramque curare quod suum est.

Hujus generis sunt, ex. gr., *causæ matrimoniales,* prout *substantiam* vinculi conjugalis attingunt, vel solummodo *effectus civiles* qui matrimonio connectuntur.

Sub *priori respectu,* matrimonium recensetur inter res *spirituales,* quia est contractus divina institutione ad dignitatem sacramenti sublimatus. — Idcirco concilium Tridentinum definivit causas matrimoniales *ad judices ecclesiasticos* spectare.—*Sess. 24, De sacram. matrim., can. 12.* — *Cf. Syllab.,* § *8, passim.*

Sub *altero* autem *respectu,* matrimonium est res *temporalis ;* quapropter Judicis sæcularis est lites exortas dirimere quæ super dote, donatione propter nuptias, hæreditaria successione et similibus moventur.

b) Res *mixti fori* quoque dicuntur quæ, vel ex privilegio, vel expressa tacitave alterius potestatis concessione, vel diuturna consuetudine, utrique potestati *communes* evaserunt, ita ut detur locus *præventioni,* scilicet alterutri liceat priori loco negotium occupare.

1420. **III. Causæ temporales clericorum,** sive civiles, sive criminales, ad forum ecclesiasticum spectant, vi *immunitatis,* ut aiunt, *personalis,* seu *privilegii fori.* — Clerici, *qua cives,* debent legibus civilibus obtemperare quæ non repugnant sacris canonibus et officio clericali ; at, *si deliquerint* contra eas, debent in foro ecclesiastico conveniri, et non a laico, sed a Superiore ecclesiastico judicari et puniri.

a) Certum est *Ecclesiam semper sibi vindicasse* judiciariam potestatem in causas clericorum civiles et criminales, ut constat ex dictis ss. Patrum, conciliorum et Romanorum Pontificum decretis, et praxi Ecclesiæ.

1º « Sacerdotes, *ait S. Ambrosius in concilio Aquileiensi*, de laicis judicare debent, non laici de sacerdotibus. » Quo concilio damnatus est Palladius Episcopus, qui laicorum judicium postulabat.

Ita et S. Athanasius, S. Hilarius, Lucifer Calaritanus, etc., *apud Devoti, Instit. can., lib. 3. tit. 4*, § *9*.

2º Antiquo juri consentit *jus Decretalium*, ut constat, ex. gr., ex *cap. Diligenti, De foro competenti*, ex quo non solum clericus ad judicem laicum invitus trahi non potest, quæcumque sit causa, sed neque ultro consentiens.

Item, ex *cap. Quanquam, De censibus, in 6º*, « Ecclesiæ ecclesiasticæque personæ ac res ipsarum, non solum jure humano, quinimo et divino, a sæcularium personarum exactionibus sunt immunes ».

3º *Concilium Lateranense V, sess. 9*, declarat « a jure, tam divino quam humano, laicis potestatem nullam in ecclesiasticas personas attributam esse ».

Et *concilium Tridentinum* hortatur Principes ne sinant violari « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam ». — *Sess. 25, cap. 20, De ref.*

4º Ideo *Pius IX* sequentem propositionem damnavit : « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Sede Apostolica ». — *Syll., err. 31.*

5º Et excommunicationi *latæ sententiæ*, *speciali modo* Romano Pontifici *reservatæ*, subjacent « Cogentes, sive directe, sive indirecte, Judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, præter canonicas dispositiones ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 1, num. 7.*

Hanc excommunicationem « eos non attingere qui *subordinati* sint, etiamsi *Judices* fuerint, sed in eos tantum esse latam qui, a nemine coacti, vel talia *agunt*, vel alios *ad agendum cogunt* », ideoque non afficere nisi *legislatores*

et alias *superiores* auctoritates non semel declaravit S. C. Inquisit., *ex. gr., 15 jun. 1870, 23 jan. 1886.*

b) Ex citatis præsertim conciliorum decretis apparet immunitatem hanc clericorum a foro civili esse aliquo sensu *juris divini*. Verum, ex eisdem conciliis, hæc immunitas, non solum « Dei ordinatione », sed et *jure ecclesiastico*, nempe « canonicis sanctionibus » constituta est.

Dicendum igitur est eam suaderi *jure naturali;* quoad substantiam institui *jure divino; jure ecclesiastico* in ultima specie determinari; ac demum acceptari et roborari *jure civili*, siquidem ipsi christiani Imperatores æquissimas tulere leges quibus cautum est ut clerici suarum controversiarum Judices nonnisi ecclesiasticos haberent.

Non igitur immerito Pius IX sequentem propositionem damnavit : « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit ». — *Syll., err. 30.*

c) Hoc fori privilegium ita adhæret personis clericorum ut eo, *ne volentes* quidem, ipsi *abdicare* se possint.

Quod sapientissime constitutum est, ut ordinis dignitati consuleretur. — Non enim peculiare privilegium est quod *privatam* attingit personam unius alteriusve clerici, sed ad commodum decusque pertinet *ordinis ecclesiastici universi. — Cf. n. 106.*

d) Ob urgentes circumstantias, ob specialem conditionem locorum et temporum, potest Romanus Pontifex, vel *tolerare*, vel etiam *permittere* ut causæ clericorum a laicis personis, *quibusdam in locis* et *certis sub conditionibus*, cognoscantur et definiantur.

Quæ permissio, si de christianis personis sermo sit, considerari potest ceu *species delegationis ecclesiasticæ*, quæ ex privilegio Pontificis etiam a laicis potest exerceri. — *Santi, in tit. De foro competenti, num. 30.*

e) Pariter, ob rationabiles causas, potest Romanus Pontifex privilegium fori aliquantisper *immutare*, nec non *coarctare* intra limites strictiores, sive relate ad *loca*, sive relate ad *personas*, sive relate ad *causas*.

Quemadmodum videmus factum a Bonifacio VIII, *cap.*

unic. De clericis conjugatis, in 6°, qui exclusit ab hoc privilegio clericos conjugatos non gestantes habitum et tonsuram; et a Tridentino, *sess. 23, cap. 6, De ref.*, ubi Patres novam conditionem decernunt ut clericus in minoribus ordinibus constitutus fori privilegio gaudeat, nempe quod « *alicui ecclesiæ*, ex mandato Episcopi, inserviat, vel in *seminario clericorum*, aut in aliqua schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur ».

f) In iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices *derogatum non fuit*, « si in eis non datur sua jura persequi nisi apud Judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario *veniam petere* ut clericos in forum laicorum convenire possint; eamque Ordinarii *nunquam denegabunt*, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint.

» *Episcopos* autem in id forum convenire absque venia *Sedis Apostolicæ* non licet.

» Et, si quis ausus fuerit trahere ad Judicem seu Judices laicos, vel *clericum* sine venia Ordinarii, vel *Episcopum* sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris ferendæ sententiæ, uti *violatorem privilegii fori*, si id expedire in Domino judicaverint. » — *Decret. Sac. Congr. Inquisitionis, 23 jan. 1886.*

g) Quatenus vero ecclesiasticus *viro laico* propria *jura cedere* velit in aliqua quæstione adversus *presbyterum*, veniam petere debet ab Episcopo, et a S. Sede si lis sit adversus Episcopum; quod nisi faciat et obtineat, subjicitur dispositionibus emanatis adversus presbyteros *recurrentes ad Judices-laicos*, et habetur ceu agens in fraudem legis. — *S. C. de Prop., 6 sept. 1886.*

1421. **IV. Plura olim ad forum ecclesiasticum pertinebant, quæ hodie a civili potestate usurpata sunt.**

a) Exempli gratia, jure Decretalium, etiam *viduæ, pupilli, cæteræque miserabiles personæ* ad ecclesiasticum ju-

dicium vocandæ sunt *(cap. 26, De verborum significatione, et cap. 15, De foro competenti)*, quoniam iis opitulari ab ipsis Ecclesiæ incunabulis non ultimam fuisse constat Episcoporum curam. – *Cf. can. 1 et 2, dist. 87.*

Quin etiam *civiles leges* laicorum controversias ecclesiastico Judici committebant, non solum cum duo litigantes consentiebant, sed etiam si eorum alter dissentiret. — *Cf. Devoti, loc. cit.*, § *11.*

Item ad Ecclesiam pertinebant causæ reales, seu contractus, quibus *juramentum* accesserat; nec non exsecutio *testamentorum* ad pias causas. — *Cf. n. 1365.*

b) Verum gravia vulnera antiquæ jurisdictioni Ecclesiæ a potestate sæculari inflicta sunt.

« Hisce Judicum sæcularium ausibus, ait *Benedictus XIV*, ab initio obstiterunt Pontifices Maximi et sanctissimi Ecclesiarum Antistites. Sed, cum illos a proposito dimovere nequiverint, *ad evitanda majora mala*, inolescentes in dies contra ecclesiasticam jurisdictionem consuetudines dissimularunt et tolerarunt; et, quandoque, Summi Pontifices consultius duxere id ipsum *privilegio* Principibus concedere, quod propria auctoritate jampridem sibi usurpaverant. » — *De syn., lib. 9, cap. 9, num. 11.*

Sed Episcopus, monente Benedicto XIV, diligenter intendat « ne judex laicus eam partem ecclesiasticæ jurisdictionis *invadat* quæ adhuc perseverat *intacta* ». — *Ibid., n. 13.*

CAPUT II.

DE PERSONIS AD JUDICIUM CONCURRENTIBUS.

Personæ, aliæ principales sunt in judicio, quæ necessario concurrere debent, nempe Judex, Actor et Reus; — aliæ vero minus principales et accessoriæ, quæ tamen regulariter judicio interveniunt, vel ut adjuvent litigantes, vel ut Judici adsistant.

ARTICULUS I.

DE PERSONA JUDICIS.

Agendum est : de Judicis ecclesiastici notione et variis speciebus; — et de requisitis ex parte ipsius ad validitatem, — nec non ad liceitatem sententiæ.

§ I. DE JUDICIS ECCLESIASTICI NOTIONE ET VARIIS SPECIEBUS.

1422. **I. Judex est** : Persona *publica* jurisdictione *ecclesiastica* in foro *externo* pollens, ad cognoscendam et dirimendam, post disceptationem, causam controversam.

Ideoque distinguitur, tum a Judice ecclesiastico in foro mere *interno* seu *pœnitentiali*; tum a Judice *laico*, qui gaudet jurisdictione mere *sæculari* ad causas temporales; tum ab *Arbitris*, præsertim *compromissariis*, qui auctoritate tantum privata potiuntur, utpote ab ipsis partibus constituti.

1423. **II. Judices ecclesiastici dividuntur,**

a) *Ratione tituli :* in Judices *ordinarios* et Judices *delegatos*, prout judiciariam potestatem muneri seu officio suo adnexam habent, vel ex alterius commissione accipiunt. — *Cf. n. 181.*

b) *Ratione gradus :* Judex est *superior* vel *inferior*. — Sub eadem divisione comprehenduntur, ratione *appellatio-*

nis, Judex *a quo*, et Judex *ad quem* appellatur, quia fit appellatio ab inferiori ad superiorem.

Varii illi Judicum gradus constituunt totam *hierarchiam* ecclesiasticam, cujus œconomia in anterioribus Tractatibus explicata est.

c) *Ratione numeri :* vel *unus* tantum constituitur Judex ad causam definiendam, vel sunt *plures*.

Et, si plures ponantur, vel agere possunt *in solidum*, vel *collegialiter* procedere.

d) *Ratione originis :* Judex ecclesiasticus est, vel ex *jure divino*, vel ex jure tantum *ecclesiastico*.

1º *Jure divino* potestas judiciaria residet in S. Pontifice et in Episcopis.

2º Jure *ecclesiastico* in Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, conciliis provincialibus, Prælatis regularibus jurisdictionem quasi-episcopalem obtinentibus, ut suo loco expositum est.

Officialis dicitur ille qui generaliter cognoscit de causis pertinentibus ad forum Episcopi, tanquam ejus Vicarius. — *Cf. n. 771.*

§ II. DE REQUISITIS IN JUDICE AD SENTENTIÆ VALIDITATEM.

1424. **I. Ut Judex valide causam judicet, debet esse competens.**

a) Cum nempe, præter summum Ecclesiæ Judicem, id est Romanum Pontificem, cæteri non plenitudinem judicialis potestatis, sed *partem* tantum acceperint, potest dumtaxat eorum quisque *certas causarum species*, vel *certorum hominum*, vel *certis in locis* judicare.

Relative ad hujusmodi causas pro quibus aliquis accepit juris dicendi potestatem, dicitur Judex *competens ;* pro cæteris vero, *incompetens*.

Si quis ergo Judex sit quoad causam incompetens, eam valide judicare nequit, ut patet.

b) Quomodo autem *discerni* et determinari possit quis-

am sit quoad causam aliquam Judex competens, quæstio st quam speciatim discutiemus *n. 1449 et seq.*

1425. **II. Non potest quis esse Judex, vel Assessor, n causa in qua prius Advocatum egit.**

Ratio est, quia de improbitate merito *suspectum* se redit is qui judicare, vel judicanti adsistere vult, in causa ujus ante defensionem suscepit; neque enim præsumi poest pronuntiaturus, aut suasurus, adversus ea quæ ante anquam justa defendit. — *Schmalzgr., in tit. De judiciis, ıum. 17.*

Hæc regula ad *jus naturale* merito referenda videtur. Jam tulit *Codex Justiniani*, et praxi suam fecit *Ecclesia.*

1426. **III. Valide pronuntiare nequit Judex qui onsimilem ipse causam, tanquam Actor, vel Reus, ıabet.** — *Cf. cap. Causam, 18, De judiciis.*

Et *ratio est*, quia merito præsumitur Judicem, in causa uæ cognitioni commissa, ita judicaturum sicut *ab aliis udicari vellet* in consimili sua; et quod, tanquam litigans, æquum justumque existimat in sua, id æquum justumque udicaturum in causa aliena, *ne sibi contradicat*, et alio ure videatur uti in alienum quam quo jure utitur in eipsum. — *Schmalzgrueber, loc. cit.*

1427. **IV. Nullus regulariter in propria causa Julex esse potest.** — Adeo ex *jure naturali* evidens est lla regula, ut nulla indigeat probatione.

Attamen huic regulæ quædam exceptiones apponuntur :

a) Princeps seu *Judex supremus*, Superiorem non ecognoscens, ut est *Papa* vel *Rex*, in propria causa Judex sse potest. — *Cf. cap. Cum venissent, 12, De judiciis*, ubi ognitio quæstionis super Sedis Apostolicæ privilegiis ortæ, lenegatur judicibus Summa illa Sede inferioribus.

1° Hoc videtur exigere *plenitudo potestatis*, ob quam cogi ıon potest ut alterius judicio se subjiciat.

Nec nihil nisi æquum justumque pronuntiaturus *præsumitur* ille qui Supremus est legum conditor, custos et vinlex. — *Schmalzgr., loc. cit., num. 18.*

2º Verum aliqui Canonistæ monent, in tali casu, *consul-tius* et juri naturali conformius acturos Principes, et simile Magistratus supremos, si, vel *arbitris* causas inter se et sub-ditos controversas decidendas committant, vel Judices *ordi-narios* aut *delegatos* constituant, qui jus inter ipsos et sub-ditos suos dicant.

b) Episcopus, vel alius similis Prælatus, potest judi-care *in causa suæ ecclesiæ.*

Attamen est distinguendum an causa directe et principali-ter spectet ad *ipsam ecclesiam* et dignitatem episcopalem an ad Episcopi ipsius aut similis Prælati *personam.*

1º Si primum, *potest* Episcopus esse Judex in causa; nc tant tamen Doctores eumdem, in hoc casu, *recusari* poss a partibus, tanquam suspectum, ob præsumptionem singu laris affectionis erga suam ecclesiam.

2º Si secundum verificetur, *non potest* esse Judex. — *Schmalzgr., loc. cit., num. 19.*

c) Si in dubium vocetur *Judicis competentia* circa cau-sam ad ipsius tribunal perlatam, poterit Judex ipse pro-nuntiare ad eam causam sese extendere suam juris dicend potestatem, juxta legem Romanam : « *Prætoris est æsti-mare an sua sit jurisdictio* ».

Ratio est, quia hujusmodi causa, licet propriæ similis sit revera tamen *non est propria*, cum ejus commodum et uti-litas ad Judicem non pertineat. — Accedit quod prævi hujusmodi cognitio *necessaria* est ut judicandi muner rite fungi Judex possit.

Attamen nequit Judex de jurisdictione in controversiam tracta, an sua sit, cognoscere : 1º Quando objicitur defectu *suggillans personam ejusdem*, v. gr. quod sit excommuni-catus, infamis, jurisdictionis incapax. — 2º Quando recu-satur ut *suspectus*, nisi exceptio suspicionis sit frivola. — 3º Si Judex, cujus jurisdictio dubia est, ex cognitione *nota-bile emolumentum* sit percepturus. — *Schmalzgr., ibid. num. 19.*

d) Tandem, alia exceptio est, si factum, ex. gr. injuria ipsi Judici illata, sit *notoria.*

§ III. De requisitis in Judice ad liceitatem sententiæ.

1428. **I. In Judice requiritur scientia competens,** id est *sufficiens* ut omnia adjuncta juris et facti animadvertere possit, in causis etiam intricatis. — Quilibet enim tenetur scire ea quæ pertinent ad *rectum sui officii exercitium.*

a) Hinc, Judex *carens debita scientia* et ex *culpabili* ignorantia male judicans, *peccat mortaliter*, et tenetur ad *restitutionem* totius damni causati parti læsæ, sive in substantia litis, sive in superfluis expensis. — *Ferraris, v. Judex, n. 29; — et est communis Doctorum sententia.*

b) Imo, Judex carens necessaria scientia ad suum officium, non potest absolvi nisi *facta renuntiatione* officii, vel nisi firme proponat renuntiare, aut illam scientiam acquirere, et interea a judicando se abstinere, cum hic et nunc non possit tale munus obire nisi cum damno vel periculo proximi. — *Ferraris, loc. cit., num. 31.—Cf. S. Thomam, 2. 2., q. 76, a. 2.*

1429. **II. « Curent Judices quamprimum causas definire. »** — *Trident., sess. 24, cap. 20, De ref.*

a) Ideoque Judex *graviter peccat*, causarum expeditionem valde notabiliter sine justa causa *differendo*, et tenetur *restituere* parti læsæ damna et expensas quæ ex iniqua dilatione secutæ sunt, cum sit earum injusta causa. — *Ferraris, ibid., num. 32; et alii communiter.*

b) Et, si causæ saltem *infra biennium* a die motæ litis non terminentur, « post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, *Judices superiores adire*, alias tamen competentes, qui causam in eo statu quo fuerit assumant, et quamprimum terminari curent ». — *Trid., ibid.*

1430. **III. Receptio munerum a litigantibus est Judicibus prohibita :**

a) *Ipso jure naturali*, cum ipsa ratio dictet id vetitum Judicibus censendum esse, quo admisso, certum et commune immineret periculum injuste judicandi.

b) *Jure divino* in Scripturis multoties expresso, ex gr. *Exod.*, XXII, *8* : « Non accipias munera quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum ». — Et similia reperiuntur : *Deut.*, XVI, *19* ; — *Eccli.*, XX, *31* ; — *MichϾ*, III, *11* ; *et alibi.*

c) Tandem *jure canonico*, ex. gr. *cap. Judices, 23, caus. 1, q. 1* ; — *cap. 10, De vita et honest. cleric., etc.*

1° Unde, Judex contra supradictas prohibitiones *notabilia* munera accipiens, non solum *peccat graviter*, sed et tenetur ad *restitutionem* ; quod expresse declaratur in *cap. Statutum, 11, De rescriptis, in 6°.*

Et revera, litigans munus Judici offert in eum finem ut judicet in sui favorem. Talis autem *contractus*, ex jure etiam naturali, *irritus* est et nullus ; ergo, cum Judex rei sibi hoc modo oblatæ *dominium non acquirat*, eam domino restituere tenetur.

2° Attamen Judex ecclesiasticus, si nullam habeat adsignatum *stipendium* nec *congruam sustentationem*, a litigantibus poterit exigere honorarium, ut tenent communiter Doctores, ex ea ratione quod nullus suis stipendiis militare cogendus sit. — *Cf. 1 Cor.*, IX, *7*.

1431. **IV. Judex tenetur juxta probabiliorem sententiam, relicta minus probabili, pronuntiare.** — Contraria propositio damnata est ab *Innocent. XI*, 2 mart. 1679, et ab *Alexandro VII*, 24 sept. 1665.

a) Et, remanente pro utraque parte æquali juris probabilitate, tenetur Judex in favorem *Rei*, seu *possessoris*, pronuntiare.

Ita *recta ratio* suadet, et expresse *jus canonicum* disposuit. Est enim *regula 11 juris, in 6°* : « Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius quam Actori ». — Et alia *regula 65, ibid.* : « In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis ». — *Cf. cap. Ex litteris, 3, De probationibus.*

b) In causis autem *criminalibus*, ad condemnandum non sufficit probabilior, sed requiritur *certa* probatio.

Item, in causis *matrimonialibus*, quando agitur de *va-*

ore matrimonii, certa probatione opus est ut matrimonii ıullitas pronuntietur. — *Cap. Ex litteris, 3, De probationi-ous; — et cap. 26, De sententia et re judicata.*

1432. **V. Judex regulariter debet pronuntiare uxta allegata et probata**, ut ex *jure ipso naturali* patet.

Diximus : *regulariter.* — Nam dubium exsurgit utrum udex debeat judicare secundum allegata et probata, etiam *ontra propriam certam scientiam.*

a) Omnes consentiunt judicem non posse condemnare Reum qui juxta allegata et probata demonstratur innocens, icet ex *privata* sua et *certa scientia* cognoscat eum esse *ıoxium.* Jura enim favent Reo ; et aliunde Judex non pro-ıuntiat Reum esse innocentem, sed tantum *nocentem non robari.* — Estque illa conclusio unanimiter recepta, mul-isque juris canonici textibus innixa.

b) Utrum vero Judex condemnare possit eum qui, juxta llegata et probata, pro *nocente* habendus est, quando ex *rivata sua scientia* certo cognoscit eum esse *innocentem?* uctores in *triplicem* abiere sententiam.

1º *Alii affirmant* cum *S. Thoma*, qui, *2. 2., q. 64, art. 6, d 3*, sic sententiam suam exponit : « Judex, si scit ali-uem innocentem esse qui falsis testibus convincitur, debet *iligentius examinare testes*, ut inveniat occasionem berandi innoxium, sicut *Daniel* fecit. Si autem hoc non otest, debet eum *Superiori relinquere puniendum.* Si au-em nec hoc potest, non peccat secundum allegata et pro-ata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, ed illi qui eum asserunt nocentem. »

2º *Alii* autem *negant*, quia nunquam licet innocentem ccidere, ex jure divino. — Aliunde, pronuntiare contra pro-riam scientiam est *mentiri;* mendacium vero est quid in-rinsece malum et nunquam licitum.

3º *Alii* tandem *distinguunt* hoc modo : Potest et debet udex contra propriam conscientiam pronuntiare secundum llegata et probata in causis *civilibus* et *criminalibus mi-oribus;* non autem in *criminalibus majoribus*, in quibus

agitur de pœna mortis vel mutilationis. — Et hæc sententi generatim ut probabilior habetur.

Revera, in primo casu, Ecclesia, sicut et Respublica si d judicio sæculari agatur, potest, *ob bonum publicum*, ne sci licet judiciorum forma cum populi scandalo evertatur, dis ponere ut bonorum de quibus agitur detrimentum subean qui, juxta allegata et probata, condemnandi videntur; nan in hujusmodi bona *altum dominium* habet.

At vero, si agatur de pronuntianda *mortis* vel *mutilatio nis* pœna, locum non habet dicta ratio, quia nempe Aucto ritas, sive sæcularis, sive ecclesiastica, *non habet prædictun dominium* in vitam et membra subditorum innocentium

Cæterum, cum Judex ecclesiasticus nunquam pronuntian das habeat sententias sanguinis, patet *tertiam sententian in primam recidere.* — Ideoque, quoad forum ecclesiasti cum, probabilius potest et debet Judex ecclesiasticus sem per pronuntiare *juxta allegata et probata*, etiamsi ex pri vata sua scientia certo noverit allegatorum et probatorun falsitatem, modo faciat quidquid potest ut liberetur is qu revera innoxius est.

ARTICULUS II.

DE ACTORE ET REO.

Non omnes personæ sunt *habiles* ad standum in judicio tanquam *Actores* vel *Rei*. Sed, tum *jure naturali*, tum *le gibus ecclesiasticis*, multæ ad id ineptæ decernuntur.

1433. **I. Infantes, furiosi et amentes**, utpote qu nequeunt sua jura defendere per seipsos, in judicio star nequeunt; sed ipsis dantur *tutores* vel *curatores*, qui i muneris ipsorum loco expleant.

Pupilli item nec *convenire* nec *conveniri* possunt abs que auctoritate Tutoris, si criminales causæ excipiantur. — *Cf. Schmalzgrueber, in tit. De judiciis, num. 25.*

1434. **II. Minor annis quatuordecim :**

a) Neque in *temporalibus*, neque in *spiritualibus* cau sis, potest *per seipsum* in judicio stare.

b) In causis *spiritualibus*, vel cum spiritualibus connexis, ipsi *Curator* dandus est *a Judice ecclesiastico;* nec potest in his sese intromittere ejus pater, nec curator quem haberet aliunde pro rebus suis temporalibus.

c) Si, licet annis 14 minor, sit tamen *infante major*, potest Judex ipsi potestatem facere ut, loco curatoris, aliquem *ipse* sibi *Procuratorem* constituat. — *Cap. Si annum, 3, De judiciis, in 6°.*

1435. **III. Parochus** in judicio stare debet quando agitur de bonis aut juribus *parochiæ*, quia, de jure communi, ei administratio competit.

a) Si tamen *ipse Episcopus* velit agere, utpote *principalis* parœciarum diœcesis administrator, inferiori præferendus est.

b) Et, quando parœcia est alteri *incorporata*, vel alicui monasterio *unita*, vicarius in tali ecclesia incorporata constitutus, agere quidem et respondere potest super juribus *vicariatus qua talis ;* verum super rebus et juribus *ipsius ecclesiæ incorporatæ* si incidat controversia, melius agit et respondet in judicio *collegium* vel *monasterium* cui est incorporata, quia est in quasi dominio et proprietate ejusdem. — *Schmalzgrueber, in tit. De judiciis, num. 40.*

1436. **IV. Religiosi** a judiciis arcentur, nisi adsit *licentia* proprii Superioris.

Ratio est, quia Religiosus caret bonis quibus in professione *renuntiavit*, ita ut quidquid acquirit, non sibi, sed monasterio acquirat.

Hinc, cum *monasterium* complectatur et tueatur jura Monachorum, sequitur Religiosos non posse *conveniri* vel *convenire* in judicio de causa civili, sed monasterio reservari partes agere *Actoris* vel *Rei* pro suis Religiosis. — *Cf. cap. 7, De officio Ordinarii; — et cap. 6, De statu Monachorum.*

a) Non idem vero dicendum est de causa *criminali;* nam, in hac specie, conveniendus est ipse Religiosus reus, non monasterium.

b) Imo, dantur *casus* in quibus etiam *absque venia Superioris,* saltem concessa *explicite* et *in specie*, possit Religiosus stare in judicio, nempe :

1° Si obtineat *beneficium* ecclesiasticum quod adnexam habeat aliquam administrationem, et quæstio agitetur circa jura vel bona beneficii ipsius. — *Arg. ex cap. 16, De judic., et clement. 1, De rescriptis.* — Administrandi enim officium habet adnexam facultatem custodiendi et defendendi jura adnexa administrationi.

2° Si legitime a residentia longe *absit*, v. gr. causa studiorum; tali enim casu, si damni vel injuriæ illatæ, aut alterius causæ necessitas exigat, agere in judicio valet ex *licentia præsumpta* sui Prælati. — Eo ipso enim quod habet licentiam commorandi extra monasterium, *censetur* etiam habere facultatem ea peragendi sine quibus pacifice vivere et commorari non potest.

3° Si agere velit ut in Religione retineatur; vel ab ea expulsus restituatur, vel ne ei alimenta debita aut expensæ a monasterio denegentur, vel de jure quod habet ferendi suffragium, sedendi in choro, vel alio *sibi quæsito per professionem, electionem, collationem*, etc....

4° Quoties impedito vel absente Prælato, *urgeat necessitas* sistendi in judicio, et periculum sit in mora.

1437. **V. Omnes qui sunt excommunicatione majori innodati** arceantur a judiciis ne sustineant *Actoris* partes. — *Cap. 8, De sent. exc., in 6°.*

a) Hodie, post constit. *Ad evitanda*, Martini V, excommunicati *vitandi* nequeunt *ipso jure* in judicio admitti; excommunicati autem *non vitandi* possunt *exceptione* repelli. — *Cap. 1, De except., in 6°.*

b) Excommunicati conveniri possunt ut *Rei* in judicio, « ne videantur de sua malitia commodum reportare ». — *Cap. Intelleximus, 7, De judiciis.*

c) Etiam ut *Actores* admittuntur excommunicati :

1° *In causa excommunicationis*, si probare intendant excommunicationem contra se latam fuisse ipso jure *nullam*. — Secus, si probare velint eam fuisse *injustam;* tunc enim

absolvendi sunt *ad cautelam* a vinculo censuræ, ut ad judicium admittantur.

2º Quando sermo est de causis in quibus verificatur *periculum spirituale*, vel quando *periculum est in mora*.

1438. **VI. Ad judicium compelli,**

a) *Reus* quidem potest; et contra ipsum, si comparere recuset, sententia potest pronuntiari.

b) At vero tanquam regula generalis admittitur : neminem cogi posse ut tanquam *Actor* in judicium veniat; liberum nempe est cuilibet jus et actionem, quæ ipsi adversus alium competunt, deserere vel persequi.

Excipiuntur illi qui *ex officio* tenentur bona et jura aliorum tueri, prout sunt Tutores, Procuratores et Administratores.

1439. **VII. Partes cogi non possunt, nisi a S. Pontifice, ut personaliter in judicio compareant**; quia jus ecclesiasticum litigantibus facultatem præbet mittendi sui loco *Procuratorem*. — *Cap. Juris, De judiciis, in 6º.*

Attamen Judex a Principe diversus, sive ordinarius, sive delegatus, potest partes ad personaliter comparendum cogere: si causa sit *criminalis*, vel si specialiter examinari oporteat *qualitatem personæ*, maturitatem ætatis, facultatum intellectualium integritatem, etc.; vel si veritas melius perspici possit per personalem Actoris aut Rei enarrationem.

1440. **VIII. Juramentum calumniæ** (*evitandæ* scilicet in causa) illud est quo partes litigantes, in principio litis vel postea, jurant quod, in judicio, tam agendo quam excipiendo et defendendo, *absque fraude et calumnia* versari, omniaque bona fide peragere velint. — *Cf. Ferraris, v. Juramentum, art. 2.*

Juramentum calumniæ potest *remitti* tacito partium consensu. Imo, hoc juramentum *non amplius* in forma judiciali servatur. Emitti autem hodie debet a *Postulatore* causæ, in processibus qui pro *Beatificatione* et *Canonizatione* Servorum Dei construuntur. — *Cf. n. 486. — Santi, in tit. De juramento calumniæ, num. 6.*

ARTICULUS III.

DE PERSONIS IN JUDICIO MINUS PRINCIPALIBUS.

Personæ in judicio minus principales, seu ad judicialem formam *non essentialiter* requisitæ, sed quæ tamen *regulariter* adhibentur aut adhiberi possunt in Curiis ecclesiasticis, sunt illæ quæ vel *Judici* adsistunt, vel adjuvant *litigantes*.

§ I. DE AUDITORIBUS, REFERENDARIIS ET ASSESSORIBUS.

1441. **I. Auditores,** stricto sensu, sunt illi quibus *tota causa*, vel *certus causæ articulus*, examinandus a Judice committitur, ut, post diligens examen, rem exponant Judici, ejusque decisioni relinquant.

a) Habent illi quidem *jurisdictionem in cognoscendo*, ita ut partes ad audientiam citare, testes et probationes admittere possint, etc. — *In decidendo* autem et sententiando jurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter a principali Judice delegetur.

b) Auditor adhibetur præsertim ad causæ criminalis *præliminarem* inquisitionem instructoriam. — Auditor, in foro *sæculari*, nuncupatur *Judex informationis (Juge d'instruction). — Cf. n. 1513, art. 12.*

c) In jure nullibi cautum est ut *debeant* Episcopi dictos Auditores sibi adjungere. Unde, penes ipsorum arbitrium et prudentiam ea res tota censenda est.

Opportuna esset hujus officii in curia episcopali adjectio, si *tanta negotiorum mole* Vicarius generalis obruatur, ut nequeat, ea qua par est celeritate, omnia expedire.

1442. **II. Referendarii**, sic a *referendo* dicti, Auditoribus quoad officium consimiles esse videntur. Attamen nulla jurisdictione potiuntur..

Etenim in eum finem constituuntur ut, quia Judex multitudine causarum obrutus, omnia momenta ex Actis sæpe amplissimis colligere unus non potest, *ipsi ea discutiant*, et postea eorum substantiam Judici et Assessoribus *refe-*

rant, sicque illos ad sententiam ferendam instruant. — *Schmalzgr., in tit. De judiciis, num. 15.*

1443. **III. Assessores,** ab *assidendo* sic dicti sunt, quia in eum finem assumuntur ut *Judici assideant,* eumque suo consilio *adjuvent;* ideo etiam *Consiliarii* vocantur.

a) Ad *quemlibet Judicem* pertinet sibi Assessores seu Consiliarios assumere, quia consilio uti est quid per se omnibus hominibus *licitum;* unde, non debet censeri vetitum, nisi *prohibitio* in jure exprimatur.

Hinc, *Officialis* Episcopi suos poterit Assessores assumere, nisi hanc electionem Episcopus sibi *reservaverit.*

b) De jure communi canonico, *nulla* Assessori competit *Jurisdictio,* et ejus *consilia* Judex sequi non tenetur.

Si vero alicubi, ex *consuetudine* vel *statuto particulari,* aliquid jurisdictionis habeat, quoad hoc, non merus assessor seu consiliarius, sed *delegatus Judex* censendus est. — *Cf. Bouix, De judiciis, tom. 1, pag. 466 et seq.*

§ II. DE PROCURATORE ET ADVOCATO.

1444. **I. Procurator judicialis** (a verbis *pro aliis curator*) est ille qui, de mandato, sive *Actoris*, sive *Rei*, litem coram Judice gerendam suscipit, ideoque causam alterius *ejus nomine* administrat seu procurat; quapropter non admittitur in causa, nisi mandatum *in scriptis* datum, quod vulgo *procuratorium* appellatur, exhibeat.

Jure communi *excluduntur ab officio Procuratoris :* infames, excommunicati; minores 25 annis; feminæ; Religiosi demum qui, nisi id exposcat sui monasterii utilitas, et mandatum aut licentiam a Prælato habuerint, non possunt, ne in foro quidem ecclesiastico, Procuratoris officium obire, ut innuitur in *cap. Ex parte, 2, De postulando.*

1445. **II. Advocatus,** qui et *Patronus causæ, Orator* et *Causidicus* appellatur, est ille qui pro altero *præsente* postulat, seu defensionem præstat, eique *consilio* et *opera sua* in judicio adsistit. — Ideo usus invaluit Advocatorum officium per vocabulum *Postulare* exprimendi; et, in *Cor-*

pore juris, quæ ad munus Advocatorum pertinent, sub titulo *De postulando* reponuntur.

a) Advocati, alii sunt *voluntarii*, qui, a partibus rogati, spontanee auxilium suum pollicentur; alii *necessarii*, qui auctoritate Judicis jubentur causam clientis suscipere.

b) A munere Advocati *arcentur* infames, excommunicati, feminæ, et minores annis septemdecim.

c) *Laici* admitti possunt in utrumque officium Procuratoris et Advocati in foro ecclesiastico. — *Cap. 1, De procuratoribus, in 6º. — Cf. Instr. S. C. Ep. et Reg., 11 jun. 1880, art. 30.*

Verumtamen *Episcopi statuere possunt* ut *clericis* committantur negotia tractanda in curia ecclesiastica, laicis omnino exclusis, si ratio temporum et locorum id postulaverit.

§ III. DE PROMOTORE, NOTARIIS ET APPARITORIBUS.

1446. **I. Promotor**, qui et *Procurator fiscalis* in causis *disciplinaribus* nuncupatur, causas publicas ad communem Ecclesiæ utilitatem spectantes suscipit, coram Judice *ex officio* prosequitur, ac sententiam requirit.

a) Promotor fiscalis denominationem suam a *Fisco* trahit.

Designatur autem per hoc vocabulum, in *strictiori* quodam et *minus ordinario sensu*, « arca communis constans pecunia, vel alia quapiam re ad usum publicum vel dignitatem regentium conservandam destinata ». — *Leuren, For. eccles., tom. 2, q. 890.*

Ordinario tamen et *proprio juris sensu*, *Fiscus* « sumitur pro toto aliquo collectivo, seu universitate rerum, pecuniarum et jurium ad rempublicam spectantium ». — *Leuren, op. cit., tom. 3, q. 460.*

b) Porro, sicut alicujus *privatæ personæ Procurator* tenetur diligenter tueri ejusdem interesse et jura, ita *Procuratoris Fisci* officium est cum zelo promovere in diœcesi, tum generaliter *Ecclesiæ* bonum publicum et jura, tum in

specie jura et bonum publicum *diœceseos* in qua fuit constitutus.

Imprimis autem requirit Ecclesiæ et uniuscujusque diœcesis bonum, ut *delicta coerceantur*, et legum ecclesiasticarum violatio impunita non remaneat. — Hinc, ad Promotoris fiscalis officium præcipue pertinet *publicam criminum vindictam* coram tribunali ecclesiastico *persequi*.

c) Promotor fiscalis ad nutum Episcopi *revocabilis* est; nulla enim juris aut consuetudinis generalis dispositione perpetuitatis prærogativa gaudet.

d) Ob nimiam causarum multitudinem, potest sibi in auxilium advocare patronum, seu advocatum, qui ex hoc *Advocatus fiscalis* dicitur.

1447. **II. Notarii judiciales** (gallice *Greffiers*, *Secrétaires*) dicuntur illi qui ex officio constituti sunt, ut fideliter *universa judicii acta conscribant*, « videlicet citationes et dilationes ; recusationes et exceptiones ; petitiones et responsiones ; interrogationes et confessiones ; testium depositiones et instrumentorum productiones ; interlocutiones et appellationes ; renuntiationes, conclusiones, et cætera quæ occurrerint ». — *Cap. Quoniam, 11, De probationibus.* — Unde et *Actuarii* vocantur.

a) *Laici* possunt munus Notarii in curiis ecclesiasticis obire, eo quod sit *nudum ministerium* quod jurisdictionem non includit.

b) Magis tamen opportunum videtur ut *clerici* laicis anteponantur, quia, ratione sui officii, Notarius pluribus negotiis regiminis episcopalis et causis personalibus clericorum se admiscet, quod vix expedit viris sæcularibus communicari.

Imo, *in quibusdam causis*, nonnisi ecclesiasticus Notarius admittitur. — *Cf. n. 1492.*

1448. **III. Apparitores** (gallice *Huissiers*), qui et *Nuntii judiciales* vel *Cursores* dicuntur, jussa Judicis exsequuntur, citationes partibus intimando, litigantes in jus vocando, etc. — *Cf. n. 1513, art. 14.*

CAPUT III.

DE FORO COMPETENTI.

Proprie loquendo, *Forum competens* vocatur *tribunal* Judicis cujus jurisdictioni Reus subjicitur, seu in quo Reus ab Actore conveniri debet aut potest. Ideoque forum dicit et importat, tum *jurisdictionem* quæ exercetur in litibus dirimendis, tum etiam *locum* seu tribunal in quo lites dirimuntur.

Cum autem quilibet Judex ecclesiasticus potestatem non habeat *quaslibet* causas dirimendi, sed *certas* dumtaxat quæ ipsius jurisdictioni subjacent, ideo determinandum est quodnam ex variis Ecclesiæ tribunalibus, pro causarum ad forum ecclesiasticum pertinentium varietate, adiri possit aut debeat seu *quis Judex sit competens*.

Competentia proprie dicta importat jurisdictionem in personas simul et in earum causam. — Duplex est, *ordinaria* et *extraordinaria*.

ARTICULUS I.

DE COMPETENTIA RATIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ.

Judisdictio *ordinaria*, id est competens magistratibus vi ipsius officii quo funguntur, *duplicis generis* est : alia nempe *territorii* alicujus terminis circumscripta, alia vero ab omni territoriali circumscriptione *independens*.

Quando agitur de his Superioribus qui jurisdictionem habent a territoriali circumscriptione *liberam*, facile est dignoscere utrum in tali vel tali *causa* competentes sint. — Videndum nempe est utrum *personæ*, inter quas causa illa vertitur, sint de numero earum in quas dicti Superiores jurisdictionem vi sui muneris habent; et insuper utrum *causa* ipsa sit de specie earum quæ eorumdem Superiorum jurisdictioni fuerint subjectæ. — Quæ *duæ conditiones si verificentur*, aderit competentia ; si vero ambæ vel *alterutra deficiat*, et ipsa competentia deerit.

Quando Superioris jurisdictio *intra fines alicujus territorii* coarctata est, multiplex oritur difficultas ex circumstantiis *domicilii* et loci in quo, vel *res* sita est, vel gestus *contractus*, vel patratum *delictum*.

§ I. DE COMPETENTIA JUDICIS RATIONE DOMICILII.

1449. I. **Domicilium** (a voce *domus*) est generatim ; Locus in quo quisque commoratur,

Duplex præcipue distinguitur : *originis* nempe et *habitationis*. — *Cf. n. 273.*

a) Domicilium habitationis subdistinguitur in *proprie dictum*, quando nempe quis alicubi degit cum animo ibidem in perpetuum manendi; et improprie dictum, seu *quasi-domicilium*, quando quis, alicubi degens, proposuit, non in perpetuum, sed per notabilem anni partem, ibidem commorari. — *Cf. n. 909 et seq.*

b) Iterum distinguitur domicilium habitationis : in *verum* et *fictum*.

1° Domicilium *verum* est illud quod quis vera, id est corporali præsentia, alicubi contrahit.

2° Domicilium *fictum* est locus quem *Jus* tanquam verum domicilium adsignat certis personis, ob specialem earum conditionem, etiamsi *de facto* in hujusmodi loco non commorentur.

1450. **II. Vis domicilii habitationis est** ut, ratione illius, sortiatur quis forum quoad *universalem jurisdictionem*, sive *voluntariam*, sive *contentiosam*; ideoque, inter varios Judices, ille semper est *competens* intra cujus territorium Reus domicilium ejusmodi habet.

a) Unde, quamvis competens etiam esse aliquoties possit Judex loci in quo factus *contractus*, vel patratum *delictum* fuit, vel sita est *res* de qua lis movetur, hoc tamen non impedit quin *simul* et *cumulative* tunc competens sit Judex *domicilii*, et coram ipso Reum convenire possit Actor, si malit.

b) Prædictum effectum producit vis domicilii habitationis proprie dicti, etiamsi Reus in loco domicilii sui non exsistat; potest enim citari *absens*, et, si *contumaciter* non compareat, sententia pronuntiari.

1451. **III. Qui habet alicubi quasi-domicilium** potest ibidem conveniri ratione *contractuum* celebratorum, vel *delictorum* commissorum in quasi-domicilii loco.

Controvertitur autem utrum, quoad actus *alibi gestos*, possit quis conveniri in eodem quasi-domicilii loco. — Reti-

nendam esse sententiam *affirmativam* ait Schmalzgrueber, *in tit. De foro compet., num. 17.*

1452. **IV. Quod attinet ad domicilium fictum,**

a) *Uxor* domicilium et forum mariti sortitur, ubicumque ipsa habitet, etiam defuncto marito, nisi huic domicilio *renuntiaverit.*

Hoc tamen non impedit quin eadem, *si alibi commoretur,* sibi etiam domicilium vel quasi-domicilium acquirat; quo casu iis personis adnumeranda erit quæ *duplex* habent *domicilium,* et, ratione utriusque, duplici Ordinario subsunt, ita ut inter duos illos Ordinarios locus sit *præventioni.*

b) *Militibus* tanquam domicilium esse locum ubi merent, voluit lex Justinianea, in jure canonico recepta.

c) *Vagi,* qui nullibi stabilem sedem aut domicilium habent, *ubique* forum sortiuntur, et domicilium habere censentur ubi inveniuntur, ita ut ibi conveniri possint etiam ratione contractus *alibi* initi, ac puniri propter delicta *alibi* commissa.

d) *Religiosus* domicilium habet in loco monasterii cui adscriptus est; ac perseverat ejusmodi domicilium quamdiu voluntate Superiorum ad aliud monasterium non transfertur.

e) *Beneficiatus* uti domicilium habere censetur *locum beneficii,* etiamsi ibidem non degat, hoc sensu quod, si beneficium *residentiam exigat,* possit beneficiatus coram Ordinario loci illius conveniri, tum in causis beneficium respicientibus, tum etiam in aliis; si vero *residentiam non exigat,* in causis dumtaxat beneficium spectantibus.

f) *Quilibet clericus,* statim ac *Romæ* præsens est, ibidem potest conveniri, quamvis Romæ domicilium aut quasi-domicilium nondum acquisiverit, nec ibi delictum patraverit, aut contractum peregerit, nec Romæ sita sit res pro qua convenitur. — *Cap. Licet, 20, De judiciis.*

1º Idem dicendum est de *laicis* in causis *spiritualibus.* Ratio est, quia Summus Pontifex, cui totus mundus territorium est, jurisdictionem ex domicilio ortam habet *cumu-*

lative cum singulis Episcopis in quoslibet ipsorum subditos.

2º Et ideo exposita juris dispositio non contradicit concilio Tridentino, *sess. 24, cap. 20, De ref.*, in quo statuitur : causas omnes ecclesiasticas, in prima instantia, coram *Ordinariis* locorum dumtaxat esse cognoscendas.

§ II. DE COMPETENTIA JUDICIS RATIONE LOCI QUOAD REM, CONTRACTUM, ET DELICTUM.

1453. **I. Regulariter Reus conveniri potest coram Ordinario loci in quo res controversa sita est.** — *Cap. Sane, 3; — et cap. Licet, 20, De foro competenti.*

Et revera, in tali loco *multo facilius* documenta necessaria et probationes haberi possunt, et facilior item est executio sententiæ.

a) Ex communiori et probabiliori sententia, idem verum est, licet Reus non reperiatur in loco rei sitæ. — *Cf. Schmalzgrueber, in tit. De foro compet., num. 53.*

b) Sed Reus in loco rei sitæ non potest conveniri nisi actione *reali*, non autem actione *personali*. — *Cf. Schmalzgrueber, loc. cit., n. 51.*

1454. **II. Competens est regulariter Ordinarius loci in quo initus fuit contractus**, ita ut coram eo Reus conveniri possit. — *Cap. Licet, De foro compet.; — et cap. Romana, 2, eodem tit., in 6º.*

a) Revera, nisi competens esset Judex ordinarius loci in quo initur contractus, gravia sequerentur *incommoda.* Tunc enim creditores debitorem convenire non possent nisi coram Judice illius territorii in quo is domicilium habet : quod nonnisi multis cum *difficultatibus* et *sumptibus* fieri posset, cum sæpe debitoris domicilium a contractus loco valde dissitum sit.

Præterea, in loco contractus multo facilius *constare* potest, tum de contractu ipso, tum de solemnitatibus in eo adhibitis.

b) Limitatur hæc regula sequentibus *exceptionibus.*

Ordinarius enim loci in quo initus est contractus non est competens :

1º Quando Reus non ibidem *præsens* reperitur.

2º Quando inter contrahentes *conventum est* ne in loco contractus se invicem convenirent; nam forum contractus constitutum est in favorem contrahentium, cui proinde renuntiare possunt.

3º Quando unus contrahentium est *advena*, statim post contractum *recessurus*, et talis ab altero contrahente noscitur.

1455. **III. Ratione delicti quisque regulariter subjicitur jurisdictioni illius Ordinarii in cujus territorio deliquit**, etiamsi alias non sit ei subjectus. — *Cap. Licet, 20, De foro compet.*

Hoc suadet *ratio boni publici:* tum quia in loco ipso commissi facinoris facilius haberi possunt, circa factum et ejus circumstantias, *probationes* et *testimonia;* tum quia *scandalum* compensandum est vindicta publica *in ipsa regione* ubi crimen patratum est.

Excipiuntur Episcopi, quorum graviores criminales causas Sedi Apostolicæ, leviores vero provinciali synodo judicandas reservavit concilium Tridentinum.

a) Unde, si delinquens in aliena diœcesi *ibidem reperiatur*, vel si, ante ejus egressum, *citatione ipsi insinuata*, præventus fuit, potest ab Ordinario loci illius puniri.

b) Si delinquens a loco delicti *egressus sit* ante citationem,

1º Ordinarius ejusdem loci potest *requisitoriales litteras* dare *ad Ordinarium loci* in quo Reus sese receperit, ut per illum citetur, aut compellatur etiam ad se sistendum coram tribunali loci in quo deliquit.

2º Si vero *nesciatur ubi delinquens exsistat*, potest Ordinarius loci in quo patratum est delictum, facta summaria informatione, delinquentem citare *per edictum* in territorio delicti promulgandum.

Et, *si non compareat*, non poterit quidem Ordinarius loci delicti in *personam* delinquentis procedere, quia, per egres-

sum ex territorio ante citationem, jam desiit delinquens esse subditus illius Judicis quoad *personam*; si tamen idem delinquens *bona* possideat in territorio delicti, poterit ejus territorii Ordinarius, casu quo Reus aliter satisfactionem præstare renuat, immissionem in eadem bona decernere. — *Cf. Schmalzgr., loc. cit., num. 61.*

ARTICULUS II.

DE COMPETENTIA JUDICIS RATIONE JURISDICTIONIS EXTRAORDINARIÆ.

Omnis jurisdictio extraordinaria acquiritur : vel *delegatione*, vel *prorogatione*, vel causarum *connexione*, vel *reconventione*, vel *compromisso*, vel *privilegio* certis personis concesso.

1456. **I.** De jurisdictione per **delegationem** acquisita egimus *in Tractatu De jurisdictione ecclesiastica*, *n. 235 et seq.*

1457. **II. Prorogatio** est : *Extensio jurisdictionis Judicis*, de consensu partium facta, ultra limites intra quos cæteroquin est constricta.

a) *Quatuor modis* fieri potest, videlicet : de persona ad personam ; de re ad rem ; de tempore ad tempus ; et de loco ad locum. — *Cf. Reiff., in tit. de foro comp., n. 122 et seq.*

b) Ad prorogationem *requiritur* :

1º *Ex parte Judicis*, ut habeat *aliquam jurisdictionem* ; et quidem, in prorogatione de persona ad personam, vel de causa ad causam, requiritur ut habeat jurisdictionem *ordinariam*. — *Cap. 40, De offic. jud. deleg.*

2º *Ex parte prorogantium*, quod consentiant in Judicem non proprium ex certa scientia, et non per errorem, nec coacte.

Item requiritur quod ipsi non sint *a jure impediti*, seu prohibiti quominus prorogare valeant. — Sic *clerici* jurisdictionem *Judicis laici* in se prorogare nequeunt. Nec prorogare possunt jurisdictionem *alterius judicis ecclesiastici*,

nisi ex consensu proprii Episcopi. — *Cap. 18, De foro competenti.*

1458. **III. Compromissum** est : *Arbitrorum* deputatio.

a) *Arbiter, lato sensu,* idem est ac vir bonus et prudens qui ad aliquod negotium amicabili compositione terminandum eligitur.

Verum, *stricte loquendo,* Arbiter est : Persona, sive ex *dispositione juris*, sive ex *conventione partium* constituta, ut de causa cognoscat et proferat sententiam, cui partes stare debeant.

Unde, Arbitri dividuntur in *Arbitros juris*, qui *necessarii* dicuntur, et *Arbitros compromissarios.*

b) Non *in omnibus causis* indiscriminatim adhiberi possunt Arbitri, sed in negotiis tantum quæ sunt *privati arbitrii*, quæ scilicet non pertinent ad jus publicum.

Ideo Arbitrorum sententia dirimi non permittuntur causæ *criminales*, causæ *matrimoniales* quando agitur de valore vel nullitate matrimonii, causæ *exemptionis,* causæ *beneficiales*, etc.

c) Sed *regula generalis* est : eos omnes posse causam suam Arbitris dirimendam committere, qui rerum suarum ita *liberam administrationem* habent ut eas etiam alienare possint. — *Cap. Quum tempore, 5, De arbitris.*

1459. **IV. Causarum connexio** verificatur quando una sine altera commode discuti et dirimi nequit.

a) Regula generalis est : causas connexas ab uno eodemque Judice dirimi debere.

Idque jure statutum est, tum ut parcatur *sumptibus;* tum ut evitetur inconveniens illud quod oriri posset si unus Judex sic, alius aliter de personalibus actionibus *judicaret;* tum demum, quia Judex qui de una causa cognovit, jam est instructus ad *expeditiorem* alterius tractationem.

b) Quisnam autem sit *legitimus Judex* quoad hujusmodi causas connexas, inter Doctores controvertitur.

1º Nonnulli tenent *Superiorem* respectu omnium adeundum esse.

2° Alii vero contendunt minime distinguendum esse inter Superiorem, inferiorem, et æqualem Judicem, sed ab eo determinandam litem qui, jurisdictionem habens in unum ex coreis, causam *præoccupavit.*

3° Alii tandem sic distinguunt : si Judex, coram quo lis cœpta est, competens sit *respectu omnium*, coram eo, licet inferiori, est continuanda et finienda; sin vero respectu *alicujus* ex coreis, vel alicujus ex causis connexis, incompetens reperiatur, tunc qui superior est respectu omnium coreorum, vel respectù causarum connexarum, est adeundus. — *De Angelis, in tit. De foro competenti*, § *8*, *n. 5.*

1460. **V. Reconventio** vocatur : Actus quo Reus coram Judice conventus, *vicissim* ipse Actorem coram eodem Judice convenit.

Porro, jure canonico cautum est ut, ubi fit conventio, *ibi simul* fieri possit *reconventio ;* et Judex qui jurisdictionem habet ad terminandam causam conventionis, *hoc ipso* æqualem habeat ad terminandam simul causam reconventionis. — Et sic evenit ut Judex, qui jurisdictione in aliquam causam careret, eam acquirat si causa hæc per modum reconventionis coram ipsius tribunali proponatur. — *Cf. tit. De mutuis petitionibus.*

1461. **VI. Privilegio,** conceditur aliquando certis personis ut Judex, qui alioquin in ejusmodi personas jurisdictionem non haberet, erga easdem, quando in judicium trahuntur, *competentiam acquirat;* et, *vice versa*, Judex ordinarius qui, seposito privilegio fori, dictas personas judicare posset, ob obtentum privilegium *competentiam amittat.*

Ad dignoscendum autem utrum talis Judex in tali causa competentiam ob ejusmodi privilegium acquisiverit vel amiserit, videndus est ipsiusmet *indulti* tenor, nec potest de ea re tradi regula generalis.

CAPUT IV.

DE PROBATIONIBUS JUDICIALIBUS.

Agendum est : de probationibus in genere ; — speciatim vero, de probatione per testes, — de instrumentis et præsumptionibus, — et de jurejurando.

ARTICULUS I.

DE PROBATIONIBUS IN GENERE.

1462. **I. Probatio est :** Actus judicialis quo, per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta, Judici de re aut facto dubio et controverso fit fides. — *Cf. Schmalzgrueber, in tit. De probationibus.*

a) Probatio distinguitur in *plenam* et *semiplenam*.

1º *Plena probatio* est quæ Judici omnem facit fidem, ita ut teneatur procedere usque ad sententiæ prolationem.

2º *Semiplena* vero probatio ea dici solet quæ, licet aliquam mereatur fidem, non ita tamen concludens est ut possit ex ea Judex procedere ad proferendam sententiam.

b) In jure, sub appellatione *probationis* simpliciter dictæ venit *plena* probatio.

Quænam vero a jure ceu plenæ probationes habeantur, mox dicemus.

Cæterum, hac in re, non minimum defertur *Judicis prudenti arbitrio*. Judex enim videat oportet utrum verificentur necne conditiones juris pro obtinenda plena probatione. — *Santi, in tit. De probat., num. 4.*

1463. **II. Principium generale est : onus probationis incumbere ei qui asserit, non vero ei qui negat.**

a) Quapropter, cum regulariter Actor asserat, et Reus neget, *regulariter* etiam onus probandi incumbit *Actori*.

1º Sed, si Reus, non solum neget assertionem Actoris, verum etiam positive *excipiat*, vel *reconventionalem actio-*

nem promoveat, ipse probare tenetur; in utroque enim casu Reus asserit; unde adagium forense: « *Reus excipiendo fit Actor* ».

2º Hoc verificatur etiam in judiciis communibus, id est *duplicibus*, in quibus nempe commune est negotium utriusque litigantis, ut sunt, ex. gr., judicia de divisione hæreditatis. — *Cf. cap. 3, De probationibus.*

b) Fatendum tamen est, ait *Santi*, meliorem forsitan esse regulam ab aliis propositam, quæ est sequens: ille tenetur probare *contra quem militat præsumptio juris.*

Ratio regulæ est quia, ubi militat præsumptio juris, leges offerunt suam protectionem et tutelam, ita ut, *nisi validæ probationes* contra præsumptionem afferantur, sustineatur ipsa præsumptio. — *Santi, in tit. De probat., num. 8.*

ARTICULUS II.

DE TESTIBUS.

1464. **I. Pro idoneitate testium, requiruntur scientia et probitas.**

a) Ideoque, *sive jure naturali, sive jure positivo, excluduntur* a ferendo in judiciis testimonio: amentes, impuberes, infames, excommunicati vitandi; socii, curatores et administratores in causa pupilli, minoris, vel personæ cujus negotia gerunt; et generatim omnes qui *commodum* ex depositione sibi referre possunt.

b) Repelluntur quoque, propter *affectionem*, a testimonio ferendo in alicujus causa, illi omnes qui cum eodem conjunguntur vinculo *sanguinis, affinitatis* aut *amicitiæ singularis.*

Item, propter respectum auctoritatis et relativæ *dependentiæ*, testes domestici.

c) Conveniunt tamen Interpretes plures ex hisce testibus, qui a jure canonico arceantur, non esse in omnibus casibus *penitus rejiciendos*, si pars cujus interest nullam *exceptionem* fundatam opponat, sed eorum testimonium

remittendum esse *prudenti arbitrio Judicis*, qui, ex varietate circumstantiarum, videat quæ sit depositioni fides adhibenda.

1465. **II. Mulieres** non possunt *personaliter* evocari ad judicium, vel trahi *invitæ* causa ferendi testimonium.— Si illud sit necessarium, Judex mittat tabellionem, vel ipse idem accedat ad testimonium excipiendum. — *Cap. Mulieres, 2, De judiciis, in 6°.*

Sed hujus capitis dispositio intelligenda est de judicio *civili,* non vero de *criminali.* — Insuper, dici potest rigorem citati capitis contraria consuetudine correctum fuisse. — *Santi, De judiciis, num. 20.*

1466. **III. Ad legitimam probationem, generatim requiruntur et sufficiunt duo testes, modo sint omni exceptione majores,** nempe tales quorum testimonium nulla ratione excludi possit. — *Cf. I Tim.*, v, *19*; — *et cap. Licet, 23, De testibus.*

Ratio regulæ est, quia in uno teste, etiam probatæ vitæ et notæ famæ, potest forsitan deficere sincera *cognitio* facti, vel potest locum habere *studiosa voluntas* et favor erga unum potius quam alium negotii respectum. — Sed, ubi adest *concors* duorum idoneorum testium depositio, supponi nequit utrumque testem, vel factum *ignorasse,* vel humanam fragilitatem adeo persensisse ut contra rei veritatem in unam sententiam *conspirarent.*

a) Attamen, in quibusdam causis, *plures* quam duo testes requiruntur. Ex gr., in causa *nullitatis matrimonii* ob impotentiam, requiritur testimonium septimæ manus utriusque conjugis, seu producendi sunt *septem testes* utriusque, qui deponant de conjugum probitate, nec non de propria persuasione matrimonium non fuisse consummatum. — *Cap. 5 et 7, De frigidis et maleficiatis.*

b) Vicissim, quamvis *unus testis* veram probationem non exhibeat, tamen, si omni exceptione major est, juridicam inducit præsumptionem veritatis. — *Ita communiter Doctores, cum glossa in cap. 23, De testibus.*

Item, unus testis *qualificatus*, seu qui ratione officii sui

deponit, ut medicus, chirurgus, notarius publicus, plenam fidem facit in judicio.

c) « *Sollicitationis* crimen, ut plurimum, secreto perpetratur; hinc, privilegium est ut, in causis quæ contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam, attestationes etiam *singulares* admittantur. At, in Summorum Pontificum constitutionibus præscribitur *ne cum testibus singularibus procedatur*, nisi præsumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. » — *Instruct. Sacræ Congr. S. Officii, 20 feb. 1867*, § *10*.

1467. **IV. Quid vero si plures testes adducantur, sed inter se non concordantes, videlicet si sint singulares ?**

Triplex distinguenda est singularitas testium :

a) Prima, quæ dicitur *obstativa*, verificatur cum unum testimonium *excludit* alterum.

Hoc in casu, *nulla probatio* est ; imo, ex hac singularitate argui potest fraus et dolus testium. — Ita in specie accusationis Suzannæ, *Dan., cap.* XIII.

b) Altera singularitas dicitur *diversificativa*, quæ locum habet cum plures testes *diversa facta* referunt quæ inter se non colligantur, relate ad punctum probationis.

In hac hypothesi, singuli tantum valent quantum unus valeret.

c) Tertia singularitas dicitur *adminiculativa*, quæ locum habet cum testes *distinctas ejusdem facti circumstantias* referunt quæ possunt simul componi et uniri, vel referunt diversa facta quæ simul *conjungi* possunt, et ita ut unum sit alterius vel causa vel sequela.

Si saltem *duo contestes* habeantur pro cujuslibet circumstantiæ ejusdem facti probatione, et ex complexu circumstantiarum facti substantia resultet, depositio testium singularium nullum dubium est quin faciat *plenam* probationem. — *Santi, De testibus, num. 21 et seq.*

1468. **V. Juramentum a testibus præstari omnino requiritur, etiam in causis summariis.** — *Cap. Nuper*

nobis, 51, De testibus; — Instr. S. C. Ep., 11 jun. 1880, art. 18.

a) Jurare debent quod, nec odio, nec amicitia aut favore, vel aliquo alio commodo inducti sint ad testificandum, sed moti solius amore veritatis; et quod *veritatem,* sicut secundum conscientiam suam noverint, ad articulos et interrogatoria sibi proponenda fideliter sint dicturi. — *Cf. cap. 47, De testibus.*

b) Ex consensu tamen partium collitigantium, *remitti potest* præstatio juramenti, modo non interveniat jus tertii, nec gravitas negotii omnem cautelam juris exigat. — *Cf. cap. 39, eod. tit.*

1469. **VI. Examen testium conficiendum est coram ipso Judice et Notario qui in Acta referat depositiones**. — *Cap. 11, De probat.*

Potest vero Judex *alteri* Consiliario suo, vel Assessori, *committere* officium suscipiendi attestationes.

a) Regulariter, examen *in loco judicii* institui et confici debet.— Verum, si audiendæ sint personæ quæ *egregiæ* dicuntur, quemadmodum sunt personæ illustres vel in dignitate ecclesiastica constitutæ, vel si examinandæ sint personæ *legitimo impedimento* detentæ, ipse Judex, vel alius de ejus mandato, cum Notario accedit ad ipsas personas.— *Cap. 8, De testibus.*

b) Testis, ut concludat et probet, debet reddere *causam scientiæ* seu cognitionis rei quam deponit; oportet igitur ut dicat, ex. gr., se illam cognoscere quia *vidit,* vel quia *audivit, tetigit,* etc.

c) Actuarius debet depositiones et dicta testium, tam pro quam contra reum, *fideliter referre,* et quidem in lingua vernacula, ac de verbo ad verbum, quantum fieri potest. *Acta* vero *idiomate latino* conficere debet.

d) In fine depositionis et examinis, *Acta leguntur testi,* et ab eo debent *subscribi;* et, si nesciat scribere, signum apponat.— *Rota, Enchirid. conf. et jud. eccl., § 670.*

1470. **VII. Personæ quas examinare expediat,**

semper audiantur separatim. — *Cf. Instruct. S. C. Ep. et Reg., 11 jun. 1880, art. 17.*

a) Quod recte præceptum fuit; nam, si *turmatim* vel *non secreto* examinentur, dictum unius ad instructionem alterius inservit, et eumdem sermonem omnes proferent.

b) *Auditorium* omni ope niti debet ut clara et distincta habeatur depositio testis. — Summopere tamen, et sub pœna nullitatis, cavendum est ab interrogatoriis *suggestivis*, quibus quasi testi suggeritur quid respondere debeat.

1471. **VIII. Quod attinet ad citationem testium,**

a) Si testes sint *præsentes* in loco tribunalis, per quemvis ad tribunal vocari possunt.

b) Si autem sint *absentes*, sed in loco ad jurisdictionem Judicis spectante, citari possunt, vel per simplices *familiares missivas*, vel alio modo ab instructione Sacræ Cong. Episc., 11 jun. 1880, *art. 14*, indicato. — *Cf. n. 1495.*

c) Ubi vero fuerint *extra jurisdictionem ipsius Judicis*, tunc, ut docet articulus 19 ejusdem Instructionis, mediante *Auctoritate ecclesiastica loci* in quo manent, examinandi sunt: in quem finem specimen factorum transmittetur; et Auctoritas requisita, in responsione, normas in eadem Instructione contentas observare debet. — *Cf. Rota, Enchirid. confess. et Judicis eccles. § 659 et seq.*

1472. **IX. Testes cogi possunt ut ad testificandum veniant**, tum si clerici, tum si laici fuerint. — *Cf. tit. De testibus cogendis vel non, lib. 2 Decretalium.*

a) Coguntur autem prius per *monitiones*, et postea per *censuras*.

b) Quod si testes *non possint cogi*, quia patiuntur se mulctari censuris potius quam comparere; vel si expediat in aliquo casu eos non citare vel cogere, non ideo retardanda est expeditio causæ, sed, quantum fieri potest, est adhuc *prosequenda* et *absolvenda*.

1º Hoc in casu, Instructio S. C. Ep., 11 jun. 1880, *art. 20*, præscribit ut mentio fiat in Actis de rebus prædictis, et *suppleatur* defectui talium testium per depositionem aliorum

testium, si tamen haberi possunt, qui *de relato*, aut alia ratione, noverint id quod exquiritur.

2° Sed advertendum est testes *de relato*, in *criminalibus*, per se, et absque aliis indiciis et adminiculis, non probare. — *Rota, op. cit.*, § *682*.

ARTICULUS III.

DE INSTRUMENTIS ET PRÆSUMPTIONIBUS.

1473. **I. Instrumentum, in sensu juris, est**: Scriptura ad probationem alicujus rei facta.

a) Dividitur in *publicum* et *privatum*.

1° *Scripturæ publicæ*, a persona publica, secundum legitimam formam, conficiuntur, v. gr. instrumenta a Notario rite confecta, libri parochiales, etc.

His etiam adnumerantur scripta sigillo Principis, Capituli, Episcopi, Universitatis, vel alterius communitatis habentis jus sigilli, munita. — *Cap. 2, De fide instrument.*

2° *Scriptura privata* est ea quæ a persona privata, aut sine debitis solemnitatibus, confecta est, ut epistola, chirographum, etc.

b) *Publica* instrumenta fidem *plenam* faciunt, donec contrarium probetur.

Nam, pro veritate instrumenti militat *duplex præsumptio*, alia ex auctoritate publica scribentis, altera ex solemnitatibus legitimis quæ suspicionem fraudis removent.

c) Scriptura autem *privata*, regulariter quidem probat contra scribentem qui scripturam pro sua agnoscit, non autem in ejus favorem. — *Cf. Schmalzgrueber, in tit. De fide instrumentorum, num. 55.*

1474. **II. Præsumptio est**: Conjectura, seu judicium, ex aliquo signo vel indicio orta, et probationis loco allegata, aut a Judice assumpta, ad adstruendam rei dubiæ fidem. — *Schmalzgr., in tit. De præsumpt., num. 1.*

a) Dividitur in præsumptionem *juris*, et præsumptionem *hominis*.

1° Prior *a lege* procedit; et est, vel *juris* tantum, quando jus tamdiu aliquid habet ut verum quamdiu contrarium non probetur; vel *juris et de jure*, quæ excludit probationem directe contrariam.

2° *Præsumptio hominis* est quæ in lege non designatur, sed Judicis prudenti arbitrio remittitur.

b) Dividitur in *levem*, *gravem*, et *gravissimam* seu violentam.

1° *Præsumptio levis*, quæ potius dicenda est suspicio, merito rejicitur, *cap. 43, De sent. excomm.*, quia Judex non ex temeritate, sed ex prudenti consilio procedere debet.

2° *Præsumptio gravis* est ea quæ concipitur ex adjunctis et indiciis, quibus positis, experientia docet ut plurimum contigisse id quod præsumitur. — Præsumptio hæc probationem veram non facit, sed solummodo *semiplenam*. — *Arg. ex cap. 13, De præsumptionibus.*

3° *Præsumptio gravissima* plene probat in civilibus, siquidem moraliter excludit omne dubium. — Exemplum hujusmodi præsumptionis affertur in *cap. 2, De præsumptionibus*, deductum ex judicio Salomonis.

In *criminalibus* tamen, non sufficiens habetur ad ferendam sententiam. — *Cf. Instr. Sac. Cong. Ep., 11 jun. 1880, art. 16; — et Rota, Enchirid., § 683 et seq.*

ARTICULUS IV.

DE JUREJURANDO.

Sæpe contingit ut litigans sufficienter intentum suum probare nequeat. Ideo, ne, *ex probationum defectu*, quod suum est assequi aliquis prohibeatur, salubriter institutum est ut juramentum, vel *a parte*, vel *a Judice*, deferatur alteri litiganti, sicque decidatur lis quæ aliter decidi nequit. — *Cf. Epist. ad Hebræos*, VI, *16*.

1475. I. **Quando juramentum ab una parte cum assensu Judicis delatum est,** nequit ab altera parte recusari, nisi malit illud deferenti referre.

a) Si is cui juramentum defertur, absque justa causa *jurare recuset*, tanquam convictus condemnandus est.

Effectus autem hujus juramenti judicialis *voluntarii* est ut vim *plenæ probationis* habeat, nec possit a sententia appellari.

b) Hoc juramentum deferri et acceptari potest solummodo quando intrat *interesse privatorum*, id est deferentis et acceptantis, in quo possint utrinque *remittere*, conditionesque vicissim propositas *accipere*. — Unde :

1o Deferri nequit in causis *matrimonialibus* quoad *vinculum;* causæ enim hujusmodi nunquam transeunt in rem judicatam. — *Cap. 7, De sent. et re judicata.*

2o Nec in causis *criminalibus criminaliter actis;* transigi enim de pœna non potest.

3o Neque in causis *jurisdictionis;* nam possessor juris facto suo non potest remittere in alterius favorem, vel totam, vel partem jurisdictionis beneficii sui. — *Santi, in tit. De jurejurando, num. 25.*

1476. **II. Juramentum quod Judex, ob defectum probationis plenæ, uni ex litigantibus defert,** potest deferri sive *Reo*, sive *Actori*.

Hoc juramentum dicitur *necessarium*, quia illi cui defertur optio non conceditur ad referendum juramentum adversario suo.

a) Defertur autem : vel ad complendam probationem, et in hoc casu juramentum dicitur *suppletorium;* vel ad destruendam præsumptionem quæ contra aliquem inducta est, et dicitur *purgatorium*.

b) In quibusdam causis, licet *Reo* ad sui purgationem juramentum a Judice deferri possit, non tamen deferri potest *Actori* juramentum suppletorium, si tantum semiplene probavit.

Hujusmodi sunt causæ *criminales;* imo, causæ civiles *valde arduæ;* causæ *matrimoniales*, si agatur de matrimonio dissolvendo. — *Cf. Schmalzgr., in tit. De jurejurando, num. 47 et seq.*

c) *Effectus juramenti purgatorii* est ut Reus qui illud

præstat, liber censeri debeat a suspicionibus quæ, ex semiprobationibus contra ipsum prolatis, ortæ fuerant.

d) Si quis *juramentum suppletorium*, delatum a Judice, *præstare recuset*, contra ipsum pronuntiari debet; sed semel præstitum dictum juramentum, probationem imperfectam integrat, ita ut sententia ferri debeat pro eo qui juravit.

CAPUT V.

DE ORDINE SERVANDO IN JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Agendum est : de processu informativo ; — de resolutionibus subinde capiendis ; — de libello judiciali et citatione ; — de litis contestatione et disceptatione causæ ; — de exceptionibus et reconventione ; — de sententia et re judicata.

ARTICULUS I.

DE PROCESSU INFORMATIVO.

Nempe : de inquisitione ; — de denuntiatione ; — et de examine Rei, in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.

§ I. DE INQUISITIONE.

1477. **I. Necessitas præviæ inquisitionis pro notitia Curiæ,**

a) Profecto non urget quando agitur de intentando judicio *civili*. Tunc enim adest *Actor* qui Reum tutum et indemnem reddit a damno quod ipsi ex temeraria vel æmulatoria lite obvenire potest.

b) Si vero res sit de *remediis canonicis* contra quempiam, forma etiam extrajudiciali applicandis, ad hoc ut, vel ad *bonam frugem redeat,* vel proximum *labendi periculum præcaveat,* insilit in oculos necessitas præmittendi sedulum et accuratum examen circa exsistentiam et qualitates istius periculi vel lapsus.

c) Et inquisitio præmittenda est, etiamsi dicatur factum esse *notorium.*

Nam, præterquam quod non raro *falsa* vel *longe diversa* deprehenditur, post solertem disquisitionem, res quæ dicebatur notoria, processus prævius semper necessarius est ad instructionem et informationem *ipsius Ordinarii,* vel *alte-*

rius Superioris ecclesiastici, eveniente legitimo recursu. — *Pierantonelli, Praxis fori eccles., tit. 3, n. 4 et seq.*

1478. **II. Porro, non una est inquisitionis species.**

a) Etenim, quandoque Prælatus ita *generaliter* inquirit, ut *neque personam neque delictum* designet : quod præsertim fit in sacra diœcesis perlustratione. — Hujusmodi inquisitio audit *omnino generalis*, neque ad rem nostram pertinet.

b) Quandoque Prælatus exprimit *personas* contra quas inquirit, sed *minime delictum*, v. gr. quando res est de contrahendo matrimonio, et quæritur an obstet canonicum impedimentum; vel de conferendis beneficiis aliisque ecclesiasticis muneribus, et prænoscere opus est an quis sit dignus et idoneus, aut quis dignior. — Neque de hac inquisitionis specie solliciti sumus.

c) Quandoque vero, licet determinet *delictum* super quo inquirit, abstinet tamen a suspicionibus contra personas *in particulari* ingerendis.

d) Denique, aliquando Prælatus indigitat *et delictum et personam* contra quam inquirit.

De *duabus posterioribus* inquisitionis speciebus solummodo agemus. — Et primam nuncupabimus inquisitionem *generalem*, alteram vero *specialem*.

1479. **III. Inquisitio generalis locum habet** quotiescumque Prælatus accipit *quocumque modo*, sive per famam, sive per alicujus denuntiationem vel querelam, *certum delictum admissum* esse, vel certam legem parvipendi cum christianæ reipublicæ vel tertii detrimento, *non æque designato delicti* seu transgressionis auctore.

a) Non fas est in hoc casu confugere ad inquisitionem *specialem*, in personam scilicet determinatam, antequam *legitima indicia* eam designent; ideoque, qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, v. gr., an *Titius* hoc homicidium fecerit, sed generaliter *quis* id fecerit.

b) Inquisitione generali expleta, si resultet factum ipsum de quo quæritur *haud exsistere*, vel desint prorsus in-

dicia quæ *quempiam in particulari* tanquam delicti auctorem designent, jam Prælatus non habet amplius quid faciat, et acta Regestis mandabit. — *Pierantonelli, loc. cit., num. 70.*

1480. **IV. Ut indicia moveant ad inquisitionem specialem,** oportet ut sint *alicujus ponderis*, quoniam inquisitus per eam semper aliquatenus gravatur.

Sed indicia, *etsi haud gravia*, sufficere videntur, quia, cum inquisitio sit *secreta*, damnum exinde obveniens inquisito, si innocens exsistat, leve est.

Quandoque Præsul, eodem actu, notitiam accipit et de *delicto* et de *delinquente*. Tunc, cum inquisitio generalis inutilis sit, incipit a speciali, vel *utramque cumulat*.

1481. **V. Quibusdam conditionibus fulciri oportet inquisitionem, sive generalem, sive specialem.**

a) Oportet ut fiat ab *ipso Prælato*, vel alias a probo et prudenti ecclesiastico viro, *de ejus mandato*.

Consonat *articulus 12 Instructionis S. C. Episc. et Regul., diei 11 jun. 1880* : « Compilatio processus committi potest probo atque perito ecclesiastico, cui assistat Actuarius ».

b) Non solum necesse non est præmonere *inquisitum*, sed expedit quod ipse inquisitionem *ignoret*.

c) Necessariæ et opportunæ cautelæ adhibendæ sunt *ne inquisitio evulgetur*.

Ideoque monet Instructio citata, *art. 18*, ut *testes* « audiantur, præstito juramento de veritate dicenda, et, si res postulet, etiam de *secreto* servando ».

§ II. DE DENUNTIATIONE.

Ad inquisitionem, sive generalem sive specialem, haud raro movet *denuntiatio*. — Hæc denuntiatio nihil aliud operatur nisi quod succedat *loco diffamationis vel querelæ*, ut sic aperiat viam Judici ad inquirendum contra aliquem.

1482. **I. Denuntiatio juridica quandoque, non**

modo licita est, sed et *jure naturali*, et *constitutionibus Pontificiis*, in pluribus casibus, præscripta.

a) « Quædam peccata occulta sunt, ait *S. Thomas*, quæ sunt in nocumentum *proximorum*, vel corporale vel spirituale.... Et, quia qui sic occulte peccat, non solum *in se* peccat, sed etiam *in alios*, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur. » — *S. Th., 2. 2., quæst. 33, art. 7.*

b) Attamen *excusatur* a denuntiando, si quis ex denuntiatione sibi timeat, probabiliter et prudenter, *grave periculum* propriæ infamiæ, vitæ, bonorum, etc., quia præcepta *humana* non obligant cum *gravi nocumento*, et quia jus naturale præcavendi hæc damna prævalet juri positivo Ecclesiæ, quæ non solet obligare cum *tanto incommodo* ad suarum legum observantiam.

Item excusantur *consanguinei* personæ denuntiandæ, quia damnum illius censetur damnum *proprium*, et juri naturali repugnat seipsum prodere et infamare. — *Ita communiter.*

1483. **II. Exempli gratia, in casu confessarii ad turpia sollicitantis :**

a) Jubetur *confessarius* monere pœnitentes de obligatione quam habent denuntiandi Sanctæ Sedi, vel locorum Ordinariis, personam quæ sollicitationem commiserit. — *Const. Sacramentum pœnitentiæ, Benedicti XIV; — Instruct. S. Inquisit., 20 feb. 1867. — Cf. Tract. De pœnitentia, apud Theologos.*

Sacerdotes qui de hac obligatione pœnitentes suos non admonent, debent puniri. — Et *pœnitentes* admoniti, et omnino renuentes, nequeunt absolvi. — *Cit. Instr.*, § *4 et 5.*

Imo, *negligentes* sive culpabiliter *omittentes* denuntiare, infra mensem, confessarios a quibus sollicitati fuerint, incurrunt *excommunicationem*, nemini tamen reservatam. — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 4, num. 4.*

1º Dari tamen potest casus in quo *confessarius* a *monitione* excusatur, nempe si perspiciat puellam ne minimum quidem dubium habere de obligatione denuntiandi; et om-

nino prævideat sollicitatam, ob rerum adjuncta, *denuntiationem esse denegaturam;* ideoque monitionis effectum nihil aliud fore quam magnum detrimentum animæ ipsius pœnitentis, quæ in *formali obstinatione*, atque adeo in statu damnationis induceretur. — *Frassinetti, Compend. theol. mor., n. 506; — Rota, Enchirid. confessarii et Judicis ecclesiastici, n. 240.*

2° Item *pœnitens* quandoque liberatur ab onere denuntiandi, ratione gravis *periculi imminentis ;* vel ratione *consanguinitatis*, quia consanguinei censentur una eademque persona. — *Cf. n. 1482 ; — et Rota, n. 372 et seq.*

Nec mulieres sollicitatæ tenentur ad denuntiationem, si ministri Inquisitionis et Vicarii Episcopi in *longinquis regionibus* degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant. — *S. C. S. O., 22 jan. 1627; 20 feb. 1867.*

b) « Denuntiationis *onus est personale*, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum.

1° » Verum, si gravissimis difficultatibus *impediatur* quominus hoc perficere ipsa possit, tunc, vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi bene visam, suum adeat *Ordinarium*, vel *Sanctam Sedem* per S. Pœnitentiariam vel etiam Supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde *se gerat juxta instructionem* quam erit acceptura.

2° » Si vero *necessitas urgeat*, se gerat juxta consilia et monita *sui confessarii.*

3° » Ast, si, nullo impedimento detenta, denuntiationem *omnino renuat*,.... laudandus est confessarius qui operam suam pœnitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel S. Sedem *pro opportunis providentiis* consuluerit, suppresso tamen pœnitentis nomine. » — *Instruct. cit.*, § *7.*

c) « Denuntiationes fieri debent *in judicio*, nempe coram *Episcopo* ejusve *delegato,* cum interventu ecclesiastici viri qui *Notarii* partes teneat, et cum juramento. » — *Instructio S. C. S. O., 20 feb. 1867*, § *6. — Cf. n. 1469.*

« Cæterum, prohibetur ne, in recipiendis denuntiationibus, præter Judicem et Notarium, virum utrumque ecclesiasti-

cum, speciali et scripto exarata Episcopi deputatione munitum, *testes intersint.* » — *Ibid.* — *Cf. n. 1466.*

« Non infrequens occurrit casus ut confessarius, aliusve ecclesiasticus vir, ab Episcopis deputetur ad denuntiationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante, *absque interventu Notarii*.... Atque in hunc fere modum haud difficulter denuntiandi munus adimpletur. » — *Cit. instr.*, § *8.*

Formula denuntiationis recipiendæ *absque interventu Notarii* habetur apud ephem. Acta S. Sedis, *vol. 3, pag. 505.*

1484. **III. Accepta denuntiatione,** inquiri sedulo debet utrum persona denuntians sit *fide digna*, an boni nominis, an suspicari liceat eam, ad accusandum, vel inimicitia, vel alio affectu humano adduci.

Igitur Judicis est diligenter introspicere ac animadvertere personæ denuntiantis *qualitatem, ingenium, mores, omnesque conditiones*, nec non studiose et accurate perscrutari singulas, tum denuntiantis, tum aliarum rerum pene omnium circumstantias.

1485. **IV. Denuntiatio anonyma,**

a) Facile *despici* potest quando insurgit contra personam ratione officii obnoxiam malorum hominum inimicitiis, et non continet adjuncta quibus facili negotio detegi queat an fundamentum habeat.

b) At quandoque, maxime cum indigitat personas aliaque ex quibus veritas hauriri possit, *inservit inquisitioni*, nedum *generali*, verum etiam *speciali*.

1º Non enim quis semper refugit se prodere quia calumniatur; multoties ita se gerit quia veritas odium parit, et quia, merito vel immerito, *reformidat* ne molestiis aut vindictis opprimatur.

2º Nec semper æquum est exigere ut privatus homo cum *proprio detrimento* adjuvet Superiorem in detegendis malefactoribus. — *Pierantonelli, Praxis fori ecclesiast., tit. 3, num. 11.*

c) Sed « denuntiationes anonymæ contra *sollicitantes ad turpia* nullam vim habent ». — *Instr. S. Cong. S. Officii, 20 feb. 1867*, § *6.*

§ III. DE EXAMINE REI.

In causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, qua ad normam citatæ instructionis an. 1880 pertractantur,

1486. **I. Reus, intimatione scripta vocatur ad examen,** ubi id omne quod ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit. — *Art. 21.*

« In intimatione, nisi prudentia obstet, *accusationes* contra reum perlatæ, per extensum *referuntur*, ut ad responsionem se præparare possit. » — *Art. 22.*

« Quod si, ob accusationum qualitatem, vel alia de causa *haud expediat* ut in intimatione *exprimantur*, in hac satis erit innuere ipsum ad examen vocari, ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio, sese defendat. » — *Art. 23.*

1487. **II. « Si ad examen accedere recuset,** *iterum fit intimatio*, atque in ea congruum tempus *peremptorium* præfinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat; eique significatur, si non pareat, *contumacem* esse indicandum : quam intimationem si, haud probato legitimo impedimento, transgrediatur, ut contumax de facto habebitur. » — *Art. 24.*

1488. **III. « Si ad examen accedat,** *audiatur* ; et ubi inductiones alicujus valoris exhibeat, eæ, quantum fieri potest, accurate discutiantur. » — *Art. 25.*

a) Tales *inductiones* sunt circumstantiæ temporis, loci, personarum, etc., a Reo expositæ, quæ indicia vel præsumptiones contra ipsum, vel diluere, vel nutare faciant.

b) Eas Judex diligenter ad examen revocare debet, et sic *processum abbreviabit*, ac se ex multis dilationibus et tricis eximet. — *Rota, Enchirid., num. 710.*

ARTICULUS II.

DE RESOLUTIONIBUS SUBINDE CAPIENDIS.

Inquisitione ad exitum perducta, Prælatus *id consilii capiet* quod justitia, æquitas et ratio boni publici dictabit.

1489. **I. Si indicia post inquisitionem levia maneant,** Acta in *secreto* Curiæ *Archivio* adservantur, pro futuro quocumque eventu.

Attamen, quando indicia despicienda minime sunt, quin *semiplenæ* probationis gradum constituant, posset Prælatus, apud se vel apud benevisum ecclesiasticum, probum et prudentem, *vocare* personam inquisitam, eique *secreto* et *oretenus* pandere quidquid contra ipsam ad aures suas pervenit, reticito quomodo et a quibus acceperit, atque *congruam emendationem insinuare,* sed absque ulla pœnarum comminatione. — *Pierantonelli, Praxis fori eccles., tit. 3, num. 16.*

1490. **II. Si indicia gravia sunt, et adeo urgent ut semiplenæ saltem probationis gradum attingant,** Prælatus, absolute loquendo, posset procedere etiam ad *inchoationem judicii.*

Verum, quia melius erit si res componatur sine judiciorum incommodis, locus est *Monitioni canonicæ.*

a) Monitio *duplici modo* fieri potest, ad arbitrium Prælati, nempe,

1º Vel in forma *paterna* et secreta, id est *extrajudiciali,* non adstantibus quibuscumque personis, sive Actuario, sive Consiliariis; imo, etiam per *epistolam,* aut per *interpositam personam,* in qua tamen eligenda nunquam satis cautus erit Prælatus.

2º Vel in forma *legali* seu *judiciaria,* eam in Actis redigendo.

Cæterum, tam in primo quam in secundo casu, de monitionum exsecutione *constare* debet ex aliquo actu. — *Cf. Instr. 11 jun. 1880, art. 6.*

b) Si præsumptus Reus *se purgare valeat* impacto cr mine, absolvitur processus, adservandus, ut supra, in se creto Curiæ Archivio.

c) Si negotium remaneat *in statu semiplenæ proba tionis,* tunc Prælatus expendit num expediat Reum suppo nere *purgationi canonicæ. — Cf. n. 1476.*

1491. **III. Si semiplena probatio adsurgit ad gra dum plenæ probationis,** Ordinarius statim potest *proce dere ad ulteriora,* aptando casui quæ magis congruere ju dicabit, nisi prius experiri malit num negotium expedir queat per *Præceptum.*

a) *Præceptum* est jussio aliquid faciendi vel omittendi ad pœnam delicti, a judice facta ei qui reus constiterit sal tem per summariam informationem, et præcedenter monitu fuerit.

b) *Præcepti forma* traditur in sæpe citata instruction S. C. Ep. et Reg., *diei 11 jun. 1880 :*

« Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius jube per Curiam delinquenti *analogum Præceptum* intimari, it ut in hoc explicetur quid ipse vel *facere* vel *vitare* debeat addita respectivæ *pœnæ* ecclesiasticæ comminatione quam si præceptum transgrediatur, incurret.

» Præceptum delinquenti a Curiæ *Cancellario* coram *Vi cario generali* injungitur, aut etiam coram *duobus testibu* ecclesiasticis vel laicis spectatæ pietatis.

» Actus injunctionis Præcepti *signatur* a partibus præ sentibus, et a delinquente etiam, si velit.

» Vicarius generalis *jusjurandum* testibus imponere po test de *secreto* servando, si prudenter a natura rei, de qua agitur, id requiratur. » — *Art. 7 et 8.*

c) *Circa quæ versari debeat Præceptum,* definiri nequi regula generali, cum id a casibus peculiaribus pendeat.

Sed generatim tenendum est Præceptum pro objecto ha bere, nedum *revocare* subjectum ad sanam frugem si lapsus est, verum etiam, si in proximo labendi periculo versetur, *præpedire* ne labatur. — *Cf. cit. Instr., art. 2 et 3.*

d) Cavendum est ne Præceptum ea contineat per quæ

mali suspicio citra necessitatem evulgetur. — *Pierantonelli, loc. cit., num. 20.*

1492. **IV. In causis sollicitationis**, donec *secunda* vel *tertia* denuntiatio intercesserit, potest Episcopus *supersedere judicio* quo Reus, delicti convictus, plectatur pœnis quæ a decretis Pontificiis indictæ sunt.

Ordinarii enim *normam agendi* sumere possunt ex *citata instructione S. C. S. O., an. 1867.* — Porro,

a) « Ea est Supremæ Inquisitionis consuetudo, ut, post unam alteramve denuntiationem rescribatur quod denuntiatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine *suspectus habeatur* ut, quum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in judicium vocandus sit.—Ut plurimum nonnisi *a tertia denuntiatione* procedi solet.

b) » Ad formale examen *vocantur* parochi, vel probatæ fidei spectatæque virtutis viri, præsertim ecclesiastici, qui cum juramento de veritate dicenda et de secreto servando, super *qualitatibus denuntiantium et denuntiati,* et super mutuis eorum odiis et inimicitiis, examinentur.

c) » Hisce peractis diligentiis, *Reus in judicium adducitur;* et, coram Judice, cum interventu ecclesiastici viri qui Notarii partes agat, super singulis cujusque denuntiationis et examinis adjunctis, juramento dicendæ veritatis obstrictus, *respondere debet.* Cavetur solertissime ne denuntiantium nomina Reo manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoquo modo violetur. » — *Instruct. cit.*, § *11.*

d) « Quando perspecta evaserit *patrati criminis veritas*, Reo ad defensionem, prout jura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum *ne confessiones excipiat,* subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem, etiam per quodcumque privilegium, vel ab ipsa Sancta Sede, impertitas.

» Hujusmodi sententiam *Episcopus ipse,* et non alius ab eo delegatus, *proferat;* et, pro modo culpæ, atque omnibus attentis circumstantiis, cæteras quoque pœnas Reo irroget quæ in Pontificiis constitutionibus decernuntur.

» Præterea, si Reus in judicio crimen confessus fuerit, con-

gruam debet emittere *abjurationem*, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, *hæresis* suspicione: et hac quoque pœna in ipsa sententia mulctetur.

» Notandum est pœnas hujusmodi omnes esse tantum *ferendæ sententiæ* ». — *Ibid.*, § *12*. — *Cf. n. 1466.*

e) « Qui nullis omnino super hoc crimine præventi denuntiationibus, conscientia victi, Ordinario loci ejusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia *sponte confitentur* et veniam petunt, dimitti debent cum congrua *abjuratione* et *pœnitentiis* dumtaxat *salutaribus*, adjecto consilio vel præcepto ut *ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant*; nec cæteris pœnis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur.

» Qui vero, judiciaria forma jam præventi, sed *nondum citati*, sua sponte se sistunt; et ii pariter quos veritatem non integram, sed diminutam, in *spontanea apparitione* confessos esse, Ordinarius loci ex acceptis postea denuntiationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent; verumtamen, pro ipsius Ordinarii prudentia, *mitius* puniantur. » — *Cit. Instruct. S. O.*, § *13*.

ARTICULUS III.

DE LIBELLO JUDICIALI ET CITATIONE.

1493. **I. Judicio aditum aperit petitio Actoris, vel Promotoris fiscalis, nempe libellus.**

a) *Libellus judicialis* est: Scriptura continens rem quæ in judicio petitur, causam petendi, nomen Actoris, nomen Rei qui convenitur, ac nomen Judicis quod exterius libello inscribitur.

b) In judiciis *œconomicis*, Judex necessario libellum non exigit. — *Clement. 2*, *De verborum significatione*.

In his tantum requiritur ut Actor, vel Promotor fiscalis, intentionem suam apud Judicem exponat, ejusque petitio, *quacumque forma* concepta sit, rem quæ constituit *judicii*

materiam ita clare apteque proponat, ut altera pars comprehendat quid agere debeat, si judicii incommoda vitare velit, et deliberare queat an cedere vel contendere expediat.

c) Ad *criminalia* quod attinet, *Instructio anni 1880, art. 15,* hæc habet :

« *Delicti fundamentum* erui potest ex ipsa expositione habita in processu, quæ authenticis informationibus, vel confessione extrajudiciali, vel testium depositionibus confirmetur ; *transgressio vero præcepti* ex ipso decreto et actu intimationis, ad normam art. 7 et 8 factæ, deducitur. »

d) Incongruum est quod Judex *per se* Reum insectetur, et sic videatur quis partes explere *Actoris* simul et *Judicis*. Quapropter, sicut in judiciis civilibus necessaria est *petitio Actoris*, sic in criminalibus *interessentia Promotoris* seu *Procuratoris fiscalis*.

Unde disponit eadem Instructio S. C. Ep. : « In qualibet Curia episcopali, *Procurator fiscalis* constituetur, ut justitiæ et legi satisfiat. » — *Art. 13.*

Et adeo *necesse est* ut in omnibus Actis judicialibus Procurator fiscalis, non minus quam Actor in civilibus judiciis, citetur, ut alias irrita censeatur sententia. — *Pierantonelli, op. cit., tit. 5, num. 2.*

e) Promotor fiscalis libellum concludit, postulando ut contra Reum procedatur prout de jure ; nam applicationem pœnæ specialis, non in libello, sed in die discussionis causæ exposcit. — *Pierant., ibid., num. 3.* — *Cf. n. 1501.*

1494. **II. Secundus actus judicialis est citatio,** nempe actus quo Judex competens Reum vocat in subeundum judicium.

a) Citatio adeo est *necessaria* ut, si omittatur, quilibet actus judicialis sit ipso jure irritus et nullus.

Æquitas enim *naturalis* exposcit ut nemo inauditus damnetur. — *Cap. 1, De causa possessionis.*

b) Verum Judex ecclesiasticus non potest quemquam citare et Reum constituere, nisi habuerit contra eum *semiplenam probationem,* aut gravia indicia.

Ratio est quia, ex hoc ipso quod quis criminaliter citetur, et Reus constituatur, fit suspectus apud populum, et *grave damnum* patitur. Ipsa autem lex naturalis prohibet ne cuiquam tantum gravamen, absque *causa sufficienti*, inferatur. — *Bouix, De judiciis, tom. 2, pag. 155.*

c) Primum citationis requisitum est ut fiat *auctoritate Judicis*, idque constet ex *citationis forma*, adeo ut citatus agnoscat se ab illa affici et arctari ad comparendum, quodque agnoscat, vel agnoscere debeat, se alias reputari posse contumacem.

d) Secundum requisitum est ut contineat *causam* propter quam citatur, ut Reus ex ipsa citatione intelligere et deliberare queat, utrum ex justa causa, et coram legitimo Judice, etc., citatus sit.

1495. **III. Citatio distinguitur :**

a) In *privatam* et *publicam*.

1° Est *privata*, si personaliter notificetur Reo aut ejus Procuratori.

Porro, *ex Instr. S. C. Ep., 11 jun. 1880*, « Pro intimationibus vel notificationibus, si *Apparitores* Curiæ desint, utatur Episcopus persona aliqua qualificata, quæ eas exhibeat, ac de hoc ipsum certiorem reddat : vel etiam a Curia, per publicos tabellarios commendatæ (*par lettre recommandée à la poste*) transmittantur, exquisita fide exhibitionis atque acceptionis vel repudii. Intimationes et notificationes semper *in scriptis* absolute fiant. » — *Art. 14.*

2° *Publica* seu *edictalis* dicitur, si fiat publice per vocem præconis, vel per *edictum* in locis publicis affixum.

Sed non facienda est citatio per edictum, nisi prius constiterit de *non tuto* vel *facili* accessu ad personam, vel ad domum, seu domesticos.

b) In *simplicem* et *peremptoriam*.

1° *Simplex citatio* continet merum *præceptum* se sistendi coram tribunali, et tribus vicibus repeti debet, antequam Reus censeatur contumax si ad vadimonium non venerit.

2° *Peremptoria* dicitur, quando declaratur unam loco

trium tenere; et ea *sola* Reum constitui *contumacem,* si die præfinita non comparuerit. — *Cf. cit. Instr., art. 24.*

1496. **IV. Effectus citationis quatuor sunt :**

a) Obligatio pro Reo *comparendi,* ita ut, termino in citatione *peremptoria* inutiliter *elapso,* Actor, sive Promotor fiscalis, possit instare ut Reus amplius non citetur, et habeatur perinde ac si in sui defensione plene succubuerit. — *Cf. cap. 2, De dolo et contumacia.*

b) *Præventio* inter plures Judices habentes jurisdictionem in eamdem causam. Reus nempe sortitur forum illius Judicis qui *prior* ac tempore opportuno citaverit, etiamsi postea mutet forum et alterius jurisdictioni se subjiciat. — *Cap. 19, De foro compet.*

c) *Prorogatio jurisdictionis Judicis delegati,* qui, lite introducta per citationem, causam ad exitum usque perducit, etiam post mortem delegantis.

d) *Pendentia litis,* ut aiunt, ita ut, *lite pendente, nihil innovetur,* ad præscriptum juris quod super hac regula integrum titulum habet 16, lib. 2 Decretalium.

1497. **V. Quoties indicia valde gravia aliquem patrati criminis suspectum faciunt,** Judicis est decernere utrum Reus præsumptus *simpliciter citandus* sit, aut simul *capiendus,* ut in *carceribus* usque ad exitum judicii custodiatur.

Jam vero, Judex in decernenda, vel citatione simplici, vel citatione simul et captura, tum conditionem *personæ,* tum qualitatem et indicia *criminis* diligenter perpendere debet.

ARTICULUS IV.

DE LITIS CONTESTATIONE ET DISCEPTATIONE CAUSÆ.

1498. **I. Lis dicitur contestata,** si Reus, intentioni Actoris *contradicens,* contendere in judicio sit paratus.

a) *Contestatio* igitur *fundamentum* judicii est, et defi-

niri potest : Judicii constitutio, facta affirmatione unius et contradictione alterius litigantis.

b) *Effectus hujus contestationis* præcipui sunt :

1° *Ex parte Judicis*, quod amplius ut suspectus vel incompetens rejici nequeat, nisi nova aliqua suspicionis causa supervenerit. — Ratio est, quia partes litigantes, per litis contestationem, censentur consensisse in Judicem, et renuntiasse juri recusationis. — *Cap. 25, De offic. jud. deleg.*

2° *Ex parte Actoris*, quod actio temporalis ad quadraginta annos perpetuetur; — et *respectu Rei*, quod in mala fide constituatur quoad fructuum perceptionem, et amplius non currat præscriptio.

3° *Ex parte litigantium*, quod uterque, instante altero, teneatur incœptum judicium prosequi.

1499. **II. In casu judicii criminalis,** contestatio litis est contestatio *delicti* et argumentorum, quæ prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur, et in pœnas canonicas incurrisse censeatur. — *Cf. artic. 26 et 15 cit. Instr. S. C. Ep., 11 jun. 1880.*

Porro, *ex eadem Instructione*, quæ pro causis disciplinaribus et criminalibus clericorum data est :

a) Absoluto processu informativo, redactor Actorum *summarium* præcipuorum argumentorum, quæ ex ipso elucent, conficit. — *Art. 29.*

b) Processus ejusque summarium transmittuntur *Procuratori fiscali*, ut expleat quæ ad ejus officium pertinent, nempe, ut exhibeat *capitula*, quæ sunt quædam distincta capita accusationum breviter exposita, seu indiculi eorum quæ factum criminosum et responsabilitatem Rei respiciunt. — *Art. 33.* — *Cf. num. 1493.*

c) Idem processus ejusque summarium *ad Ordinarium remittuntur*, qui, ubi in plenam causæ cognitionem devenerit, *diem constituet*, in qua ejus discussio ac decisio locum habeat, idque inquisito significari curet. — *Art. 33.*

1500. **III. Defensio omnibus competit, et omnibus danda est.**

a) Imo, defensiones concedendæ sunt etiam Reo *con-*

fesso vel *convicto*, quia, etsi Reus convictus sit plene per testium probationes, tamen, legitimas producendo exceptiones, vel in eorumdem personas vel in eorum depositiones, dari potest quod dictas probationes *evacuare* aut *infirmare* valeat.

Unde, etiamsi Reus defensionem non petat, *ex officio* concedi debet. — *Cf. cit. Instr., art. 31.*

b) Reus potest se defendere *a semetipso*, vel *Defensorem* adhibere, clericum aut laicum, ex approbatis ab Ordinario. — *Cf. cit. Instr., art. 30.*

c) Ut Reus se defendere possit, necessarium est quod ei concedatur *indiciorum et probationum adversantium copia*, expressis vel tacitis nominibus testium, juxta causæ naturam.

Ideo, sic disponente sæpedicta Instructione S. C. Ep. et Reg., *Defensor*, debitis sub cautelis, in Cancellaria Curiæ, processum ejusque summarium *inspiciet*, ut reum tueatur; ac defensionem, ante causæ ipsius propositionem, *scripto* exhibere poterit.

Ipse quoque ad juramentum de secreto servando tenetur, quando Judex indolem causæ id postulare censuerit. — *Art. 32. — Cf. art. 28.*

1501. **IV. Die præstituta, causa proponitur** coram *Vicario generali*, adsistentibus Procuratore fiscali, Defensore, et Cancellario. — *Instruct. de modo procedendi in causis discipl. et crimin. clericorum, art. 34.*

a) Procurator fiscalis *capitula* legit, et pœnæ applicationem exposcit.

b) Reus potest *exceptiones* contra probationes ex instrumentis, ex præsumptionibus, e testium depositionibus, vel aliunde datas, proponere, *suasque defensiones* exhibere. — *Cf. n. 1502.*

c) Procuratori licet *replicare*, si hæc media vana esse reputaverit; vicissim *replicatio Reo conceditur*, et sic deinceps, quamdiu Judici expedire videbitur, ad causæ elucidationem, ita tamen ut ultimus sit semper Reus in respondendo.

d) *Legitimatio processus* per repetitionem testium necessaria est in judiciis *solemnibus*. Verum in judiciis *summariis*, nisi Reus urgeat, testes habentur ut sufficienter examinati in processu informativo.

ARTICULUS V.

DE EXCEPTIONIBUS ET RECONVENTIONE.

1502. **I. Exceptio est** : Actionis exclusio, qua Reus actionem contra se institutam, vel retardat, vel penitus elidit. — *Schmalzgr., in tit. De exceptionibus.*

Ideo exceptio in *temporalem* seu *dilatoriam*, et *perpetuam* seu *peremptoriam* dividitur.

a) *Exceptio dilatoria* : vel petitur *a persona Judicis*, et speciali nomine dicitur fori declinatoria, veluti si Reus excipiat Judicem esse incompetentem, vel suspectum, aut litem alibi pendere; — vel petitur *a persona Actoris*, ejusve tutoris vel procuratoris, ut si excipiatur Actorem esse pupillum, excommunicatum, Procuratorem mandato carere, etc.; — vel petitur *a forma processus*, qualis est exceptio libelli inepti vel obscuri, loci non tuti vel inhonesti, etc.

b) *Exceptiones peremptoriæ*, aliæ sunt *simpliciter peremptoriæ*, aliæ *litis finitæ* nominantur.

1° *Prioris generis* sunt exceptiones doli, metus, præscriptionis, solutionis, et hujusmodi, quæ actionem in perpetuum excludunt, attamen litis ingressum non impediunt.

2° *Posterioris generis* sunt, quæ impediunt etiam quominus novum judicium instituatur, quales sunt exceptiones rei judicatæ, transactionis, litis per jusjurandum finitæ.

1503. **II. Mutua petitione, seu reconventione**, contra Actorem Reus uti potest, per quam specie quadam *compensationis* se tuetur.

a) Fit itaque *mutua petitio*, seu *reconventio*, dum Reus conventus aliquid vicissim in eodem judicio ab Actore petit tanquam sibi debitum; et hoc modo uterque litigans est simul Reus et Actor. — *Cf. n. 1460.*

b) Reconventio *duos parit effectus* :

1º Primus est ut jurisdictio *prorogetur*, adeo ut qui coram Judice reconvenit, eumdem amplius recusare non possit.

2º Alter effectus est ut res utraque, actio scilicet et reconventio, *uno eodemque judicio* cognoscantur.

ARTICULUS VI.

DE SENTENTIA ET RE JUDICATA.

Causæ omnes per *sententiam* absolvuntur, quo nomine venit : Controversiæ propositæ facta a Judice definitio.

1504. **I. Sententia dividitur in definitivam et interlocutoriam.**

a) *Prior* est quæ finem liti imponit, vel *absolvendo*, vel *condemnando*, vel *declarando*.

In sententia *declaratoria*, Reus non damnatur, sed declaratur in condemnationem seu pœnam incidisse quæ per legem inflicta erat, *ipso facto*, ut aiunt, incurrenda. — Ideoque, quia pœna non *ab homine*, sed *a jure* infertur, quod pertinet ad ejus effectum retrahitur ad tempus quo delictum patratum est. — *Cf. n. 1546 et 1711.*

b) Sententia *interlocutoria* ea est qua Judex, non de causa ipsa *principali*, sed dumtaxat de causa aliqua *incidente* pronuntiat, inter litis principium et sententiam definitivam.

1º *Duplex* est : alia *simplex* quæ non officit causæ principali, qualis est interlocutio super testibus producendis; alia quæ *vim sententiæ definitivæ* habet, ita ut causam indirecte dirimat, et post illam alia definitiva non exspectetur, v. gr. si Judex pronuntiet se esse incompetentem, vel exceptionem peremptoriam admittat, puta legitimæ præscriptionis, erroris circa personam Rei, etc.

2º Interlocutoriæ affinis est sententia *provisionalis*, per quam Judex, cum definire controversiam nequeat, quia nondum satis instructa est, aliquid decernit in re quæ dilationem non patitur, ut præsenti necessitati interim provi-

deatur, veluti si agatur de alimentis, de portione congrua, de divortio, de reparatione ecclesiæ quæ exitium minitatur, etc.

1505. **II. Sententia debet esse :**

a) *Certa et absoluta*, id est definitive determinans id quod erit præstandum, prout est possibile, nec pendens a conditione ambigua; secus nec tolleret disceptationem, nec finem liti imponeret.

b) *Scriptis consignata*, ut de ea certius constet, et removeantur diversæ interpretationes quibus sententia oralis locum dare potest. — *Cap. Etsi, 5, De sentent., in 6°. — Cf. cit. instr. S. C. Ep., 11 jun. 1880, art. 35.*

c) *Recitata ex scripto* a Judice *pro tribunali sedente*, die non feriato.

Episcopus *in quolibet loco suæ diœcesis non exempto* potest pro tribunali sedere; ideoque nihil obstat quominus Officialis, vel delegatus, qui certam sedem non habet, locum non consuetum sibi eligat, prout existimaverit.

1506. **III. Reus, confessus vel convictus, debet necessario condemnari ad omnem et solam pœnam ordinariam,** id est a sacris canonibus sancitam, nisi adsit causa aliqua *minuendi* vel *augendi* pœnam ordinariam, et hæc causa, si ob eam pœna ordinaria minuitur vel augetur, necessario debet exprimi in sententia. — *Cf. cit. Instruct. diei 11 jun. 1880, art. 35.*

Ratio est, quia *facti* solum quæstio Judicis conscientiæ et arbitrio relinquitur; quæ autem sunt juris, legis auctoritati. — *Cf. Rota, Enchirid.,* § *751 et seq.*

Quod si nulla specialis pœna pro aliquo delicto in jure *determinatur*, illa *arbitrio Judicis* relinquitur statuenda.

1507. **IV. Effectus sententiæ definitivæ sunt :**

a) *Quoad ipsum Judicem*, ut non possit ab eodem Judice revocari aut corrigi, nisi Judex sit supremus, vel sententia sit ipso jure nulla et invalida.

b) *Quoad litigantes*, ut inter partes jus faciat, et transeat in auctoritatem rei judicatæ, nisi ab ea intra decem dies appellatum fuerit. — *Cf. n. 1526.*

1º Excipiendæ sunt sententiæ in causis *matrimonialibus* quæ agitantur circa valorem vinculi conjugalis. In hisce enim causis sententia, sive pro valore sive pro nullitate vinculi, non transit in *rem judicatam;* sed, licet exsecutioni mandata sit, tamen iterum causa discuti potest, si novæ emergunt *validæ probationes* contra sententiam; et ipsa sententia, si contrarium constiterit, potest retractari. — *Cap. 7, 10, 11, De sent. et re judic.*

Ratio est quia matrimonium est *juris divini;* hinc sententia Judicis non potest illud validum reddere si nullum sit, nec illud irritare si fuerit valide contractum.

2º In rem judicatam non transit sententia condemnatoria in *criminalibus;* quandocumque enim constiterit innocentia Rei, poterit sententia corrigi, saltem per recursum ad Principem.

3º Nec transeunt in rem judicatam sententiæ, sive quæ *manifestam iniquitatem* continent, ut sententia ex falsis testimoniis pronuntiata, sive quæ insanabili nullitate laborant, quia, ex. gr., prolatæ sunt a Judice non competente, vel non servato substantiali ordine processus.

1508. **V. Exsecutioni sententia mandanda est,** cum *vanum* sit sententias dicere, nisi *exsecutioni* demandentur. — *Cf. n. 1526.*

a) Exsecutio autem est actus *jurisdictionis* et *imperii*, per quem res judicata, mediis etiam *coactivis*, ad exitum suum perducitur. Ideo ad Judicem *ordinarium* pertinet sententiæ exsecutio.

Judex etiam *delegatus a S. Pontifice* sententiam sua exsequitur; verum idem non constat de cæteris Judicibus delegatis, nisi specialiter a delegante sit ipsis demandata exsecutio. — *Cf. cap. 26 et 28, De offic. Jud. deleg.*

b) Si exsecutio facienda sit *in territorio alterius*, v. gr. in aliena diœcesi, Judex mittet litteras requisitorias ad Judicem hujus territorii, quibus ab eodem requirit ut sententiam ipse exsequi velit.

Judex loci cui committitur exsecutio sententiæ, non potest de ipsius causæ meritis *cognoscere*, quia est nudus *ex-*

secutor; attamen potest cognoscere de exceptione nullitatis sententiæ, et de aliis exceptionibus quæ directe proponuntur contra *ipsam sententiæ exsecutionem.*

c) Sunt quædam sententiæ quæ *per se ipsas* effectum suum producunt, ut sunt, v. gr., sententiæ quæ *censuram* imponunt, aut aliquam *inhabilitatem* inducunt; ideoque *nulla exsecutione* indigent.

CAPUT VI.

DE PROCESSU EXTRAORDINARIO.

Agendum est : de processu summario ex jure communi ; — et de modo procedendi œconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, juxta Instructionem S. Cong. Episc. et Reg., recenter editam.

ARTICULUS I.

DE PROCESSU SUMMARIO EX JURE COMMUNI.

1509. **I. Judicium summarium est** illud in quo *omittuntur*, ad citius expediendam causam, certæ quædam ordinarii judicii *solemnitates*, retentis solummodo iis quæ *ex natura rerum* reputantur necessariæ ad legitimam litis discussionem, id est ad cognoscendam veritatem. — Unde, in hoc judicio proceditur, ut aiunt, « *simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii* ».

Exinde patet summaria judicia a sententiis *ex informata conscientia* omnino differre. Nam in hujusmodi sententiis, non *aliquæ*, sed *omnes* ordinarii judicii solemnitates omitti possunt, et omnino *extrajudiciales* esse possunt, id est absque ullo forensi judicio proferri. — *Cf. n. 1514 et seq.*

1510. **II. In summario judicio,** non est necessarius *libellus ;* et Judex amputare potest *dilationum* materiam, *litemque facere breviorem*, exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo, partium, Advocatorum et Procuratorum contentiones et jurgia, testiumque superfluam multitudinem refrænando.

Non sic tamen litem abbreviare potest, quin *probationes necessariæ* et *defensiones legitimæ* admittantur.

Sententiam definitivam, citatis licet non peremptorie partibus, stans vel sedens, proferre valet. — *Clement. Sæpe contingit, 2, De verborum significatione.*

1511. **III. Adhiberi potest forma summaria judicii :**

a) In casu notorietatis. — *Cap. Ad nostram, 21, De*

jurejurando. — Revera, ordo judiciarius solum introductus est ad criminis aut juris dubii veritatem *investigandam*; qui finis cessat in casu ubi hæc est notoria.

b) In causis « super electionibus, postulationibus, vel provisionibus; aut super dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis ». — *Clement. Dispendiosam, 2, De judiciis.*

c) In causis hæreseos (*cap. Statuta, 20, De hæreticis*); et in causa concubinatus adversus clericos. — *Conc. Trid., sess. 25, cap. 14, De ref.*

d) In causis minoris momenti, et in eis quæ ob imminens periculum moram non patiuntur. — *Cap. 26, De accusationibus.*

1512. **IV. Specialis judicii forma in aliquibus causis adhibenda est,** et in his plures quoque judicii ordinarii solemnitates omitti possunt.

a) Hujusmodi sunt causæ *nullitatis* professionis religiosæ. — *Cf. num. 1146 et seq.*

b) Item causæ *matrimoniales* de validitate aut nullitate matrimonii tractandæ sunt juxta *ordinem specialem*, inductum constitutione Benedicti XIV, *Dei miseratione*, 3 nonas nov. 1741, cui accesserunt: *Instructio S. C. C.*, 22 aug. 1840, pro confectione processus in causis matrimonialibus; et *Instructio, sine data, S. C. S. O.*, sequenda in conficiendo processu super viri impotentia et non secuta matrimonii consummatione, accedente S. Pontificis dispensatione ab accurata observantia præscriptionum bullæ Benedicti XIV. — *Cf. Gasparri, Tr. de matrim., cap. 9, art. 2*; — *Le Can. contemp., an. 1892, pag. 16 et seq.*

ARTICULUS II.

DE MODO PROCEDENDI ŒCONOMICE IN CAUSIS DISCIPLINARIBUS ET CRIMINALIBUS CLERICORUM.

1513. Sacra Congregatio Episcoporum, *die 11 junii 1880*, ad omnes *Italiæ Episcopos* transmisit « Instructionem pro

ecclesiasticis Curiis, quoad modum procedendi *œconomice* in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.»— Et S. Pontifex « benigne indulsit ut *Galliarum Ordinarii,* in suis ecclesiasticis Curiis, enuntiata judiciali methodo uti valeant, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus ».

Hanc Instructionem, ad quam sæpe remisimus, *hic referre juvat,* ex italico idiomate in latinum translatam, prout ipsa transmissa est a *S. C. de Propaganda Fide*, an. 1883, ad Episcopos Americæ Septentrionalis.

a) Ratio Instructionis.

« Sacra hæc Episcoporum et Regularium Congregatio, mature præsenti Ecclesiæ conditione perpensa, quæ pene ubique impeditur quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere ut formas magis œconomicas adhibere valeant in exercitio suæ disciplinaris jurisdictionis super clericis. Ut autem tota justitiæ ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas, a Curiis servandas. »

b) Ejusdem divisio.

« *Art. I.* Ordinarius, pro suo pastorali munere, tenetur disciplinam correptionemque clericorum ita diligenter curare, ut circa eorum mores assidue vigilet, ac remedia a canonibus statuta, sive præcavendis, sive tollendis abusibus in clerum aliquando irrepentibus, provide adhibeat.

» *Art. II.* Hæc vero remedia, alia *præventiva* sunt, alia *repressiva.* Illa quidem ad præpedienda mala, scandalorum stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas ordinantur. Hæc vero eum in finem constituta sunt, ut delinquentes ad bonam frugem revocentur, ac culparum consectaria e medio tollantur.

» *Art. III.* Conscientiæ Ordinarii remittitur cujusque re-medii applicatio, canonicis præscriptionibus servatis, pro casuum ac circumstantiarum gravitate. »

c) Remedia præventiva.

« *Art. IV.* Præventiva remedia sunt præcipue : spiritua-lia exercitia, monitiones, præcepta.

» *Art. V.* Antequam vero adhibeantur, summaria facto-rum recognitio præcedat oportet : cujus notitiam Ordinarius servari curet, ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut Auctoritati ecclesiasticæ superioris gradus, in casu le-gitimi recursus, totius rei rationem reddat. »

Longe alia ratione in hac Instructione ac in cæteris Pon-tificiis decretis, *spiritualia exercitia* præcipiuntur. — *Cf. num. 344.* — Unde, ad hujus etiam remedii applicationem, requiritur ut de delicto *constet* per summariam facti cogni-tionem.

Nam spiritualia exercitia non parum participant de *pœnis* quæ adversus reos statuuntur ; quatenus enim expensas exigunt, *mulctam pecuniariam* sapiunt ; quatenus a pro-prio domicilio abesse, et in loco determinato commorari sacerdotem cogunt, *exilium* vel *confinium* sapiunt ; quate-nus vero eum per octo aut decem dies proprio muneri desi-nere compellunt, *suspensionem* ab exercitio publicorum officiorum imponunt. — *Rota, Enchirid.*, § *629.*

« *Art. VI.* Canonicæ monitiones, vel secreto fiunt (etiam per epistolam vel per interpositam personam), ad modum paternæ correptionis ; vel servata forma legali adhibentur, ita tamen ut illarum executio ex aliquo actu pateat. » — *Cf. art. 14.*

Monitio, prout hic sumitur, est species correctionis quæ non tantum ad virtutem *charitatis* pertinet, sed est repre-hensio seu redargutio in *pœnam* delinquentis, ob ejus de-lictum, quatenus illud est in nocumentum boni communis ; ideoque et ad *justitiam* spectat. Unde, nec ea Prælatus uti potest, nisi præcedat *summaria facti cognitio*, ex qua *gravia* saltem indicia scaturierint de culpabilitate rei. — *Cf. n. 1490* ; — *et Rota, op. cit.*, § *630 et seq.*

« *Art. VII.* Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius jubet per Curiam delinquenti analogum præceptum intimari, ita ut in hoc explicetur quid ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivæ pœnæ ecclesiasticæ comminatione quam, si præceptum transgrediatur, incurret. » — *Cf. n. 1491.*

« *Art. VIII.* Præceptum delinquenti, a Curiæ Cancellario, coram Vicario generali, injungitur, aut etiam coram duobus testibus ecclesiasticis vel laicis spectatæ probitatis.

» 1° Actus injunctionis præcepti signatur a partibus præsentibus, et a delinquente etiam, si velit.

» 2° Vicarius Generalis jusjurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a natura rei, de qua agitur, id requiratur. »

Hæc ultima solemnitas, de secreto servando, redolet tum *misericordiam* quam Ecclesia justitiæ actibus miscere non desinit, tum *prudentiam* qua arcere curat quidquid in populi scandalum, sine proportionata causa, deveniret.

d) Media repressiva.

« *Art. IX.* Quod vero pertinet ad remedia repressiva, seu pœnas, animadvertant Ordinarii in suo pleno vigore manere remedium extrajudiciale *ex informata conscientia*, pro occultis reatibus a S. Concilio Tridentino constitutum, sess. 24, cap. 1, De Ref. » — *Cf. n. 1514 et seq.*

« *Art. X.* In actione criminali, vel ob præcepti inobservantiam, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem, processus summarie et sine strepitu judicii, servatis semper in tota sua substantia justitiæ regulis, conficiatur. »

e) Processus informativus.

« *Art. XI.* Processus ex officio instruitur, vel accepto supplici libello, vel accusatione, vel nuncio quoquomodo ad Curiam perlato; et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine, tum de reitate vel innocentia accusati, causa eliquetur. » — *Cf. n. 1477 et seq.*

« *Art. XII.* Compilatio processus committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat Actuarius. » — *Cf. num. 1447; — et art. 18.*

« *Art. XIII.* In qualibet Curia episcopali, Procurator fiscalis constituatur, ut justitiæ et legi satisfiat. » — *Cf. ubi de officio Promotoris, n. 1446, 1498 et seq.*

« *Art. XIV.* Pro intimationibus vel notificationibus, si Apparitores Curiæ desint, utatur Episcopus persona aliqua qualificata, quæ eas exhibeat, ac de hoc ipsum certiorem reddat; vel etiam a Curia, per publicos tabellarios commendatæ (quibus locis hoc systema vigeat), transmittantur, exquisita fide exhibitionis atque acceptionis vel repudii. Intimationes et notificationes semper in scriptis absolute fiant. » — *Cf. n. 1495.*

f) Probationes.

« *Art. XV.* Delicti fundamentum erui potest ex ipsa expositione habita in processu, quæ authenticis informationibus, vel confessione extrajudiciali, vel testium depositionibus confirmetur; transgressio vero præcepti ex ipso decreto et actu intimationis, ad normam art. 7 et 8 factæ, deducitur.

» *Art. XVI.* Ad admittendam vero rei culpabilitatem, necessaria est probatio legalis, quæ iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur, quocumque rationabili dubio oppositi remoto. » — *Cf. n. 1462 et seq.*

g) Testes.

« *Art. XVII.* Personæ quæ examini subjiciendæ sunt, separatim audiuntur. » — *Cf. n. 1470.*

« *Art. XVIII.* Testes ad probationem, sive ad defensionem, si legalia impedimenta id non prohibeant, audiantur præstito juramento de veritate dicenda, et, si res postulet, etiam de secreto servando. Itaque, antequam testificentur, cum de veritate, tum de secreto jurent. » — *Cf. num. 1468 et 1469.*

« Eo magis de officio fideliter adimplendo, et de secreto, pro rei de qua agitur exigentia, servando, omnes juramento

obstricti sint oportet qui in instructione processus, ex suo munere, partem aliquam habeant.

» *Art. XIX.* Testes qui in locis longe dissitis vel in aliena diœcesi degunt, mediante Auctoritate ecclesiastica loci in quo manent, examinentur, in quem finem specimen factorum transmittetur : quæ quidem Auctoritas, in responsione, normas in hac Instructione contentas observabit. » — *Cf. num. 1471.*

« *Art. XX.* Si indicentur testes qui de factis vel circumstantiis ad meritum causæ substantiale spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint, vel quia non licet aut decet eos citare in judicium, vel quia rogati adesse recusent, necesse est id in Actis commemorare; eorumque deficientia suppletur testimoniis aliorum qui, vel de relato, vel aliter, rem, de qua quæritur, noverint. » — *Cf. n. 1472.*

h) Rei examen.

« *Art. XXI.* Ubi id omne quod ad veritatem factorum constituendam, et culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit, imputatus, intimatione scripta, ad examen vocatur. » — *Cf. n. 1493, 1494 et seq.*

« *Art. XXII.* In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra Reum perlatæ per extensum referuntur, ut ad responsionem se præparare possit.

» *Art. XXIII.* Quod si, ob accusationum qualitatem, vel alia de causa, haud expediat ut in intimatione exprimantur, in hoc satis erit innuere ipsum ad examen vocari ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio, sese defendat.

» *Art. XXIV.* Si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum tempus peremptorium præfinitur, intra quod Reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse judicandum : quam intimationem si, haud probato legitimo impedimento, transgrediatur, ut contumax de facto habebitur. » — *Cf. n. 1495.*

« *Art. XXV.* Verum, si ad examen accedat, audiatur; et, ubi inductiones alicujus valoris exhibeat, eæ, quantum fieri potest, accurate discutiantur. »

i) Contestatio delicti.

« *Art. XXVI.* Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum, quæ prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur, et in pœnas canonicas incurrisse censeatur. » — *Cf. n. 1498 et seq.*

« *Art. XXVII.* Inquisitus, ubi ex his noverit quæ in Actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac, si velit, utetur jure defensionis a se ipso peragendæ. » — *Cf. num. 1500.*

j) Rei paranda defensio.

« *Art. XXVIII.* Potest etiam, si postulet, obtinere ut terminus ad defensionem scripto exhibendam præfigatur; maxime si, ob ea quæ art. 23 indicata sunt, responsionem ad accusationes contra se latas parare non potuerit.

» *Art. XXIX.* Absoluto processu, redactor actorum summarium præcipuorum argumentorum, quæ ex ipso elucent, conficiat.

» *Art. XXX.* Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem, suo nomine, peragendi. Quod si idoneum non reperiat, laicum catholicum adhibere potest. Quisque autem ex iis ab Ordinario approbandus est. » — *Cf. n. 1445.*

« *Art. XXXI.* Si vero Reus defensorem deputare recuset, Ordinarius illum ex officio designabit.

» *Art. XXXII.* Defensor, debitis sub cautelis, in Cancellaria Curiæ, processum ejusque summarium inspiciet, ut Reum tueatur; ac defensionem, ante causæ ipsius propositionem, scripto exhibere poterit. Ipse quoque ad juramentum de secreto servando tenetur, quando Judex indolem causæ id postulare censuerit. » — *Cf. n. 1500.*

k) Præparatio discussionis.

« *Art. XXXIII.* Processus, ejusque summarium, ad Procuratorem fiscalem mittitur, ut officio suo fungi possit; dein ad Ordinarium remittitur, qui, ubi in plenam causæ cogni-

tionem devenerit, diem constituet, in qua ejus discussio ac decisio locum habeat, idque inquisito significari curet. »

Episcopus est qui hic venit nomine *Ordinarii*. Non enim decet coram ejus Vicario generali, qui ejus nomine judicium ferre debet, causam proponi quam ipse non apprime noverit.

l) Propositio causæ.

« *Art. XXXIV.* Præstituta die, causa coram Episcopo vel Vicario generali, præsente Procuratore fiscali, defensore et Cancellario, proponitur.

» *Art. XXXV.* Audito fisci Procuratore, ac defensione Rei, sententia pronunciatur, ejusque pars dispositiva Cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicæ quæ contra imputatum applicatur. » — *Cf. n. 1501.*

Solus *Vicarius generalis* memoratur ut Judex; sed ei *Assessores* adjici solent. — *Cf. n. 1443.*

« *Art. XXXVI.* Sententia Reo intimetur, qui potest ad Auctoritatem superioris instantiæ appellationem interponere. » — *Cf. n. 1504 et seq.*

Sententiæ notificationi videtur etiam applicandus *articulus 14* hujus Instructionis, quo *persona qualificata,* vel *litteræ* penes tabellariorum officium *commendatæ,* ad varias intimationes adhiberi generaliter permittuntur.

m) Appellatio.

« *Art. XXXVII.* In appellatione, observentur normæ expressæ in constit. sa. me. Benedicti XIV, *Ad militantis,* diei 30 martii 1742; ac ceteræ indictæ a S. C. Episc. et Reg., decreto diei 18 dec. 1835, et epistola circulari diei 1 aug. 1851. » — *Cf. n. 1520 et seq.*

« *Art. XXXVIII.* Intra terminum decem dierum a notificatione sententiæ, interpositio appellationis fieri debet : quo elapso tempore, sententiæ exsecutio locum habet. » — *Cf. num. 1526.*

« *Art. XXXIX.* Appellatione interposita, continuo Curia ad Auctoritatem ecclesiasticam superioris instantiæ omnia

Acta causæ in suis autographis, id est processum, ejus summarium, defensionem ac sententiam, mittit.

» *Art. XL.* Hæc porro superioris instantiæ Auctoritas, appellatione cognita, appellanti injungit ut intra triginta dies defensorem deputet, qui ab ipsa approbandus est.

» *Art. XLI.* Eo termino peremptorio frustra elapso, censetur Reus beneficio appellationis renuntiasse, quam propterea Judex gradus superioris peremptam declarat. » — *Cf. n. 1527.*

« *Art. XLII.* In appellatione a sententia Curiæ episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus, in causa cognoscenda ac definienda, eadem procedendi methodo utetur quæ in hac Instructione indicatur. »

n) Monita finalia.

« *Art. XLIII.* Si clericus, ob communes reatus, a civili potestate, privilegio fori non obstante, processui ac judicio subjiciatur, Ordinarius summariam informationem criminis assumit, ac inquirit num, ad normam sacrorum canonum, infamiæ, irregularitati, vel alii ecclesiasticæ sanctioni, locus esse possit.

» Pendente judicio, vel imputato in carcere detento, prudens consilium erit, ut Ordinarius ordinationes mere provisorias adhibeat.

» Judicio absoluto, si liber accusatus remittatur, Curia episcopalis, juxta informationes, ut supra, assumptas, ea ratione procedet quæ in hac Instructione constituitur.

» *Art. XLIV.* In casibus dubiis, diversisque in praxi difficultatibus, Ordinarii Sacram hanc Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent.

» *Art. XLV.* Haud ita facile Curiæ episcopales ad damna vel expensas resarciendas damnari poterunt; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant, Judex appellationis a talibus damnationibus abstineat, cum ea indicia sufficiant ut in Judice, qui antea processit, ea vera et propria calumnia excludatur quæ ad hujusmodi damnationem requiritur. »

CAPUT VII.

DE MODO PROCEDENDI EXTRAJUDICIALITER EX INFORMATA CONSCIENTIA.

Agendum est : de natura et origine hujus potestatis; — et de norma quæ servari debet in suspensionibus indicendis ex informata conscientia.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET ORIGINE HUJUS POTESTATIS.

Hæc verba « *ex informata conscientia* » non reperiuntur adhibita in ipso textu legis, scilicet in decreto concilii Tridentini mox citandi; sed iste loquendi modus, ab Auctoribus frequenter usurpatus, in generalem tandem usum atque in *consuetam formulam* transivit; eumque induxisse videntur Canonistæ concinnitatis gratia, ut nempe brevius exprimerent eum sententiandi modum in quo Episcopus, nullo præmisso ordinario processu, nulla *juridica* informatione, sententiam pronuntiat ex causis *sibi notis* et *in conscientia perpensis*.

1514. **I. Fundamentum hujus episcopalis potestatis est decretum concilii Tridentini,** *sess. 14, cap. 1, De ref.*, in quo *duplex* tributa est Episcopis facultas :

a) *Arcendi a suscipiendis sacris ordinibus* « ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, *quomodolibet*, etiam *extrajudicialiter* », id est *ex informata conscientia*, ut Doctores postea exprimere consueverunt.

b) *Eodem modo suspendendi clericos* « a suis ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis ».

Nam, quamvis in secunda decreti parte, ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa verba « *etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter* », constans nihilominus et perpetua S. Congr. Conc. sententia fuit ob continuationem sermonis censeri repetita, eaque utrum-

que casum complecti. — *Bened. XIV, De synodo, lib. 12, cap. 8, n. 3.* — *Cf. bullam Auctorem fidei, prop. 49 et 50.*

1515. **II. Si clericus, etiam ex informata conscientia suspensus, ministret in ordine suo,** *irregularitatem* incurrit, a qua dispensare ad Sedem Apostolicam spectat. — *S. C. C., in Lucion., 8 apr. 1848.*

Hanc pœnam incurrit clericus, etiamsi videns decretum suspensionis laborare *falso supposito*, recursum habuerit ad Sedem Apostolicam, et interim ordinem *exercuerit*, quia recursus ipse non suspendit virtutem decreti episcopalis.

1516. **III. Potestas suspensiones infligendi ex informata conscientia competit quoque :**

a) *Prælatis regularibus;* nam verba concilii Tridentini æque conveniunt Prælatis regularibus ac Episcopis.

Illud etiam apparet ex *titulo* Instructionis S. C. de Propag. Fide, 20 oct. 1884, quæ « *ad Episcopos et Prælatos regulares* » directa est.

Et Superiores regulares jurisdictionem habentes, possunt suos subditos suspendere ab audiendis *confessionibus sæcularium,* etiam ex informata sententia, ita tamen ut Religiosus suspensus, *illicite*, non vero *invalide* confessiones excipiat, quando facultates ab Ordinario accepit. — *S. C. Ep. et Reg., 5 mart. 1886.*

b) *Capitulo* et *Vicariis Capitularibus*, qui in totam Episcopi jurisdictionem succedunt, iis tantum exceptis quæ excipiuntur a jure. — *Cf. n. 822 et seq.*

c) Personæ quam expresse Ordinarius delegaverit. — *Instr. S. C. de Propag. Fide, 20 oct. 1884, art. 3.*

1° Imo, hodie non desunt qui teneant *Vicarium generalem* non indigere hoc *speciali* mandato, eo quod et ipse sit *Ordinarius;* porro, ex declaratione S. C. de Prop. Fide, *art. cit.*, hæc facultas Ordinario competit; nomine autem *Ordinarii* venire ipsum Vicarium generalem in exsecutione dispensationum matrimonialium, constat ex decreto Sac. Cong. Sancti Officii, 20 feb. 1880. — *Cf. n. 420 et 770.*

2° Alii tamen dicunt nomen Ordinarii intelligendum esse *pro subjecta materia.* Porro, cum, de jure communi,

Vicarius generalis nequeat absque speciali mandato de *causis criminalibus* cognoscere, ideo non potest suspensionem infligere ex informata conscientia, quippe quæ nonnisi in pœnam alicujus *delicti*, et quidem ut remedium extraordinarium, adhiberi potest. — *Cf. n. 786.*

1517. **IV. Hæc potestas extendi non debet ultra limites ibidem adsignatos.**

a) Unde, erraret Episcopus qui licitum sibi existimaret, ex informata conscientia, seu vigore memorati decreti Tridentini, quemquam *excommunicare*, vel *interdicto* aliquam communitatem aut terram percellere, vel *aliam pœnam* infligere præter interdictum ab ascensu ad ordines, et suspensionem ab ordinibus, officiis, dignitatibus, gradibus et honoribus ecclesiasticis.

b) Ideo etiam, *ex informata conscientia*, ferri nequeunt pœnæ quæ in meris *factis* consistunt, *operamque hominis* respiciunt, v. gr. spiritualia exercitia peragere, piam peregrinationem suscipere, aliaque hujus generis perficere. Nam *suspensio*, in sensu canonico, non indicat præstationem, sed potius *omissionem* operæ seu facti, sacri videlicet ministerii.

1518. **V. Nisi crimen sit occultum**, Episcopus extrajudicialiter procedere nequit contra delinquentes clericos. — *Cf. Instr. S. C. Ep. et Reg., 11 jun. 1880, art. 9; — et Instr. S. C. Prop. Fidei, 20 oct. 1884, art. 6 et seq.*

Revera, pro criminibus clericorum *publicis*, præsto est forma *saltem summaria*; et, si Episcopi pro libitu possent per viam informatæ conscientiæ in clericos procedere, non tantum in casu occulti, sed in casu etiam vulgati per *famam* publicam criminis, maxima pars judiciorum ecclesiasticorum hac exceptionali via expediretur, quæ tamen ut remedium *extraordinarium*, et *a jure communi exorbitans*, a concilio Tridentino inducta est. — *Cf. Acta Sanctæ Sedis, vol. 14, append. 3, p. 299 et seq.*

ARTICULUS II.

DE MODO PROCEDENDI IN SUSPENSIONIBUS INDICENDIS EX INFORMATA CONSCIENTIA.

1519. Ut, in hac pœna infligenda, cum majori qua fieri potest *cautela* et *securitate* procedant Ordinarii, Sacra Congregatio Prop. Fidei, *per instructionem die 20 octob. 1884 editam*, sequentia statuit :

« *I*. Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa quæ per judicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam *a suis ordinibus* seu *gradibus*, vel *dignitatibus ecclesiasticis exercendis* interdicit.

» *II*. In hoc præcipue ipsa differt a judiciali suspensione, quod adhibetur tanquam *extraordinarium remedium*, in pœnam admissi criminis ; ideoque, ad ejus impositionem non requiruntur nec *formæ judiciales*, nec *canonicæ admonitiones*. Satis erit proinde, si Prælatus, hanc pœnam infligens, simplici utatur præcepto, quo declaret se suspensionem ab exercitio sacrorum officiorum vel ecclesiasticorum munium indicere.

» *III*. Hujusmodi præceptum *semper in scriptis intimandum est*, die et mense designato ; ideoque fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimendum est quod ejusmodi punitio irrogatur in vim Trident. decreti, *sess. 14, cap. 1, De ref.*, ex informata conscientia, vel ex causis ipsi Ordinario notis.

» *IV*. Debent insuper *exprimi partes exercitii ordinis vel officii*, ad quas extenditur suspensio. Quod si suspensus interdictus sit ab officio cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta œconomus in cura animarum, tunc *substitutus* mercedem percipiet ex fructibus beneficii, in ea portione quæ, juxta prudens Ordinarii arbitrium, taxabitur ; at, si suspensus ex hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud Curiam archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

» *V.* Exprimi item debet *tempus durationis* ejusdem pœnæ: Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda *in perpetuum*. Quod si, ob graviores causas, Ordinarius censuerit eam imponere, non ad tempus determinatum, sed *ad suum beneplacitum*, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum jurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

» *VI.* Suspensioni ex informata conscientia justam ac legitimam causam præbet *crimen* seu *culpa a suspenso commissa*. Hæc autem debet esse *occulta*, et ita *gravis* ut talem promereatur punitionem.

» *VII.* Ad hoc autem *ut sit occulta*, requiritur ut neque in judicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper ejusmodi numero et qualitati personarum cognita sit unde delictum censeri debeat notorium.

» *VIII.* Verum *tenet etiam suspensio* si, ex pluribus delictis, *aliquod* fuerit *notum in vulgus*; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, *deinceps* post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

» *IX.* Prudenti arbitrio Prælatorum relinquitur suspensionis causam, seu ipsam culpam, *delinquenti* aut *patefacere* aut *reticere*. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et caritatis eorumdem erunt, ut, si istiusmodi pœnam suspenso manifestare censuerint, ipsa, ex paternis quas interponent monitionibus, nedum ad *expiationem culpæ*, verum etiam ad *emendationem delinquentis*, et ad occasionem peccandi eliminandam, inserviat.

» *X.* Meminerint vero Præsules quod, si contra decretum quo irrogata fuit suspensio *promoveatur recursus ad Apostolicam Sedem*, tunc apud ipsam *comprobari* debet culpa quæ eidem præbuit occasionem. Consultum idcirco erit ut, antequam hæc pœna infligatur, *probationes* illius quantumvis extrajudicialiter et secreto *colligantur*, ita ut, eo ipso quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant quæ, ut plurimum, occurrunt in istiusmodi judiciis.

» *XI.* A decreto suspensionis ex informata conscientia *non datur appellatio* ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, ejusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidit in *irregularitatem.*

» *XII.* Semper tamen *patet aditus ad Apostolicam Sedem*, et, in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac pœna mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. *Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis*, usque dum ab ipso Pontifice, vel a S. Congregatione quæ de recursu judicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

» *XIII.* Cæterum, cum istiusmodi pœna sit remedium *omnino extraordinarium*, quod præsertim ad expiationem criminum, absque formis judiciariis, adhibetur, præ oculis habeant Prælati id quod sapientisime admonet Summus Pontifex Benedictus XIV, in suo tractatu *De synodo diœcesana, lib. 12, cap. 8, n. 6*, quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus *si in sua synodo declararet* se deinceps, ex privata tantum scientia, cum pœna suspensionis a divinis animadversurum in clericos quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere. »

CAPUT VIII.

DE REMEDIIS CANONICIS CONTRA JUDICIA ET ACTUS EXTRAJUDICIALES.

Hæc remedia sunt : appellatio, — querela nullitatis, — et restitutio in integrum.

ARTICULUS I.

DE APPELLATIONE.

Agendum est : de natura appellationis ; — de temporibus præstitutis ad appellandum ; — et de appellationis effectibus.

§ I. DE NATURA APPELLATIONIS.

1520. **I. Appellatio est :** Provocatio a Judice *inferiore* ad Judicem *superiorem,* ratione gravaminis *illati* vel *inferendi.*

a) Judex inferior dicitur *Judex a quo*, et Judex superior dicitur *Judex ad quem*.

b) Appellatio, *materialiter sumpta*, et quoad substantiam, est *juris naturæ*, quia, cum sit remedium iniqui gravaminis et medium justæ defensionis, jus naturale exigit ut nemo indefensus maneat. — *Formaliter* vero sumpta, et quoad ejus solemnitates, est *juris positivi*, quæ ideo a legislatore mutari vel tolli possunt.

1521. **II. Appellatio duplex est :** *judicialis* una et *extrajudicialis* altera, prout appellatur a gravamine *in judicio* vel *extra judicium* illato.

Attamen, appellatio *extrajudicialis* non est proprie dicta appellatio, sed potius provocatio ad causam. — *Cap. Cum sit Romana, 5, De appellatione.*

a) Appellatio judicialis potest fieri, non solum a sententia *definitiva,* sed etiam a sententia *interlocutoria.* — *Cf. cap. 11 et 12, De appellat.*

Verum, ex dispositione concilii Tridentini, ad evitanda subterfugia et frivolas querelas in causis ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, facultas appellandi coarctata est ad sententiam *definitivam*, et sententiam interlocutoriam quæ *vim* habeat *sententiæ definitivæ*, et cujus gravamen per sententiam definitivam reparari nequeat. — *Trid., sess. 13, cap. 1; et sess. 24, cap. 20, De ref.*

b) Si sententia *interlocutoria* a Judice appellationis reformata fuerit, *tota causa* ad hunc Judicem devolvitur, neque locus est remissioni : quia qui semel gravavit, semper gravare præsumitur. — *Cap. 59, De appellat.*

1522. **III. Ab omni gravamine regulariter appellari potest**, quia appellatio est defensio quædam contra quemcumque actum injuste gravantem. — Unde, si pro aliquo determinato casu *denegatio* appellationis in jure expressa non sit, tunc beneficio appellationis quivis uti potest.

a) A sententia *notorie irrita* non appellatur ; sed remedium ordinarium quod tunc gravato suppeditatur, est *querela nullitatis*. — *Cf. n. 1535 et seq.*

b) Non potest *in judicio* appellari a gravamine *nondum illato*, quia appellatio interponitur ad tollendum gravamen. Excipe nisi illud *comminatum* fuerit; tunc enim habetur pro præsente et illato. — *Cf. n. 1576.*

Extra judicium vero appellari potest, etiam a gravamine nec illato nec comminato, sed tantum futuro. — *Clement. Sicut, De appellationibus.*

c) « *Frivolis appellationibus* non est a Judice deferendum. » — *Cap. 5, De appellat., in 6o.*

Frivola est appellatio quæ proponitur contra decisionem emissam a Judice secundum *dispositionem juris* claram et manifestam. Ideoque in hoc casu non conceditur appellatio, quia gravamen non esset a Judice, sed *ab ipso jure communi* procederet; porro *lex justa*, ut supponitur, neminem injuste gravat; et, cessante injusto gravamine, *cessat ratio appellationis*.

Exemplum hujus exceptionis traditur *in cap. 4, De cleri-*

cis non resident., in quo docemur non attendendam esse appellationem clerici contra sententiam Episcopi qui jussit eum residere in loco beneficii sui.

1523. **IV. Appellare possunt** omnes qui se injuste gravatos existimant, et alii quorum interest, « cum appellationis remedium sit ad præsidium innocentiæ institutum ». — *Cap. Cum speciali, 61, De appell.; — cf. cap. 8, eod. tit., in 6°; — et cap. Cum inter, 16, De elect.*

Nec Judicem oportet injuriam sibi fieri existimare quod litigator ad provocationis auxilium convolavit.

a) Nequeunt appellare illi qui appellationi *sponte renuntiaverunt,* v. gr., declarando se acquiescere sententiæ absque intentione provocandi; vel juridice confitendo crimen propter quod fuerunt condemnati, nisi forte coacta sit confessio, aut pœna gravior ipsis irrogata sit.— *Cf. cap. 10, De probat.; — et cap. 4, 5, 13 et 14, De appellat.*

b) Item excluduntur a beneficio appellationis : *contumaces;* et illi contra quos *tres sententiæ conformes* in eadem causa probatæ sunt, ne lites in infinitum protrahantur. — *Cap. 39 et 65, De appellationibus.*

1524. **V. Appellatio facienda est ad Judicem superiorem.**

a) Hinc, a sententia Romani Pontificis appellatio interponi non potest, quia ipse Superiorem non recognoscit. — *Cf. cap. Ipsi sunt, et cap. Cuncta per mundum, caus. 9, quæst. 3.*

« Docemus et declaramus, aiunt *Patres concilii Vaticani,* Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium *a nemine fore retractandum,* neque cuipiam de ejus licere judicare judicio. Quare, a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere a judiciis Romanorum Pontificum *ad œcumenicum concilium,* tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem, appellare. » — *Constit. Pastor Æternus, cap. 3. — Cf. n. 389.*

1° Ideo, *excommunicationi latæ sententiæ, speciali modo Romano Pontifici reservatæ,* subjacent : « Omnes et sin-

guli, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum, pro tempore exsistentium, ad universale futurum concilium appellantes; nec non illi quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit. » — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 1, n. 4.*

2° Et « *interdictum, Romano Pontifici speciali modo reservatum,* ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis, pro tempore exsistentis, ad universale futurum concilium appellantia. » — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 6, num. 1.*

b) Cum diversi sint gradus jurisdictionis alii aliis majores, hinc, ut servetur ordo jurisdictionis, regula generalis est : appellationem procedere ab uno ad alium Judicem *immediate* superiorem. — *Cap. Dilecti, 66, De appell.; — cap. Romana, eod. tit., in 6°.*

Excipienda est appellatio immediate directa *ad Summum Pontificem,* qui « potestatem *ordinariam* et *immediatam* habet, sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles »; unde sequitur « *in omnibus causis,* ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse judicium recurri ». — *Conc. Vatic., loc. cit.*

1525. **VI. Appellatio coram Judice a quo interponenda est.**

a) Necessarium quippe est ut Judex, qui præfuit judicio et sententiam tulit, *sciat* appellatum fuisse a sua sententia, et proinde ulterius ad ejus exsecutionem non procedat. — *Cap. 59, De appellat.*

b) Quod si nequeat appellatio interponi coram *Judice a quo,* appellari potest directe ad *Judicem ad quem;* si vero neque hujus copia haberi possit, appellari potest coram *viris honestis.* — *Cap. ult., De appellat.*

Ex hodierna autem praxi, actus appellationis proponendus est coram *utroque Judice* a quo et ad quem. — *Santi, in tit. De appellat., num. 15.*

c) Appellatio fieri potest :

1° *Viva voce,* coram Judice adhuc pro tribunali sedente,

dicendo, v. gr., *appello*, vel *provoco ad Superiorem*, aut alio modo æquivalenti.

2º *In scriptis* per libellum, si fiat post intervallum; et iste libellus appellatorius exprimere debet *quis* appellet, *contra quem*, et *sententiam* a qua fit appellatio. — *Can. Post appellationem, 31, caus. 2, q. 6.*

Cæterum, in appellatione a sententia *definitiva*, appellans non tenetur exprimere *causam*; sed sufficit si dicat se gravatum, vel sententiam esse injustam; causa enim exponere et probare tenetur *coram Judice appellationis.*

§ II. De fatalibus appellationum.

Tum ad appellandum, tum ad appellationem prosequendam et finiendam, certa sunt *tempora* præstituta, quæ vulgo nuncupantur *Fatalia*, quia eorum lapsu, quasi *fato* quodam, *appellatio perimitur*, et succumbenti jam nullum superest remedium, nisi propalam sit justa causa ob quam terminos minime decurrisse dicendum sit, vel nisi *restitutio in integrum* obtineat. — Porro :

1526. **I. Ad interpellationem proponendam,** dantur *decem dies.* « Cum, post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cum per hoc videatur, per interpretationem juris, latæ sententiæ paruisse. » — *Cap. 15, De sent. et re judic. — Cf. decret. 18 dec. 1835; — et Instruct. S. C. Ep. et Reg., an. 1880, art. 38.*

Hoc tempus currere incipit a die latæ sententiæ, si adversus *præsentem* pronuntiatum fuerit. — Si vero adversus *absentem*, hujus temporis initium repetitur, non a die quo lata est sententia, sed a die quo ejus Reus certior factus est. — *Cf. decret. 18 dec. 1835, art. 2.*

1527. **II. Secundum fatale est prosequendæ appellationis,** id est *præsentandæ appellationis* coram Superiore, seu coram *Judice ad quem.*

a) Appellatio instituta est ut causa, in sua specifica

forma et sua determinata juridica indole, de uno ad aliud tribunal *deferatur*, ut Judex superior iterum *ad examen revocet* ea quæ inferior cognovit et definivit.

1º Hinc in jure inductum est ut, ad petitionem partis gravatæ, Judex a quo *transmitteret* Judici ad quem litteras in quibus declararet factam fuisse appellationem.

Litteræ hujusmodi, seu libelli, ex more antiquo appellati sunt *apostoli*, quia missi. — *Can. 23, c. 2, q. 6.*

2º Apostoli *petendi sunt intra 30 dies* ab interposita interpellatione, ita ut, hoc tempore inutiliter elapso, perimatur ipsa appellatio, scilicet uti deserta habeatur. — *Cap. 6, De appellat., in 6º.*

b) Instructio S. C. Ep. et Reg., an. 1880, non parum *recessit* a consuetudine quæ in judiciis ordinariis invaluit. — Nam :

1º Onus appellanti non injungit, nec *petendi*, nec proinde *præsentandi apostolos*; sed dumtaxat præscribit art. 39 ut, post interpositam appellationem, *Judex a quo* ad Auctoritatem superiorem, ad quam appellatum est, absque mora remittat omnes causæ *actus originales*, scilicet processum, ejus summarium, defensiones pro Reo exhibitas, et sententiam ipsam. — *Cf. decret. an. 1835, art. 4.*

Ex littera circulari diei 1 aug. 1851, processui addi debet « *chronologicus Index* », et insuper inserendi et alligandi sunt « *actus intimationis sententiæ et appellationis*, Apparitoris relatione muniti ». — Hinc, quatenus, ex Instructione diei 11 jun. 1880, sententia ope commendationis penes publicos tabellarios notificata fuerit, exhibenda erit fides *receptionis* ab eisdem accepta.

2º Addit citata Instructio diei 11 jun. 1880, *art. 40*, et præscribit ut Judex appellationis, post receptos Actus causæ, eorumdemque captam cognitionem, intimare faciat appellanti, requisito Judice a quo, ut infra terminum viginti dierum *Defensorem constituat*, qui approbari debet a Judice appellationis.

Fatalia ergo *præsentandæ appellationis* (quæ res eadem est ac *præsentatio Apostolorum*) et introductionis causæ coram Judice ad quem, elapsa dicenda sunt post elapsos

dies viginti a die intimationis appellanti factæ ut Defensorem constituat, ita ut, si tempus illud præterierit absque effectu, appellans censeatur appellationis beneficio nuntium misisse. — *Ibid., art. 41.*

Si non sint apud Judicem appellationis Defensores jam approbati, in spatio viginti dierum non censetur includi *approbatio electi Defensoris*, quæ a Judicis voluntate pendet, sed sufficit ejus *designatio*.

c) Littera circularis diei 1 aug. 1851, *de appellatione ad S. C. Ep. et Reg.*, fusius rem exponit : « Cum appellatio admittitur, admissionis *Ordinarius* certior fit, dicta cum injunctione intra terminum peremptorium dierum viginti appellationem prosequendi; a Curiæ ministris *appellanti* per actum Cursoris erit intimandum quod, si ipse velit appellationem prosequi, necesse est ut, intra peremptorium terminum dierum viginti, in Urbe *Advocatum* vel *Procuratorem*, a Romana Curia approbatum, deputet, certusque sit Defensorem a se electum reapse patrocinium sumere.... Hujusmodi intimationes, Apparitoris relatione munitæ, *ad Sacram Congregationem* erunt transmittendæ ». — Hinc :

1º Intimatio, de qua supra, fit nomine Auctoritatis superioris *ad quam*, sed ministerio Judicis *a quo* appellatur. Liberum est ei, quatenus Cursore non utatur, uti *litteris commendatis*, modo exposcat fidem exhibitionis et receptionis litterarum. Ipsius est Auctoritatem superiorem *certiorem facere expleti muneris*, intimationem transmittendo, vel Apparitoris relatione, vel documentis prædictis munitam.

2º Terminus viginti dierum, appellanti ad prosequendam appellationem præfinitus, currit *a die intimationis supradictæ*.

Intra hunc terminum, *Advocatum*, inter approbatos jam a Sacris Congregationibus, a se electum, Sacræ Congregationi Episc. et Reg. notum facere debet.

1528. **III. Tertium denique tempus est appellationis finiendæ,** quod complectitur universam *causæ discussionem*, ac totius negotii per *sententiam definitivam* absolutionem.

a) Conceditur *annus* integer ad finiendam appellationem. Quod si adsit causa rationabilis et notoria, conceditur *biennium*, quod computatur a die interpositæ appellationis. — *Cap. 5, et clement. 3, De appellationibus.*

b) Animadvertendum est :

1º Annum non decurrere legitime impeditis. — *Cap. 8, eodem titulo.*

2º Lapsum anni vel biennii non nocere appellanti, quoties id *ex ipsius facto* non proveniat.

1529. **IV. In extrajudicialibus, lapsus fatalium non prohibet actionem aut exceptionem læsi.**

a) Profecto, per lapsum fatalium sententia judicialis transit in *rem judicatam.* Verum non idem dicendum est de negotio *extrajudiciali,* in quo, ob gravamen illatum, appellatur ad Superiorem.

Scilicet, in hujusmodi hypothesi gravaminis extrajudicialis, per lapsum fatalium recursus per modum *appellationis* viribus caret, et actus contra quem appellatio proposita est, in possessione et in præsumptivo valore juris perseverat. Sed exinde non prohibetur usus remedii juris communis.

b) *Remedium hujusmodi* in hoc consistit, ut qui sentit se gravatum ob injustum actum extrajudicialem, ex. gr. ob electionem indigni, vel ob collationem beneficii factam spreto jure patroni aut actualis possessoris beneficii, possit : vel judicium instituere ad juris rigorem, quo actus ille extrajudicialis *nullus* declaretur : vel *excipere* contra actum seu decretum Superioris.

Ratio est, quia negotium extrajudiciale, cum non exhibeat *sententiam,* non transit in *rem judicatam ;* quare, licet ob lapsum fatalium appellatio deserta fuerit, qua poterat *suspendi* virtus seu effectus illius actus contra quem appellatio proponenda fuisset, tamen valor actus poterit in judicio *impugnari.* — *Cap. 8, De appellat., in 6º.*

§ III. De effectibus appellationis.

Effectus appellationis legitimæ *regulariter* duplex est, nempe *devolutivus* et *suspensivus*.

1530. **I. Effectus suspensivus in eo consistit** ut, per appellationem, sententia Judicis, vel actus extrajudicialis contra quem proponitur, non quidem perimatur, sed *in suspenso* maneat.

a) Hinc, ea quæ aguntur adversus appellationem, habentur ceu totidem *attentata* quæ revocari possunt, quia censentur posita ab eo qui vera et actuali jurisdictione caret. Ideo servandum est principium : *Ut, appellatione pendente, nihil innovetur. — Cap. 7, De appellat., in 6o.*

b) Quamvis attentata juridico valore careant, attamen *sustinentur* quoadusque ad petitionem partis non fuerint revocata. — *Cap. Non solum, de appellat., in 6o.*

Ratio est, quia nullitas attentatorum a jure statuta est *in favorem* illius ex collitigantibus contra quem aliquid attentatum fuerit. Si ergo hic non petit revocari ea quæ sunt contra se gesta, censetur *juri suo renuntiasse*, et eadem agnoscere et recipere ceu valida et legitima.

1531. **II. Effectus devolutivus in eo positus est** ut Judex superior, non solum cognoscere debeat utrum *ratio appellandi* sit justa, nec ne, sed etiam ut *totam causam ad se pertrahat*, prout proposita, discussa et definita est in tribunali inferiori, simulque decernat de merito causæ ejusdem, confirmando, vel rejiciendo, vel saltem corrigendo aut moderando sententiam Judicis inferioris.

1532. **III. Non paucæ causarum species excipiuntur, in quibus appellandi facultas tollitur quoad effectum suspensivum**, remanente solo effectu *devolutivo*. — Hæc appellatio in foro ecclesiastico pressius audit *Recursus*.

a) Benedictus XIV causas in quibus appellatio cum inhibitione *in suspensivo* concedi prohibetur, recensuit in

constit. *Ad militantis*, 30 mart. 1742; et normas ab hac constitutione statutas servari voluit Instructio S. C. Ep. et Reg., diei 11 jun. 1880. — *Cf. art. 37 hujus Instr.*

b) Porro, generaliter prohibetur appellatio ad effectum suspensivum in omnibus iis quæ ad divini *cultus* conservationem, *curam animarum*, *sacramentorum administrationem*, *vitam et honestatem clericorum* pertinent, nec non ab exsecutione quorumcumque *decretorum concilii Tridentini* Episcopis atque locorum Ordinariis demandata ab ipso concilio, et a Pio IV in constitutione *Benedictus Deus*. — *Cf. cit. constit. Bened. XIV*, § *5, 6, 8 et 37.*

c) Varios casus in decursu harum Prælectionum notavimus. — De appellatione autem a *censuris*, sive *inflictis*, sive tantum *comminatis*, mox dicemus, *n. 1575 et seq.*

1533. **IV. Clausula « quacumque appellatione remota »** intelligitur de appellatione ad effectum *suspensivum*, non vero de appellatione ad effectum *devolutivum*.

Ratio est, quia nemo auferre potest id quod est *juris naturæ;* ideoque clausula prædicta nunquam ita interpretanda est, ut censeatur parere effectum tollendi omnem defensionem, et non impedit quod gravamina per viam appellationis *materialiter* sumptæ, id est per viam *recursus*, tollantur.

1534. **V. Quando ad S. Congreg. Episc. et Reg. appellatur, ipsa S. Congregatio propriam procedendi normam sequitur.**

a) Et primo, designatur aliquis ex Eminentissimis Patribus qui sit causæ *Relator*, et *summarium* processus, quatenus opus est, perficiat.

b) *Defensor* Rei vel Reorum, eligendus inter *Advocatos* a Sacris Congregationibus approbatos, prudenter *notitiam sumit* de processu coram Judice relatore.

Quatenus vero ratione causæ expedire censeat Cardinalis Præfectus, jubetur defensorem servare *secretum*, cum jurisjurandi vinculo. — *Decret. S. C. Ep. et Reg., 18 dec. 1835; 26 mart. 1886.*

c) Dein Advocatus exhibet *defensiones in scriptis*, quas

Em. Præfectus judicat an *Procuratori fiscali Curiæ* communicandæ sint, ut ille, si necesse esse crediderit, *in scriptis* respondeat. — *Decret. 26 mart. 1886.*

d) De responso Procuratoris fiscalis *Defensor* debita cautela *cognitionem* sumere potest coram Judice relatore, ut *replicare* ultimo valeat, pariter in scriptis. — *Ibid., art. 4.*

e) Stata die, causa definitur ab Emm. Patribus in pleno *Auditorio* congregatis. — *Decret. 18 dec. 1835, art. 9.*

Omnino autem excluditur Defensoris et Procuratoris Fisci præsentia, quando causa resolvenda proponitur. — *Decret. diei 26 mart. 1886, art. 5.*

Judex relator de toto statu causæ refert, et Emm. Patres *judicium* proferunt, sententiam Curiæ episcopalis aut confirmando, aut infirmando, aut reformando. — *Decret. diei 18 dec. 1835, art. 11 et 12.*

f) Prolata sententia, una cum omnibus Actis causæ, ad eamdem *Curiam episcopalem* remittitur, ut eam exsequatur. — *Ibid., art. 13.*

g) *Revisio* seu recognitio rei judicatæ non conceditur, nisi ejus tribuendæ potestas a S. Pontifice facta fuerit, et subsint *gravissimæ causæ*, super quibus cognitio et judicium ad plenam Congregationem pertinet. — *Ibid., art. 14.*

ARTICULUS II.

DE QUERELA NULLITATIS.

1535. **I. Querela nullitatis est exceptio ob nullitatem sententiæ.**

Sententiæ nullitas variis modis contingere potest : nempe *ratione Judicis*, quando Judex non est competens; vel *ratione processus*, si quid omissum fuerit ex iis quæ sunt de substantia ordinis judiciarii; aut *ratione manifestæ iniquitatis*, etc.

1536. **II. Querela nullitatis sententiæ a solo Judice appellationis judicanda est.**

a) Equidem, attento juris rigore, dicendum est, et com-

muniter Doctores tenent, posse querelam nullitatis proponi, tum coram *Judice ordinario* qui sententiam tulit, tum coram *Judice appellationis*. — *Cf. Bouix, De judiciis, tom. 2, pag. 407 et seq.*

b) Verum *contraria consuetudo* ubique merito inducta est. Nam, quantumvis verum sit, metaphysice loquendo, per sententiam quæ nullitate laborat Judicem non fungi officio suo, ac proinde, dum eamdem causam iterum judicat, non committi vitium quod vocant « *bis in idem* », quoad praxim tamen et effectus inde sequentes, idem contingit ac si vitium illud revera committeretur. — *Bouix, loc. cit.*

1537. **III. Actio in nullitatem perimitur præscriptione triginta annorum**, ut omnes admittunt. — *Cf. Schmalzgrueber, in tit. De sententia et re judicata, n. 64.*

ARTICULUS III.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

1538. **I. Restitutio in integrum est :** Actus quo qui læsum se contendit, per officium Judicis reducitur *in eum statum* in quo foret, si asserta læsio non contigisset.

In criminalibus restitutio in integrum denegatur. Imo, *in civilibus* non conceditur nisi tanquam remedium *extraordinarium*, quando scilicet læsis quodlibet ordinarium remedium ad repellendam injustitiam præcluditur.

1539. **II. Locus est restitutioni in integrum** contra actus *civiles validos* et *rescindibiles*, in quibus læsio gravis facta est.

a) Diximus : actus *validos* et *rescindibiles*. Nam, si actus est *nullus*, declaratio nullitatis petenda est; si vero actus est *validus*, sed non rescindibilis, frustra petitur restitutio in integrum.

Hinc, contra matrimonium, professionem religiosam, etc., non datur restitutio in integrum quando actus validus fuerit. Restitutio daretur tantum quoad *propositionem causæ* circa nullitatem vinculi conjugalis, vel circa nullita-

tem professionis religiosæ, *elapso inutiliter quinquennio* quod a concilio Tridentino, *sess. 25, cap. 19, De Reg.*, ad reclamandum contra invalidam professionem concessum est. — *Cf. n. 1146 et seq.*

b) Sciendum est enim nonnullos actus, nonnullasque probationes, posse proponi solummodo *intra determinatum tempus*, quo elapso, inutiliter proponuntur. Ex. gr., si de re judiciali agitur, datur tempus peremptorium ad testium depositiones producendas, ad interponendam appellationem a lata sententia, etc.

Contra hujusmodi temporis lapsum restitutio in integrum dari potest, ita ut facultas habeatur testium depositiones afferendi, vel provocandi ad appellationis remedium, non obstante lapsu termini præfiniti.

1540. **III. Restitutio in integrum conceditur :**

a) *Minoribus*, et iis qui jure minorum gaudent, ut sunt ecclesiæ, monasteria, hospitalia et alia loca pia, etiamsi læsio ex ipsorum culpa contigerit. — *Cf. Schmalzgr., in tit. De in integrum restitutione.*

Minori tamen restitutio in integrum non conceditur, quando contractum firmavit *juramento* sponte præstito. — *Cap. 28, De jurejurando.* — Neque si, major effectus, ratum habuit quod egit in minori ætate.

b) Etiam *majoribus*, si probent læsionem ex ipsorum culpa non contigisse, et ipsis jam non pateat remediorum ordinariorum via ad repellendam læsionem.

1541. **IV. Petenda est restitutio in integrum a Judice illius contra quem restitutio postulatur.** — Ratio est, quia qui petit restitutionem in integrum gerit personam *Actoris*, alter autem gerit personam *Rei :* et Actor forum Rei sequi debet.

a) Attamen, si restitutio petatur in casu *extraordinario*, in jure scilicet non notato, solus Romanus Pontifex eam concedit : ut in causâ nullitatis professionis religiosæ post quinquennium proponenda. — *S. C. C., in Mechlinien., an. 1687.*

Item, quando petenda est restitutio contra duplicem sententiam conformem pro valore matrimonii, *ut in Herbipolensi, 17 dec. 1857.*

Et, in genere, a S. Sede restitutio postulanda est : quando obstat *aliqua regula juris communis*, circa quam dispensari debeat.

b) Ad petendam restitutionem in integrum, conceditur *quadriennium*, quod, *pro minoribus*, incipit decurrere a prima die post completam ætatem minorem, cessante alio legitimo impedimento; et, *pro aliis*, a die cognitæ læsionis. — *Cap. 1, De in integrum restitutione, in 6o.*

1542. **V. Petitio restitutionis in integrum regulariter suspendit sententiæ exsecutionem,** et novam causæ propositionem inducit.

Verum, si quæstio altiorem requirat indaginem, et timeatur ne malitiose fiat, tunc locus est *precariæ exsecutioni sententiæ*, nisi hæc exsecutio res in eo statu poneret ut inde frustraretur, vel difficile admodum redderetur remedium restitutionis. — *Cap. 6, De in integrum restitutione.*



TRACTATUS XI.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS.



Agendum est : de pœnis ecclesiasticis in genere ; — de censuris in genere ; — in specie autem de Excommunicatione, — Suspensione, — et Interdicto ; — de censuris latæ sententiæ hodie vigentibus ; — et de pœnis vindicativis.

CAPUT I.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

Videlicet : de natura pœnarum ecclesiasticarum, earumque divisione ; — de exsistentia potestatis coercitivæ in Ecclesia ; — de auctore et subjecto pœnarum ; — de ignorantia, utrum excuset a pœna.

ARTICULUS I.

DE NATURA PŒNARUM ECCLESIASTICARUM, EARUMQUE DIVISIONE.

1543. **I. Pœna,** *latiori sensu,* id omne dicitur quod hominem labore ac molestia afficit, eumque certis bonis privat.

Strictiori autem *sensu*, est delictorum coercitio ad rei emendationem, vel ad disciplinæ publicæ satisfactionem.

Pœnæ fori ecclesiastici in *diversas species* distinguuntur : ratione *finis proximi* ad quem referuntur, ratione *modi* quo statuuntur vel incurruntur, et tandem ratione earumdem *objecti.*

1544. **II. Ratione finis proximi,** pœnæ ecclesiasticæ dividuntur in *medicinales,* quales sunt pœnitentiæ et censuræ ; et *vindicativas* quæ proprie dicuntur pœnæ.

Cum enim diversæ sint conditiones delinquentium, quo-

rum alii, *sincero dolore correpti,* sponte confitentur delictum, ad legitimam peccatorum expiationem parati; alii *contumaces* sunt, corripienti Ecclesiæ interea obsistentes, de quibus tamen est spes quod brevi resipiscant; alii *pertinaces* in malo, sine probabili spe conversionis: sunt idcirco diversæ rationes eorumdem coercendorum, scilicet *pœnitentiæ, censuræ,* et *pœnæ vindicativæ.*

a) *Pœnitentia* sita est in piis operibus a peccatore sponte susceptis, aut ab Ecclesia indictis, in expiationem delicti.— *Cf. Trid., sess. 24, cap. 8, De ref.*

Hæc pœnitentia, ab iis irrogata qui jurisdictionem *externam* in Ecclesia exercent, differt ab ea quæ in foro *interno,* seu in sacro tribunali imponitur; et, hodie, quoad maximam partem exolevit. — Quapropter agendum est tantum de *censuris* et de *pœnis vindicativis.*

b) *Censura* est ultio publica qua notatur reus contumax, et certis bonis communibus societatis spiritualis privatur, ut emendari incipiat.

c) *Pœna in vindictam publicam* est suprema animadversio in reum de cujus conversione vix speratur, aut qui convincitur enormis sceleris quod mulctari oportet ut avertatur scandalum, satisfactio detur ordini publico, et homines timore castigationis a violandis legibus et perturbando societatis ordine deterreantur.

1545. **III. Ratione modi quo pœnæ statuuntur,** aliæ dicuntur *a jure* latæ, aliæ vero *ab homine.*

a) *Pœnæ a jure* sunt illæ quæ a *Legislatore,* per *legem* aut edictum perpetuum, irrogantur in eos omnes qui legem aut edictum violaverint.

b) *Pœnæ ab homine* sunt illæ quæ a Superiore, per *sententiam* aut per *mandatum,* certæ personæ irrogantur.

1º Pœna *a jure* non statuitur nisi *pro tempore futuro;* leges enim futuris necessitatibus provident;— dum pœna *ab homine* decerni potest, non solum pro futuris, sed etiam pro *præteritis delictis,* ad eorum satisfactionem et emendationem.

2º Hæc posterior, si fuerit tantum comminata, jurisdictione infligentis per mortem vel alio modo exstincta, *evanescit.* — Prior vero *perseverat*, donec in sua causa, nempe in lege, non fuerit a legislatore abrogata.

3º Pœna quæ a lege aut consuetudine statuta est, dicitur *ordinaria ;* — dum *extraordinaria* aut *arbitraria* dicitur ea quæ ex arbitrio Judicis, pro qualitate delicti et personæ, imponitur.

1546. **IV. Ratione modi quo incurruntur,** pœnæ sunt *latæ* vel *ferendæ sententiæ.*

a) Pœna *latæ sententiæ* est ea quæ *ipso facto,* seu criminis perpetratione, seu mandati transgressione, incurritur, absque sententia condemnatoria.

Attamen, cum de ipso facto debeat constare, plerumque requiritur, pro foro externo, sententia criminis *declaratoria.*

Advertendum est enim discrimen quod intercedit inter pœnam quæ nullam externam exsecutionem requirit, quæque, commisso crimine, statim in conscientia contrahitur ; et pœnam quæ *externam postulat exsecutionem,* qualis est privatio beneficii vel officii. — Hæc sententiam declaratoriam criminis requirit ; siquidem conditioni ac fragilitati humanæ consentaneum non est ut quis, absque sententia, *se ipsum prodere ac spoliare debeat.* Igitur, *in foro externo ecclesiastico,* requiritur generatim officium Judicis, requiruntur probationes facti, vel rei confessio.

Unde, si quis, ob simoniam aut aliud crimen, *privetur* ipso facto *beneficiis jam obtentis,* requiritur sententia Judicis. Verum hujusmodi sententia privat *sola possessione,* et declarat titulum a die patrati criminis *amissum fuisse.* — *Cf. n. 1711.*

b) Pœna *ferendæ sententiæ,* quæ etiam *comminatoria* vocatur, non contrahitur statim a peccato commisso, sed accedente tantum sententia Judicis *condemnatoria.*

Qualis autem sit pœna, an scilicet *latæ,* an vero *ferendæ sententiæ,* pendet a voluntate infligentis, ideoque ex ejus verbis debet dignosci.

c) *Latæ sententiæ* generatim reputantur censuræ, si

formulæ legis seu præcepti quibus inferuntur, *excludant* Judicis cujuscumque *actionem* seu *ministerium*, nempe :

1° Si reperiantur locutiones hujusmodi : *eo ipso ; ipso jure ; ipso facto ; ex tunc ; protinus ; sine alia sententia*, etc.

2° Si verba sint temporis præteriti, v. gr. : *sciat, noverit se esse excommunicatum ; debet pro excommunicato haberi.*

3° Si verba sint temporis præsentis et modi indicativi, ex. gr. : *excommunicamus, interdicimus, etc.*

Si autem verba sint temporis præsentis, sed modi imperativi vel subjunctivi, censura erit quoque latæ sententiæ si non requiritur Superioris actus, v. gr. : *incidat in excommunicationem ; maneat suspensus ; anathema sit, etc. ;* — erit vero ferendæ sententiæ quando Superioris actus requiritur, ex. gr. ; *damnetur ; plectatur ; excommunicetur ; suspendatur, etc.*

d) *Ferendæ sententiæ* perhibentur censuræ, si formulæ quibus statuuntur includant *Judicis ministerium*, nempe :

1° Si adsint istæ vel similes locutiones : *excommunicetur per Episcopum ; a suo Prælato mulctetur*, etc.

2° Si verba sint tantum comminatoria, v. gr. : *præcipimus sub pœna suspensionis, sub interminatione anathematis*, etc.

Excipe si aliud ex adjunctis appareat, v. gr. quando dicitur : *sub pœna excommunicationis statim incurrendæ.*

3° Si verba tempus futurum designent, v. gr. : *excommunicabitur ; suspendetur, etc.*

e) Omnibus perpensis, si *dubium* supersit, censura habenda est ut *ferendæ sententiæ*, juxta tritas juris regulas : « In obscuris minimum est sequendum » ; « in pœnis benignior est interpretatio facienda ». — *Reg. 30 et 49 juris, in 6°.*

1547. **V. Ratione objecti,** pœnæ dividuntur in *spirituales* et *temporales.*

a) *Spirituales* sunt illæ quæ privant participatione sacrorum, ut Sacramentis, officiis divinis, suffragiis Ecclesiæ,

exercitione sacrorum ordinum; item inhabilitates ad officia et beneficia, eorumdemque privatio; depositio, degradatio, etc.

b) Pœnæ *temporales* sunt, ex. gr., mulctæ pecuniariæ, afflictationes corporales, incarceratio, etc.

ARTICULUS II.

DE EXSISTENTIA POTESTATIS COERCITIVÆ IN ECCLESIA.

1548. **I. Ecclesia jure divino potestatem habet coercendi, per pœnas saltem spirituales.**

a) Ecclesia jure divino habet potestatem leges ferendi et judicandi. — *Cf. n. 1415 et seq.*

Atqui, potestas judiciaria, ut sit *efficax*, comitem habere debet *vim coactivam*, qua debitis pœnis plectantur et coerceantur omnes illi qui malitiosi sunt vel contumaces, ut media proposita per leges rite adhibeant, sententiis judiciorum obtemperent, nec possint societatis finem aut mediorum œconomiam quoad alios impedire. — *Cf. n. 18.*

Dicendum ergo est, cum Leone XIII, Christum Apostolis suis dedisse « tum ferendarum legum veri nominis facultatem, tum *geminam*, *quæ hinc consequitur*, judicandi puniendique potestatem ». — *Enc. Immortale Dei, 1 nov. 1885.* *Cf. Matth.*, XVIII, *15*; — *I Tim.*, V, *19*; — *II Cor.*, X, *6*; — *I Cor.*, V, *5*; — *I Tim.*, I, *20*; *etc.*

b) Idem probatur *ex variis Ecclesiæ definitionibus*.

1° *Joannes XXII*, constit. *Licet*, an. 1327, uti hæreticam damnavit propositionem *Marsilii Patavini*: « Quod Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta, nullum hominem, quantumcumque sceleratum, potest punire punitione *coactiva*, nisi Imperator daret eis auctoritatem ».

2° Concilium Trid., *sess. 13, cap. 1, De ref.*, non solum affirmat potestatem corrigendi Episcopis proprio jure competentem, sed et *modum ea utendi* præscribit. — *Cf. n. 587.*

3° In bulla *Auctorem fidei*, propositio synodi Pistoriensis, affirmans « abusum fore auctoritatis Ecclesiæ transferendo

illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad *res exteriores*, et per *vim* exigendo id quod pendet a persuasione et corde ; tum etiam multo minus ad eam pertinere exigere per *vim exteriorem* subjectionem suis decretis, » *damnatur* a Pio VI, ut inducens in systema alias damnatum ut *hæreticum*, « qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a *suasione ;* quatenus intendit Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia, sed etiam *jubendi* per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis *coercendi* atque *cogendi* ».

4° Tandem, in brevi dogmatico *Ad Apostolicæ*, Pii IX, 22 aug. 1851, inter reprobatas propositiones recensetur opinio qua asseritur : « Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque potestatem ullam directam vel indirectam ». — *Cf. Syllab., err. 24.*

1549. **II. Potestas Ecclesiæ coercitiva, etiam de temporalibus et corporalibus pœnis intelligenda est.** — Quod probatur :

a) *Ex praxi Ecclesiæ.* — Ab initio enim, in Ecclesia, non excommunicationum dumtaxat, sed et aliarum pœnarum usus viguit, ut constat ex disciplina *pœnitentiæ publicæ*, ex *virgarum* pœna quam ab antiquissimo ævo Ecclesia infligere solita fuit, ex antiquo usu pœnam *exsilii* et *mulctas pecuniarias* imponendi. — *Cf. Bouix, Tract. De judiciis, tom. 1, pag. 51 et seq.*

b) *Ecclesiæ definitionibus*, quas supra memoravimus. — Non enim damnati sunt Marsilius Patavinus et alii, quia negabant Ecclesiæ potestatem excommunicandi, aliasve pœnas *spirituales* decernendi : siquidem eam ex professo affirmabant; ergo damnati sunt eo quod negarent potestatem Ecclesiæ coercitivam per *temporales* et *corporales* pœnas.

c) *Ratione.* — Ecclesia enim, cum sit in ordine spirituali *societas perfecta* et independens, sufficienti potestate pollere debet ad *efficaciter coercendos* contumaces, præsertim hæreticos. — *Cf. n. 18 et 19.*

Atqui, *pœnæ spirituales parum movere solent homines carnales*, quia, licet revera graviores sint, earum nocumentum non ita sensibiliter percipitur, isti autem vulgares homines maxime sensu ducuntur et coguntur. Et hoc præcipue locum habet respectu *hæreticorum*, qui, cum fidem abjecerint, quasi nihil reputant hujusmodi pœnas.

Ergo, ipso jure naturali, inest Ecclesiæ vis coactiva per pœnas etiam temporales et corporales. — *Cf. Suarez, De Fide, disput. 20, sect. 3, num. 11.*

1550. **III. Utrum jus gladii sit Ecclesiæ abjudicandum, disputant Auctores.**

Equidem, nullo tempore reperitur Ecclesia sententiam mortis aut membrorum mutilationis *per seipsam* proferens aut exsequens, ex quo adagium in jure receptum est : « *Ecclesia abhorret a sanguine* ». Id expresse Judicibus ecclesiasticis *interdixit*, voluitque ut, si clericus flagitium morte dignum patraverit, debeat a Judice ecclesiastico degradari, et postea *sæculari brachio tradi*, ut per laicam potestatem debita ipsi sanguinis pœna infligatur. — *Cf. cap. 9, Ne clerici vel monachi; — et cap. 27, De verb. signific.* — Verum sequentia adnotamus cum Em. card. *Tarquini :*

a) Non deesse Doctores ecclesiasticos qui gravissimam etiam censuram ferant adversus eos qui ejusmodi potestatem *Summo Pontifici* et *Concilio generali* denegant.

b) Quoad rem ipsam de qua agitur, immediatum *exercitium* ejusmodi potestatis, lege tantum *ecclesiastica*, et quidem *inferioribus* Ecclesiæ magistratibus, interdictum esse.

Quod vero pertinet ad *supremum* Ecclesiæ Magistratum, id est Romanum Pontificem et Concilium generale, quorum potestas nulla ecclesiastica lege restringi potest, hæc animadvertenda sunt :

1° Hoc sine ullo dubio tenendum est : saltem *mediate* ejusmodi jus penes eos esse, ita scilicet ut a catholico Principe jus habeant *exigendi* ut ea pœna in delinquentes animadvertat, si Ecclesiæ necessitas id postulet. Ecclesiæ enim non esset satis provisum, nisi ad ea quæ necessaria sibi sunt, verum jus eidem datum esset.

2° Quod vero *immediate*, cum necessitas postulat, a supremo Ecclesiæ Magistratu tale jus exerceri non possit, nulla ratione probatur ; cum, ex *jure naturali*, ex eo quod Ecclesia societas perfecta est, contrarium imo demonstretur : ex *jure autem positivo divino*, nullus afferri possit locus quo id vere interdictum fuerit.

Quandoquidem ineptissima sunt quæ objiciuntur : sive ex *Matth.*, XXVI, *52*, ubi Christus Petro, homini eo temporis privato, ait : « Converte gladium tuum in locum suum, etc. » ; — sive ex *II Cor.*, X, *4*, ubi Paulus vim potestatis suæ denuntians scribit : « Arma militiæ nostræ non carnalia (*id est, non fragilia ac futilia*) sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum ».

Parique ineptia vilescit argumentum ex *mansuetudine* Ecclesiæ deductum, quasi vero mansuetudinis virtuti opponatur necessaria justitiæ administratio.

Unum vero illud, quod paulo solidius opponi potest ex *perpetuo non usu*, ad justam probationis vim non assurgit, cum definiri nequeat an ex *potestatis*, an potius ex *opportunitatis defectu*, id evenerit : sive quia ex usu gravius damnum timeretur, sive quia præsto esset ministerium societatis civilis. — *Tarquini, Instit. jur. pub., lib. 1, num. 46.* — *Cf. Cavagnis, Institut. juris publici, lib. 1, num. 303 et seq.*

ARTICULUS III.

DE AUCTORE ET SUBJECTO POENARUM.

Pœnas *jure communi statuere*, ad illum solum pertinet qui potestatem habet leges ferendi *universalem Ecclesiam* obligantes. — Verum,

1551. **I. Pœnas irrogare possunt omnes Superiores qui jurisdictionem habent in foro externo, sive ordinariam, sive delegatam.**— *Cf. n. 1563 et seq.*

Attamen hæc jurisdictio debet esse *expedita quoad usum*. Et ideo :

a) Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus

aut schismaticus, non potest ferre censuras *licite*, etiamsi sit toleratus ; sed neque etiam *valide*, si non sit toleratus. — *Cap. 12, De except.*; — *cap. 1, De officio vicarii, in 6o.*

b) Quando pœna irroganda est in foro *contentioso*, requiritur ut Judex, sive ordinarius sive delegatus, sit *in proprio territorio*. « Sacris (enim) canonibus est generaliter interdictum ne quis Episcopus jurisdictionem exerceat in diœcesi aliena ». — *Clement. Quamvis, De foro competenti.*

Hinc axioma : « Extra territorium jus dicenti non paretur impune ». — *Cap. Ut animarum, 2, De constit., in 6o.*

Excipitur 1o Si *Ordinarius loci* consentiat ut Episcopus exerceat jurisdictionem contentiosam, et *ipsæ quoque partes* assentiantur, nam invitæ non debent e suo territorio egredi litis causa.

2o Si Prælatus *expulsus injuste fuerit* e sua diœcesi; tunc enim, *petita* prius Ordinarii loci licentia, quamvis *non obtenta*, subditos suos quorum malitia expulsus est, eorumque consiliarios et fautores, censuris plectere potest. — *Cit. cap. Quamvis, De foro competenti.*

1552. **II. Pœnis ecclesiasticis plecti non possunt nisi :**

a) Homines *christiani*. — Nam Ecclesia de his qui *foris* sunt non judicat; ideoque excluduntur infideles, etiam catechumeni. — *Cf. I Cor.*, v, *12*; — *et Trid., sess. 14, c. 2, De pœnitentia.*

b) *Rationis capaces ;* — cum nemo pœnam subire debeat, nisi delictum admiserit.

1o *Impuberes*, rationis usum plene adepti, absolute non eximuntur a pœnis *latæ sententiæ*, utpote doli capaces; attamen, ob ætatis levitatem, ex benignitate Ecclesiæ, eas non incurrunt nisi in lege *specialiter expressum sit*, ut pro ingredientibus monasteria Monialium. — *Cf. Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 1, n. 6.*

2o Neque expedit ut in eos *censuræ ab homine* ferantur; sed potius debent aliis correctionalibus pœnis puniri. « In pueris enim relinqui solet inultum, quod in aliis provectio-

ris ætatis humanæ leges dicunt severius esse puniendum » — *Cap. Referente, 2, De delictis puerorum.*

c) *Et subditi ;* — quia pœnæ irrogatio est actus *jurisdictionis*, quæ nonnisi in subditos exerceri potest.

1° Ideo *peregrini,* quamdiu versantur extra diœcesim non tenentur censuris quæ per modum legis in suo territorio latæ sunt, etiamsi discesserint eo animo ut se obligationi legis subtraherent. « Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, furtum extra ipsius diœcesim committentes, minime ligari noscuntur, cum *extra territorium jus dicenti non pareatur impune* ». — *Cap. Ut animarum, 2, De constit., in 6°.*

2° Utrum idem dicendum sit de *præcepto* quod Episcopus suis diœcesanis injunxerit sub pœna ipso facto incurrenda : an scilicet pœnam incurrant, si præceptum violent extra diœcesim, disputant Canonistæ.

Communiter *affirmant* Doctores Episcopum posse hujusmodi pœnas injungere. — « Ratio discriminis est, ait Benedictus XIV, quia *lex*, seu statutum, per se et immediate afficit *territorium*, seu diœcesim, eique quasi cohæret, ac proinde non potest obstringere eum qui extra diœcesim moratur; dum *præceptum* afficit immediate *personam*, ejusque ossibus hæret quocumque terrarum discesserit ». — *De syn., lib. 13, cap. 4, num. 9.*

3° Pœnis quæ latæ sunt *in locis per quæ transit, peregrinus* non tenetur, nisi leges quibus pœnæ sunt adnexæ ipsum obligent. — *Cf. n. 65.*

4° Episcopus potest pœnis ligare subditum suum extra diœcesim exsistentem, pro crimine quod *in proprio territorio commissum est.*

Quod dicendum est de iis qui, licet absentes, *censentur* tamen in proprio territorio delinquere : ut si excommunicaretur clericus qui, jussus accedere ad *synodum*, non obtemperaret. Secus enim a nullo posset puniri.

Nec obstat quod *citatio* non possit fieri extra territorium ; nam sufficit ut reus in propria domo, aut in loco publico citetur. — *Cf. n. 65.*

5° In *Regulares exemptos* animadvertere potest Episcopus, si deliquerint circa ea in quibus, vi canonum et constitutionum, subjiciuntur jurisdictioni Episcoporum. — *Cf. Tract. De Regularibus, n. 1212 et seq.*

Ratio est, quia jurisdictio in foro externo inermis ad exsequendum leges et statuta esse non potest, nam secus *inutilis* evaderet. Si ergo in aliqua re Episcopus in Regulares jurisdictione pollet, eo ipso contra delinquentes procedere potest, etiam per *censuras*. — *Cf. Benedict. XIV, De synod., lib. 9, cap. 15, num. 5.*

Attamen, sunt Regulares qui *speciali privilegio* gaudent, vi cujus, licet aliis pœnis corrigi et coerceri possint, si in iis deliquerint in quibus eos Episcopis Apostolica Sedes subjecit, non tamen puniri per *censuras* possunt. — *Cf. Gury-Ballerini, num. 949.*

6° *Prælati Regulares*, juxta communem sententiam, possunt pœnis plectere subditos *in quocumque loco* exsistentes.

Ratio est, quia jurisdictio Superiorum magis *personalis* est quam *territorialis*; unde mutatio loci, ex parte subditi, nihil jurisdictioni Superioris detrahit. — *S. Lig., lib. 7, num. 20.*

1553. **III. Ut pœna canonica infligi possit, requiritur justa causa, delictum nempe**

a) *Externum*; — nam Ecclesia non judicat de internis nisi in foro pœnitentiali.

1° *Omissio* actus externi a lege prescripti, habetur ut opus externum, et pœnis subjacet. — *Cap. Quarta, 47, De sent. excommunicationis.*

2° Posset tamen Ecclesia actum externum, aliunde in se malum, pœnis plectere sub conditione solius malitiæ quæ *ab interno* procederet. — Ex. gr., posset ferri excommunicatio, vel alia pœna, in eos tantum qui *scienter*, aut *temere*, aut ex *præsumptione*, aliquid egerint. — *Cf. n. 1569.*

Ratio est quia, cum actus sit *aliunde malus*, ac merito possit pœnis plecti, nulla injustitia est quod non puniatur nisi sit certis conditionibus vestitus.

b) *Proprium, saltem aliquo modo;* — quia « non debet aliquis alterius odio prægravari ». — *Reg. 22 juris, in 6o*

1o Diximus : *saltem aliquo modo.* — Nam, propter crimen a majori parte *communitatis,* vel a capite ipsius commissum, tota communitas potest subjici interdicto, vel suis privilegiis spoliari. Et sic etiam innocentes puniuntur, sed *non immerito,* quippe delictum communitatis omnibus membris proprium esse censetur.

2o Imo, aliquando etiam *propter alterius delictum* certi actus pœna nullitatis, in detrimentum innocentis, plectuntur. Ex. gr., promotio ad *beneficium* per alterius *simoniam* merito fit irrita, non quidem in punitionem promoti, cum sit innocens, sed in odium horrendi criminis simoniæ, quod alioquin non satis efficaciter comprimeretur.

Ex his intelligitur sensus regulæ 23 juris, in 6o : « Sine culpa, *nisi subsit causa,* non est aliquis puniendus ».

c) *Consummatum,* — seu completum in genere suo, secundum proprietatem verborum quæ in præcepto seu lege continentur, quia leges pœnales sunt stricte interpretandæ, juxta regulam 15 juris, in 6o : « *Odia restringi.... convenit* ». Scilicet requiritur, ad pœnam incurrendam, ut *completus* sit ille *effectus* quem Legislator *intendit* sub pœna prohibere. — Unde,

1o Si verba diligenter inspecta significant prohiberi *ultimum effectum,* v. gr. homicidium, pœna non incurritur nisi effectu illo ultimo secuto, scilicet morte.

2o Quando vero sub censura prohibetur principaliter *ipsa actio* vel *conatus :* tunc, ea posita, statim incurritur pœna, etiam effectu non secuto.

3o Pœna non afficit *mandantes, consulentes,* etc., nisi lex aut præceptum *expresse* vel *tacite* eos comprehendat.

Si vero pœna fuerit expresse contra eos lata : ex probabiliori sententia, pœnam non incurrunt si mandatum vel consilium *revocaverint* ante exsecutionem. — Excipe tamen si pœna infligatur præcise *propter mandatum* vel *consilium.*

d) *Et pœnæ proportionatum;* — id est peccatum grave

ad pœnam gravem, leve vero ad levem; quia rationis et æquitatis principia suadent pœnam esse *commensurandam* culpæ, et pro modo culpæ imponendam.

1° Ideo docet *Benedictus XIV:* non solum excommunicationem, sed etiam « suspensionem a divinis, seu ab officio et beneficio, ad longum tempus, atque interdictum etiam personale, nisi partiale sit sed integrum et totale, nec *valide* propter culpam *levem*, nec *prudenter* propter *lethalem* quæ *gravioribus* non accenseatur, erogari ». — *De syn., lib. 10, cap. 1, num. 3.* — *Cf. Trid., sess. 25, cap. 3, De ref.*

2° Gravitas autem delicti, non modo ex re in se considerata, sed ex *adjunctis* quoque locorum, temporum, personarum perpendenda est.

Contingere enim potest ut res quæ, *in se* spectata, levis esse videtur, gravis tamen appareat si circumstantiæ perpendantur quibus circumvestitur, et præsertim si consideretur *periculum* ne abusus, qui ab uno vel altero in diœcesi induci cœpit, nisi statim præfocetur, totam paulatim communitatem contaminet. — *Cf. Ben. XIV, loc. cit., c. 3.*

ARTICULUS IV.

DE IGNORANTIA, UTRUM EXCUSET A PŒNA.

Ignorantia versari potest : vel circa *legem*, vel circa *pœnas* a lege impositas; et ignorantia *invincibilis* est vel *vincibilis*.

1554. **I. Solius pœnæ ignorantia,** etsi invincibilis, *a pœna non eximit*, dummodo hæc pœna sit *ordinaria* et proportionata culpæ commissæ, seu talis sit ut ex natura ipsius criminis aliquo modo *prævideri* possit, cum ipsum lumen naturale dictet malum esse pro sua gravitate puniendum. — Excipe :

a) Si pœna sit *censura*, modo ignorantia non sit *crassa*. Censuras enim supremus Legislator noluit incurri nisi a contumacibus. — *Cf. n. 1569.*

b) Si Superior, ad contrahendam pœnam, requirat *do-*

lum, temeritatem, etc., ut dum dicitur: «Qui fecerit scienter, consulto, ausu temerario; qui præsumpserit », etc.

1555. **II. Si et ipsa lex ignoretur,**

a) Et sit *juris positivi dumtaxat* : ignorantia *invincibilis*, cum excuset a peccato, etiam a pœna excusare debet; ignorantia vero *vincibilis*, nec a peccato, nec proinde a pœna excusat, saltem si *graviter culpabilis* est.

b) Si lex ignorata, non solum sit positiva, sed etiam *juris naturalis* : disputatur utrum ignorantia solius juris positivi excuset a pœna.

1° *Alii* dicunt *sufficere* ut reus cognoverit legem *divinam*, quia Legislator humanus, cum præcipue intendat legis divinæ transgressionem punire, non est cur reus, qui hanc legem voluntarie transgressus est, pœnam non subeat. — *Cf. Suarez, De legibus, lib. 5, cap. 12, num. 7.*

2° *Alii negant*, ea ratione ducti « quia, cum lex ecclesiastica imponit pœnam super crimine a lege divina vetito, *novum jus* condit; qui autem peccat contra legem divinam, ignorans invincibiliter legem ecclesiasticam, peccat utique contra illam, non vero contra hanc; ergo incurrere debet quidem pœnam *divinæ* legis, non autem *humanæ* ». — *S. Lig., lib. 7, num. 350.*

1556. **III. In foro externo**, facta promulgatione legis, et elapso tempore sufficienti, *scientia præsumitur*, et ignorantia legis est probanda; secus pœna transgredientibus legem statuta non evaditur.

a) Et, cum ignorantia juris vix unquam possit probari, non hæc, sed *sola* « *facti ignorantia excusat* », juxta regulam 13 juris, in 6°.

b) Verum, si quis « per judicem condemnetur quia deficit in probatione, et ipse certus sit in conscientia de sua inculpabili ignorantia : licet *exterius* teneatur parere, tamen *in conscientia* non tenetur exsequi pœnam, potestque illam omittere, cavendo scandalum ». — *Suarez, De leg., lib. 5, cap. 12, num. 8.*

CAPUT II.

DE CENSURIS IN GENERE.

Agendum est : de natura et divisione censurarum ; — de principio seu auctore censurarum ; — de solemnitatibus quæ servandæ sunt in ferendis censuris ; — de subjecto censurarum ; — de appellatione, — et de absolutione a censuris.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET DIVISIONE CENSURARUM.

1557. **I. Nomen censuræ** ortum est ab illis correctionalibus pœnis quæ, apud veteres Romanos, a *Censoribus* irrogabantur contra immorigeros cives, quæque dicebantur *censuræ*.

a) Censuræ appellatio, ab antiquo, ad designandas *pœnas spirituales* ab Ecclesia inflictas, adhibita pariter fuit.

b) Sed non tam arctus, ut hodie, erat olim hujus vocabuli usus. — *Olim* enim censura *latius* accipiebatur ad significandam sententiam Episcopi, vel alterius Prælati, qua subditorum delicta corriguntur, quicumque tandem sit pœnæ modus. — *Proprius* autem quem *nunc* habet sensus ei accessit sæculo XII labente, aut ineunte sæculo XIII. — *Vecchiotti, De judiciis*, § *50*.

1558. **II. Est autem censura** : Pœna medicinalis, qua homo baptizatus, delinquens et contumax, privatur per potestatem ecclesiasticam usu quorumdam bonorum spiritualium, donec a contumacia recedat. — Dicitur :

a) *Pœna medicinalis ;* — quia finis *primarius* censurarum est emendatio peccatorum. — *Cap. 1, De sententia excommunicationis, in 6o*.

Attamen, etsi de correptione delinquentis desperetur, potest censura, quatenus rationem *pœnæ vindicativæ* habet, ferri tum in ultionem delicti, tum ne pravorum communicatione cæteri inficiantur, quia, cessante correctionis fine,

non cessant eo ipso alii fines. — *Salmantic., De censuris cap. 1, num. 10.*

b) *Homo baptizatus.* — Qui enim salutaris Baptismatis lavacro non est ablutus, *extra Ecclesiam* manet; ideoque ejus potestati non est obnoxius. — *Cf. n. 1552.*

c) *Delinquens et contumax ;* — id est monitionibus Ecclesiæ non obtemperans, quia censura est pœna *medicinalis,* requirens prævias monitiones, sive *a Judice,* sive saltem *a lege* factas.

d) *Privatur usu quorumdam bonorum spiritualium ;* — bonorum autem *spiritualium* nomine non veniunt bona *interna,* habitualia, permanentia, ac propria : ut character, potestas ordinis, fides, spes, charitas, gratia ; sed bona communia *externa :* ut sacramenta, sacrificia, beneficia, officia ecclesiastica, jurisdictio spiritualis, publica suffragia et satisfactiones, admissio in ecclesiam, et sepultura ecclesiastica.

Unde, si censura privat bonis quibusdam *temporalibus,* ex. gr. fructibus beneficii, fidelium communione etiam in civilibus, hoc non operatur nisi per accidens, ob *connexionem* scilicet horum bonorum cum spiritualibus.

e) *Donec a contumacia recedat.* — Cum censura sit primario pœna *medicinalis,* est vinculum dissolubile, et per absolutionem solvendum statim ac reus emendatus fuerit. — Unde,

1º Censura nequit infligi in peccatum *mere præteritum,* nisi habeat tractum successivum in futurum. — *Cf. S. Lig., lib. 7, num. 54.*

2º Suspensio et interdictum, si ferantur propter delictum *mere præteritum,* aut infligantur *in perpetuum,* vel *ad tempus determinatum,* non rationem *censuræ* habent, sed *pœnæ vindicativæ* naturam induunt.

Attamen suspensio *latæ sententiæ,* seu a jure per statutum generale, etsi ad tempus determinatum inflicta, pro *vera censura* habenda est, ut videtur. — *Cf. S. Lig., lib. 7, n. 313;* — *et constit. Apostolicæ Sedis, tit. 5, passim.*

1559. **III. Censura differt ab irregularitate,** quæ

primario habet rationem *impedimenti* ad ordines suscipiendos, et contrahi potest *absque ulla culpa,* ob aliquem animi vel corporis defectum. — *Cf. n. 300 et seq.*

Equidem *irregularitas ex delicto* quodammodo est pœna, sed potius dicenda est *inhabilitas* ex delicto orta; saltem non est pœna *medicinalis,* cum tollatur, non per absolutionem, sed per *dispensationem.*

1560. **IV. Tres sunt censurarum species,** nempe *excommunicatio, suspensio* et *interdictum.*

« Quærenti cur per censuram ecclesiasticam debeat intelligi...., respondemus quod per eam, non solum *interdicti,* sed *suspensionis* et *excommunicationis* sententia valet intelligi ». — *Innoc. III, cap. 20, De verb. signif.*

1561. **V. Alia est divisio censurarum in censuras ab homine, et censuras a jure; item in censuras latæ, et censuras ferendæ sententiæ :** *quas distinctiones modo explicavimus, n. 1545 et seq.*

a) Censura *latæ sententiæ* valde prodest bono communi Ecclesiæ; etenim horrorem criminis incutit, *efficacius* ab eo removet plures qui forte ad malum spe impunitatis incitarentur, supplet aliquatenus negligentiam judicis, si forte sit minus sollicitus in inquirendis et puniendis criminibus, aut ejusdem impotentiam.

Ideo Pius VI, in constit. *Auctorem fidei,* sub num. 47, ut « falsam, temerariam, perniciosam, Ecclesiæ potestati injuriosam et erroneam », reprobavit *propositionem synodi Pistoriensis,* quæ tradebat « necessarium esse, juxta leges naturales et divinas, ut, sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem, præcedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere nisi seriæ comminationis, sine ullo actuali effectu ».

b) Hinc, *in foro interno,* et coram Deo cujus oculis omnia nuda sunt et aperta, ad incurrendam censuram *latæ sententiæ* nulla est necessaria judicis declaratio, sed sat est crimen perpetrare cui illa adnexa est.

Sed hæc declaratio sententiæ requiritur pro *foro externo,* in quo nemo reputandus est censura innodatus nisi legitime

probetur reus criminis cui est censura ipso facto alligata. — *Bened. XIV, De syn., lib. 10, cap. 1, num. 5.*

1562. **VI. Censuræ distinguuntur in reservatas et non reservatas,** prout Superior earum *absolutionem* sibi reservavit, vel ordinariis ministris ab iis absolvere permisit.

a) Censura *ab homine* semper reservata censetur; censura vero *a jure* potest non esse reservata.

b) Censura *reservata S. Pontifici :* alia est *simpliciter*, alia *speciali modo* reservata. — Porro, multiplex intercedit *discrimen* inter unam et alteram :

1º Pro *absolutione* censuræ *speciali modo* reservatæ, requiritur specialis et expressa facultas, excepto mortis articulo, et casu urgentis necessitatis; nec sufficit potestas absolvendi generatim a censuris Pontificiis.

2º Si quis *absque debita facultate* absolvere præsumat a censuris *speciali modo* reservatis, incurrit excommunicationem, Romano Pontifici reservatam. — *Cf. constit. Apostolicæ Sedis, Pii IX, tit. 1.*

E contra, si quis absque debita facultate absolvat a censura *simpliciter* reservata, nulliter equidem absolvit, sed nullam incurrit censuram.

3º Si necessitas urgeat absolutionis impertiendæ *in articulo mortis,* poterit moribundus a quolibet confessario absolvi a quibuscumque censuris, ea tamen lege ut, si absolvi debeat innodatus aliqua censura *speciali modo* S. Pontifici reservata, onus erit illi imponendum *sistendi se coram Superiore* ac standi ejus mandatis, si forte convaluerit; quod onus præsentationis non habet moribundus qui censura *simpliciter* reservata est innodatus. — *Cf. n. 1580.*

4º Tandem, *Episcopi* possunt absolvere a censuris R. Pontifici *simpliciter reservatis*, quæ ex *delicto occulto* proveniunt. — *Trid., sess. 24, cap. 6, De ref.* — *Cf. n. 1581.*

Verum, sine speciali facultate, nequeunt absolvere, in casibus utcumque occultis, a censura *speciali modo* R. Pontifici reservata. — *Cf. cit. constit. Apostolicæ Sedis.*

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIO SEU AUCTORE CENSURARUM.

Potestas ferendi censuras non residet nisi in iis qui jurisdictionem habent *in foro externo,* sive ordinariam, sive delegatam. — *Cf. n. 1551.*

Ideo *parochi* non possunt censuras ferre, quia jurisdictionem habent tantum pro foro *interno.*

1563. **I. De jure ordinario, censuras ferre possunt :**

a) *Papa* et *concilium generale,* respectu totius Ecclesiæ ; nec non *Legati Apostolici,* in territorio ipsis adsignato. — *Cf. cap. Novit, 7, De officio Legati.*

b) *Episcopi,* respectu propriæ diœcesis, modo sint confirmati, licet non consecrati. — *Cap. Transmissum, 15, De electione.*

c) *Capitulum* ecclesiæ cathedralis, sede vacante, et ipsius *Vicarius.* — *Cf. n. 822 et seq.*

Item censuras ferre possunt *Vicarii generales* Episcoporum, ad muniendam suam jurisdictionem. — *Cf. n. 786.*

d) *Archiepiscopi,* tum in diœcesibus propriis, tum in diœcesibus suorum suffraganeorum tempore *visitationis,* nec non cum agitur de causa ad eorum tribunal *delata,* quia tunc jurisdictione in subditos suffraganeorum pollent. — *Cf. n. 528.*

Verum disputatur utrum Archiepiscopi possint censuris in *Episcopos suffraganeos* animadvertere. — Saltem dicendum est id non debere fieri nisi cum magna consideratione, et Sacra Congregatione Concilii prius consulta. — *Cf. Bouix, De Episcopo, tom. 1, pag. 460 et seq.*

e) *Abbates, Priores* et similes *Præpositi* ac *Superiores Regularium,* nedum *generales* et *provinciales,* sed et *locales,* pro suis subditis, ex privilegio quod eorum officio ac muneri perpetuo adnexum est, ex *cap. 10, De majoritate et obedientia.*

f) *Concilium provinciale* pro provincia; et concilium *nationale* pro integra natione.

1564. **II. Delegatam potestatem habent censuras inferendi** : illi quibus ea *committitur* ab habente ordinariam.

a) Sed ejusmodi potestas cessat per *mortem* aut *amotionem delegantis*, quia agitur de causa justitiæ, nisi causa a delegato jam fuerit *incœpta* saltem per citationem. — *Cf. num. 246.*

b) Delegatus ad censuras ferendas, non potest alterum *subdelegare*, nisi habeat expresse a delegante licentiam, vel sit delegatus ad universalitatem causarum, aut delegationem teneat ab ipso Romano Pontifice. — *Cf. n. 237.*

ARTICULUS III.

DE SOLEMNITATIBUS QUÆ SERVANDÆ SUNT IN FERENDIS CENSURIS.

1565. **I. Prolationem censuræ præcedere debet monitio**, qua Superior declarat eos qui legi aut sententiæ *non paruerint*, incursuros fore censuram.

a) Præmittenda est monitio, quia censuræ sunt pœnæ *medicinales*, quæ nonnisi in *contumaces* ferri debent. Ideoque, ex communiori sententia, sub pœna etiam nullitatis censuræ requiritur. — *Cf. cap. Statuimus, 3, De sent. excomm., in 6o ; — et cap. Constitutionem, 9, eod. tit., in 6o.*

1o Excipe : nisi suspensio vel interdictum ferantur per modum *pœnæ vindicativæ*, et non sint censuræ proprie dictæ seu pœnæ medicinales. — *Cf. n. 1558.*

2o Pro censuris *latæ sententiæ*, nulla monitio specialis præmittitur, quandoquidem *lex ipsa* continuo admonet, et satis contumax est qui legi præcipienti et adm n nti obtemperare recusat.

« Statuimus, ait *Alexander III*, ut nec Prælati, nisi canonica monitione præmissa, suspensionis vel excommunicationis sententiam ferant in subditos, nisi forte talis sit

culpa quæ, *ipso suo genere,* suspensionis vel excommunicationis pœnam inducat. » — *Cap. Reprehensibilis, 26, De appellatione.* — *Cf. cap. 48, De sent. excomm.*

b) Hæc prævia monitio *triplex* esse debet, vel, si qua ratio necessitatis id postulaverit, una *peremptoria* tribus æquivalens; et, inter unam et aliam monitionem, observanda sunt « aliquot dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda ». — *Cap. Constitutionem, 9, De sent. excomm., in 6o.*

c) Facienda est auctoritate et nomine ipsius *judicis* qui censuram laturus est.

Ratio manifesta est, quia admonitio talis esse debet ut, si quis non pareat, *contumax* et *inobediens* exsistat; unde necesse est ut admonitio auctoritate Superioris facta sit. — *Suarez, disp. 3, sect. 11, num. 1.*

d) Non tamen requiritur ut fiat *in scriptis*, ut tenet communis Doctorum sententia; siquidem, in *cap. Quum medicinalis, De sent. excomm., in 6o*, quod in medium adducitur, sermo est, non de *monitione,* sed de *sententia* excommunicationis.

e) Si censurandus malitiose *lateat*, citatio fieri potest per *edictum* in loco publico affixum. — *Cf. n. 1495.*

1566. **II. Censura debet in scriptis proferri.**

a) « Quisquis excommunicat, excommunicationem scriptis proferat, et *causam* expresse conscribat propter quam excommunicatio proferatur. » — *Cap. Quum medicinalis, 1, De sent. excomm., in 6o.*

« *Exemplum* vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato *tradere* infra mensem, si fuerit *requisitus*; super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici sigillo authentico consignatas. » — *Ibid.*

b) Canonistæ communius dicunt *validam* fore, tametsi *illicitam,* censuram prolatam sine scripto, quod deducunt ex citato capite, in quo dicitur Superiorem ad quem recurritur debere hujusmodi censuram *relaxare.*

Et S. C. C., interrogata an sustineatur suspensio lata sine scripto, *affirmative* respondit. — *14 sept. 1782.*

c) Hinc concludas quod si Prælatus solo verbo dicat sacerdoti : « *Suspendo,* v. gr., a celebratione Missæ », sit simplex *prohibitio*, non censura, quia hæc licite non fertur nisi scripto ; Prælatus autem non debet præsumi velle peccare. — *S. Lig., De censuris, num. 317.*

1567. **III. Nulla in jure præscripta est verborum formula in proferendis censuris.** — Attamen :

a) Hujusmodi actus continere debet expressam mentionem censuræ *in specie* : v. gr., *Suspendimus*, *Interdicimus*, vel *Excommunicamus*, quin sufficiat mentio censuræ in genere.

b) In suspensione, quoniam multum interest an sit *totalis* vel *partialis*, illud idoneis verbis exprimendum est. — *Cf. num. 1621 et seq.*

ARTICULUS IV.

DE SUBJECTO CENSURARUM.

1568. **I. Subjectum censuræ** non potest esse nisi homo *baptizatus*, *rationis capax*, et *subditus* ; ejusque delictum debet esse *externum*, *grave*, et *in specie sua consummatum*. — *Cf. n. 1552, 1553 et 1598.*

1569. **II. Excusat a censura quælibet ignorantia,** sive *facti,* sive *juris ecclesiastici* præcipientis vel prohibentis aliquid sub censura, dummodo « *crassa* non fuerit aut *supina* ». — *Cap. Ut animarum, 2, De constit., in 6°.* — *S. C. S. O., 16 jan. 1892, ad 3.*

Ratio est, quia nemo censuris dicitur innodari, nisi sit *contumax* in Ecclesiam quæ aliquid jubet aut vetat sub comminatione censuræ ; porro, argui non potest contumaciæ qui censuram ab Ecclesia statutam penitus *ignorat.*

a) Unde, licet aliqui dicant *quamlibet* ignorantiam *mortaliter culpabilem* esse *crassam* seu *supinam,* tamen, ex

probabili sententia, dari potest ignorantia graviter culpabilis quæ excuset a censura, quia non omnis negligentia graviter culpabilis, sed *summa* negligentia est quæ ignorantiam crassam aut supinam constituit. — *Gury-Baller., num. 939.*

b) Imo, ignorantia *crassa* aut *supina* a censura eximit quando in lege requiritur ut reus statutum violaverit *scienter, consulto, temere, ausu temerario, etc.;* imo si dicatur tantum : *qui præsumpserit.* — Hæc enim verba significant contumaciam graviorem, et *certam censuræ scientiam* postulant.

Utrum idem dicendum sit de ignorantia *affectata*, quippe quæ scientiæ æquiparari solet, *disputant Auctores ;* ideoque in re *incerta* adhibendum est generale principium; neque auferendum est jus fruendi bonis spiritualibus, ubi de privatione non constat. — *Cf. n. 1571.*

1570. **III. Metus gravis,**

a) Si agatur de lege *mere ecclesiastica* cui adnexa est censura, excusat, tum a *lege*, tum consequenter a *censura*, nisi tamen legis observatio sit necessaria pro bono publico servando, vel ejus violatio cedat in contemptum fidei vel potestatis Ecclesiæ. — *Cf. Commentatores decretalium, in tit. De his quæ vi metusve causa fiunt.*

b) Si agatur de præceptis *juris naturalis*, a quibus implendis metus gravis excusare nequit, a censura tamen videtur *excusare*, cum sic delinquens haberi nequeat pro contumaci et Ecclesiæ potestatis contemptore, quia naturæ potius *infirmitate* quam obstinatæ voluntatis malitia peccat. — *Schmalzgr., in tit. De sent. excomm., n. 79.*

1571. **IV. In dubio utrum incurratur censura :**

a) Si dubium sit *juris*, Auctores communiter docent *non esse obligationem* servandi censuram; nam « in obscuris minimum est sequendum », et « in pœnis benignior interpretatio est facienda ». — *Reg. 30 et 49 juris, in 6°.*

b) In dubio *facti*, utrum scilicet patratum fuerit delictum cum conditionibus statutis a jure ut censura incurratur,

idem videtur affirmandum, ob eamdem rationem quod *odiosa sint restringenda.*

c) Si vero dubitetur an *causa censuræ* sit sufficiens, vel utrum Superior servaverit *debitas solemnitates*, aut *limites suæ jurisdictionis* excesserit, censura interim *valet*, quia stat præsumptio pro Superiore; siquidem ordo publicus expostulat ut obsequium præstetur judici, nisi manifesta sit nullitas sententiæ : alioquin pessumdaretur, cum magno detrimento societatis, subordinatio debita auctoritati constitutæ. — *Cf. cap. 5, De clerico excommunicato;* — *et cap. Per tuas litteras, 40, De sent. excomm.*

1572. **V. Si constet de nullitate aut de injustitia censuræ,**

a) Censura non obligat *in foro conscientiæ*, ut omnes conveniunt. Attamen monent Auctores hallucinationis periculum in propria causa sedulo vitandum esse.

b) Sed plerumque, necessitas removendi scandalum inducit *obligationem judicis sententiæ deferendi*, donec sublata sit censura per auctoritatem Superioris.

1573. **VI. Plures censuras eadem persona contrahere potest**, sive *diversæ*, sive *ejusdem speciei*, non solum ex transgressione *diversarum legum* quibus eadem censura adnexa est, sed etiam ex repetita *ejusdem legis* transgressione.

a) Certum est plures censuras *ejusdem speciei* ferri posse in eamdem personam *propter diversas causas :* ita ut qui, v. gr., excommunicatur propter violationem unius legis, *alia excommunicatione* possit mulctari ob alterius legis transgressionem.

1º Jurisdictio enim Superioris exhausta non est primo actu, sed integra remansit.

2º Nec dicatur hominem, jam privatum omnibus bonis quibus ab Ecclesia privari potest, non posse iterum iisdem privari; nam censura non se habet ut mera privatio, sed veluti *causa positiva* et *vinculum* inducens hanc privationem; porro, nihil obstat plures causas, seu *plura vincula,*

adjici ad eamdem privationem inducendam, sicut homo potest pluribus præceptis obligari ad abstinendum eodem actu. — *Cf. cap. 27 et 42, De sent. excomm.*

b) Idem dicendum est de multiplicatione censurarum ob *multiplicatas transgressiones ejusdem legis*, ex. gr. si quis bis aut ter clericum graviter percusserit, cum morali interruptione.

Ratio deducitur ex dictis : lex efficaciam habet contra *singulas prævaricationes*, et multiplicatio censurarum ejusdem speciei in eodem subjecto non repugnat; ergo, quoties lex temere violatur, toties *nova censura* incurritur.

Hinc, quemadmodum potest quis *plura peccata specie et numero diversa* patrare, ita etiam potest *censuris specie et numero diversis* simul innodari : v. gr. excommunicatione, suspensione (si clericus sit), et interdicto, nec non pluribus excommunicationibus, suspensionibus vel interdictis.

c) Unde Theologi et Canonistæ concludunt : *multiplicationem censurarum* dijudicandam esse ex regulis theologicis circa *distinctionem numericam et specificam peccatorum*. Igitur, si quis, ex. gr., unico acto duo peccata committat specie diversa, quorum unicuique sit adnexa censura, duas incurrit censuras.

d) Imo, ob *unicum delictum*, potest quis ligari simul *a jure* et *ab homine*, imo, a diversis Superioribus, v. gr. a *Papa* et ab *Episcopo*, ita ut ab utroque absolvi debeat, modo alter Superior *novam pœnam* imponere intendat.

1574. **VII. « Episcopi, et alii superiores Prælati,** nullius constitutionis occasione, sententiæ seu mandati, interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ullatenus *ipso jure*, nisi de ipsis Episcopis expressa mentio habeatur. » — *Cap. Quia periculosum, De sent. exc., in 6º.*

a) Ratio ibidem adsignatur, nempe : « quia periculosum est Episcopis et eorum Superioribus, propter *exsecutionem pontificalis officii* quod *frequenter* incumbit, ut, in aliquo casu, interdicti vel suspensionis incurrant sententiam *ipso facto* ».

b) Notandum est in citato capite statutum esse solum-

modo de *interdicto* et *suspensione*, non vero de excommunicatione et aliis pœnis, quas proinde Episcopi incurrerent si forte delicta quibus adnexa sunt perpetrarent, tametsi nulla mentio de Prælatis in lege habeatur.

ARTICULUS V.

DE APPELLATIONE A CENSURIS.

1575. **I. A censuris per sententiam inflictis** non conceditur appellatio *in suspensivo*, sed tantum *in devolutivo;* id est, non suspenditur censuræ effectus, cum censuræ trahant secum exsecutionem, sed per appellationem devolvitur jus eas irritandi ad judicem appellationis. — *Cap. Is cui, De sent. exc., in 6°, — et cap. Ad hæc, De appellationibus.*

a) Advertendum est non denegari appellationem in suspensivo, nisi quando agitur de *censuris proprie dictis*. Unde appellatio producit effectum suspensivum, si appelletur a sententia *depositionis* aut *degradationis*.

b) Imo, eumdem effectum habet appellatio a suspensione quæ non est proprie censura, sed, ob peccatum mere *præteritum*, tanquam *pura pœna* infligitur.

1576. **II. Quando agitur de censura non adhuc fulminata, sed tantum comminata,**

a) Tunc appellatio non solum *suspendit* effectum censuræ, sed eam prorsus reddit *irritam* et *nullam*, quia, per interjectam appellationem, jurisdictio Episcopi quoad illam censuram cessat, et ad judicem appellationis pertinet. — *Cf. n. 1530.*

b) Sed hoc intelligendum est de censuris *ab homine* ferendis; nam a comminatione censuræ *a jure* latæ, non datur appellatio ad effectum suspensivum. — *Constit. Ad militantis, Bened. XIV, num. 36.*

1577. **III. Quoad sententiam denuntiatoriam, vel declaratoriam censuræ, tum factam, tum facien-**

dam, appellare posse gravatum tenent communiter Doctores, et docent appellationem *suspendere* effectum sententiæ jam *latæ*, et eam reddere prorsus *irritam* si adhuc sit *facienda*.

a) *Triplex sententia declaratoria* in materia censurarum dari potest, scilicet : 1º declaratoria *criminis* cui debetur censura; 2º declaratoria *incursus* in censuram latam *a jure*; 3º declaratoria censuræ prius latæ *ab homine*.

b) A duabus primis datur appellatio *quoad utrumque effectum*, quia respiciunt factum quod potest non esse verum vel non deductum legitime in processu. — A postrema vero datur dumtaxat *in devolutivo*, quia censura jam lata traxit secum exsecutionem. — *Rota, Enchirid., num. 811.*

ARTICULUS VI.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

1578. **I. Censuræ, stricto sensu acceptæ, tolli non possunt nisi per solam Superioris competentis absolutionem.** — Nam :

a) Non tolluntur per *mortem rei*, ut constat ex *cap. A nobis, 28, et cap. Sacris, 38, De sent. excommunic.*, ubi mortuus sine absolutione censurarum privatur sepultura ecclesiastica. — *Cf. n. 1608.*

b) Non cessant per *emendationem* et contumaciæ cessationem, ut expresse ait Clemens III, *cap. Quum desideres, De sent. excomm.* — *Cf. cap. 58, eod. tit.*

Unde, damnata est ab *Alexandro VII* propositio : « Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ ». — *Prop. 44.*

Censuratus tamen potest in *statum gratiæ* reintegrari per contritionem perfectam, ante censurarum absolutionem.

c) Non cessant per *mortem ferentis*, ut patet ex *cap. Pastoralis, 11, De officio judicis ordinarii.*

d) Nec tandem per *cessationem legis aut præcepti*, quia hujusmodi cessatio impedit quidem quominus postea

subditus teneatur sub censuris legem aut præceptum obser-vare; sed non solvit eum qui ante dictam cessationem cen-suris jam fuerat ligatus.

e) Diximus : *censuræ stricto sensu acceptæ;* quia sus-pensio et interdictum quæ rationem habent *pœnæ vindica-tivæ,* si ad certum tempus latæ sint, desinunt elapso ter-mino ipsis adsignato, etsi antea reus absolutionem a ferente non obtinuerit.

1579. **II. A censuris a jure constitutis, quando reservatio expressa non est**, *quilibet confessarius* ab-solvere potest in foro *interno*, tam intra quam extra con-fessionem, ita ut et in foro *contentioso* absolutio valeat, si per authenticum testimonium absolventis comprobetur. — *Cf. n. 1590.*

a) Hanc regulam *Innocentius III* expresse tradidit his verbis : « Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur fa-cultatem aliis relaxandi ». — *Cap. 29, De sent. exc., in 6o.*

Confirmatur ex *forma absolutionis sacramentalis,* cui præmitti debet absolutio a censuris.

b) Attamen *Suarez* monet, ubi publica sit censura, ad præcavendum scandalum, constare palam debere de abso-lutione, ut quis *publice* tanquam absolutum se gerat. — *De censuris, disput. 7, sect. 5, num. 29.*

Sed satis præcavetur scandalum si palam constet illum fuisse confessum habenti facultatem absolvendi, et satis-factio, si qua erat necessaria, fuerit exhibita. — *Gury-Ballerini, num. 951.*

1580. **III. A censuris Romano Pontifici reserva-tis, sive simpliciter sive speciali modo,**

a) Absolvit *Romanus Pontifex, ejusve delegatus.* — In hac delegatione censetur quoque concessa relaxatio *in foro externo,* nisi adjuncta sit clausula, quæ solet adjici : « Dummodo casus ad forum externum deducti non fuerint, nec facile futurum sit ut deducantur ». — *Cf. n. 1673.*

b) Item absolvit *quilibet sacerdos, urgente mortis pe-*

riculo. — Nam « pie admodum, ne in hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut *nulla reservatio sit in articulo mortis*, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possint ». — *Trid., sess. 14, cap. 7.*

1° Attamen, si censuræ *speciali modo* sint Romano Pontifici reservatæ, absolutis imponenda est obligatio, et quidem sub pœna *reincidentiæ,* sistendi se coram Superiore si convaluerint, scilicet *recurrendi ad Summum Pontificem,* per se vel per confessarium, vel *novam absolutionem* petendi ab habente faoultatem absolvendi a censuris speciali modo Romano Pontifici reservatis. — *Constit. Apostolicæ Sedis ; — S. C. S. O., 16 jan., et 30 mart. 1892.*

Sed hoc onus non est imponendum si censura sit *simpliciter* reservata, cum citata constitutio id tradat tantum de censuris R. P. speciali modo reservatis. — *Et ita decisum est a Sac. Cong. S. Offic., 28 jun. 1882; 17 jun. 1891; 30 mart. 1892.*

2° *Mortis articulum seu periculum* interpretantur Auctores : de militibus qui prælium parant, de iis qui longam navigationem suscipiunt, qui periculoso morbo laborant, vel de quibus probabiliter timetur ne in amentiam incidant, item de mulieribus in difficili partu, etc.

c) Non potest hodie teneri sententia docens : ad *Episcopum*, aut ad *quemlibet sacerdotem approbatum*, devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papæ reservatorum, quando pœnitens versatur in impossibilitate *personaliter* adeundi S. Sedem.

1° Sed, saltem *per litteras,* recurrendum est ad Cardinalem Sacræ Pœnitentiariæ Præfectum pro omnibus casibus sive simpliciter, sive speciali modo *Papæ reservatis*, etiam sine censura, nisi Episcopus habeat speciale indultum, præterquam in articulo mortis, ad obtinendum absolvendi facultatem. — *Decret. Sac. Congr. S. Officii, 30 jun. 1886; et 17 jun.1891 ; — Decret. S. Pœnit., 7 nov. 1888.*

Et hujusmodi recursus necessarius est, etiamsi pœnitens sit *perpetuo impeditus* personaliter Romam proficisci. — *S. C. S. O., in Brixen., 17 jun. 1891.*

2° Attamen, « *in casibus vere urgentioribus,* in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis *scandali* vel *infamiæ,* super quo confessariorum conscientia oneratur, dari potest absolutio, injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub pœna tamen *reincidentiæ* in easdem censuras, nisi, *saltem infra mensem,* per epistolam et per medium confessarii, absolutus recurrat ad S. Sedem ». — *Cit. decret. S. Offic., 30 jun. 1886.*

Hæc absolutio, ut constat ex variis decisionibus S. C. Sancti Officii, est *directa.* — *Cf., ex. gr., resp. hujus Sac. Cong., 30 mart. 1892.*

3° Pœnitens non tenetur per eumdem confessarium qui eum absolvit recurrere, sed potest id præstare per alium confessarium, et etiam *per seipsum* directe, quando intercedit rationabilis causa, mentito nomine. — *Sacra Pœnitentiaria, 28 maii 1888.*

4° Recursus ad S. Sedem (seu ad *S. Pœnitentiariam*) fit sequenti modo.

Exponitur stylo simplici in idiomate vulgari, vel melius in latino, substantia facti cum adjunctis quæ ad rem faciunt, omisso semper vero pœnitentis nomine. — *Cf. n. 496.*

En formulæ exemplum : « *Beatissime Pater, — Titius sacerdos (vel parochus) unam pœnitentem (vel duas, tres, etc.), complicem in peccato turpi, semel (vel bis, ter, etc.) sacrilege absolvit (vel absolvere simulavit). Deinde, quamvis excommunicatione scienter irretitus, per quindecim dies Missam celebrare, et sacramenta ministrare perrexit. Nunc vero, delictorum suorum sincere pœnitens, et remota peccati occasione, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. — (Si jam alia vice absolutus, et recidivus fuisset, id exprimi deberet.)*

» *Responsum, precor, dirigatur ad me subscriptum,*

» *Humillimum servum N. N. (nomen et cognomen apponatur, et locus solitæ habitationis).* »

d) In rescripto S. Pœnitentiariæ inscribitur : « *Confessario, ex approbatis ab Ordinario loci, ab oratore electo*

vel eligendo ». Solus igitur ille confessarius rescriptum aperiet; apertum autem, si nequeat aut nolit exsequi, alius eligi, ipsique substitui potest.

Non solet nunc S. Pœnitentiaria verba inserere : « *Magistro in Theologia* », vel : « *Decretorum doctori* », quæ tamen si inserantur, confessarius eligatur his titulis insignitus, vel privilegiatus; secus de novo recurratur.

e) Sacra Pœnitentiaria solet absolutiones concedere *in forma commissaria;* ideoque iterum pœnitens coram confessario se sistere debebit. — *Cf. n. 412.*

Verum si, ex rationabili causa, rescriptum petatur *in forma gratiosa*, fortasse a Sacro Tribunali non denegabitur. — *Cf. Nouvelle revue Théologique, tome 22, pag. 410 et seq.; et tom. 23, pag. 634 et seq.*

f) Tempore *Jubilœi*, extraordinariæ facultates concedi solent Confessariis, ut possint a *quibuscumque* peccatis et censuris absolvere.

g) *In locis missionum*, facultates et absolutiones postulandæ sunt a *S. Congreg. de Propag. Fide. — Cf. n. 465*

1581. **IV. A censuris simpliciter Romano Pontifici reservatis quæ ex delicto occulto proveniunt,** *Episcopi absolvere possunt*, ex facultate a concilio Tridentino concessa, *sess. 24, cap. 6, De ref.*, quam Pius IX, constit. *Apostolicæ Sedis*, confirmavit.

Porro, *occultum* dicitur delictum quod juridice probari non potest. — *Fagnan., in c. Vestra, De cohabit., n. 20.*

a) Hic nomine *Episcoporum* veniunt etiam *Vicarii Capitulares* ecclesiarum cathedralium, sede vacante, quia potiuntur jurisdictione episcopali. — Non tamen *Vicarii generales* Episcoporum uti possunt hac facultate vi sui tituli vicariatus, nisi Episcopus ad id *specialiter* eos deputaverit. — *Trid., loc. cit.*

b) In hisce casibus occultis, Episcopi absolvunt « delinquentes quoscumque sibi *subditos* ». — *Trid., loc. cit.*

Extranei et *peregrini*, qui actu morantur in diœcesi, censentur subditi Episcopo quoad sacramentum Pœnitentiæ,

et possunt ab eo absolvi a censuris ex delicto occulto provenientibus.

Ipsemet Episcopus, si forte inciderit in casum reservatum, potest confessarium deputare qui ipsum absolvat, vi ejusdem decreti, quia non debet Episcopus esse pejoris conditionis quam inferiores clerici.

c) Hæc absolutio non datur nisi « *in foro conscientiæ* », scilicet effectum suum sortiri non debet in foro contentioso, si forte ad illud deferatur. — *Trid., loc. cit.*

Equidem absolutio censuræ *per se* in quocumque foro est valida, quia absolute tollit censuram; sed potest *per accidens* ut talis *non reputari*, ob expressam Superioris voluntatem. — *Cf. n. 497.*

d) Si censura *speciali modo* reservata sit *Romano Pontifici*, Episcopi ad absolvendum, etiam in casibus occultis, *speciali indulto* indigent, in quo tamen excipitur casus absolventis complicem in peccato turpi, qui proinde *specialissimo modo* S. Pontifici reservatur. — *Declarat. S. Officii, 27 jun. 1866, et 4 apr. 1871.*

1582. **V. Regularium privilegia generalia, quoad facultatem absolvendi a casibus et censuris Romano Pontifici reservatis,** sublata sunt per constitutionem *Apostolicæ Sedis*, Pii IX, § *Cæterum.*

a) Unde, in casibus manifestis et *publicis*, Regulares non possunt etiam subditos suos absolvere ab hujusmodi censuris.

Huc accedit *responsum S. Pœnitentiariæ, 5 dec. 1873.* Ad dubium enim « An Prælati regulares, post constit. *Apostolicæ Sedis*, iisdem gaudeant privilegiis quibus antea, id est, an possint necne subditos suos a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis absolvere? » respondit : « *Negative*, salvis aliis facultatibus quæ promanant ex *rescriptis particularibus* ad tempus concessis ».

b) Utrum vero *Prælati regulares* eadem potestate potiantur, pro subditis suis, quam Patres Tridentini in *occultis casibus* Episcopis concesserunt, exceptis tamen casibus speciali modo reservatis, disputant Auctores.

1º Qui *negativam* sententiam tenent, innituntur citata constitutione Pii IX, qua facultates reales absolvendi, si sermo sit de generalibus censuris, *abrogatæ sunt.*

2º Qui *affirmativam* tuentur sententiam, aiunt Regulares in casu absolvere, non vi alicujus privilegii specialis, sed *juris communis*, quod a constitutione Piana nullo modo immutatum aut revocatum est.

1583. **VI. A censuris Episcopo vel Ordinario a jure reservatis absolvunt :**

a) *Episcopus, Vicarius Capitularis, Vicarius generalis, Prælatus regularis* quoad suos subditos, *Archiepiscopus* in casu visitationis ex officio vel appellationis, *Romanus Pontifex*, ejusve delegatus.

Notandum est, circa delegationem a Romano Pontifice factam, quod confessarii qui habent privilegium speciale pro absolvendis censuris *Sedi Apostolicæ* reservatis, non ideo valeant absolvere a censuris *Ordinario* reservatis.

b) *Urgente mortis periculo, quilibet confessarius* a prædictis censuris absolvere potest, quin, ut videtur, *onus comparendi coram Superiore* imponatur; nam, si onus non debet imponi in censuris Rom. Pontifici simpliciter reservatis, ob eamdem rationem non videtur imponendum in censuris Ordinario reservatis.

c) In casu *urgentis necessitatis, simplex confessarius* absolvit, imposito pœnitenti *onere* sistendi se *coram Episcopo*, ubi impedimentum cessaverit, sub pœna *reincidendi* in eamdem censuram. — *Cap. De cætero, De sent. exc.; — et cap. Eos qui, 22 eod. tit., in 6º.*

1584. **VII. A censuris ab homine, per sententiam particularem latis, contra determinatas personas,** absolvere non possunt nisi :

a) Ille qui *sententiam tulit*, ejus *delegatus*, ejusve *successor*, hinc et *Vicarius Capitularis*, sede vacante.

b) *Ejus Superior* qui et in censuratum *jurisdictionem* habet. Hinc, Archiepiscopus et Legatus a latere nequeunt absolvere nisi in casu appellationis aut visitationis ex

officio. — *Cap. 5 et 7, De sent. excomm.; — et cap. 16, De præscriptionibus.*

c) *In articulo mortis, quilibet sacerdos,* imposito *onere* sistendi se coram Superiore si reus convaluerit, et quidem sub pœna reincidentiæ. — *Trid., sess. 14, cap. 7; — cap. Eos qui, 22, De sent. exc., in 6o.*

Etiamsi reus mutet domicilium, nequit absolvi nisi a prædictis personis. — Hinc S. Alphonsus advertit quod si quis in alieno territorio ita deliquerit ut ab *illius loci* Episcopo specialiter fuerit excommunicatus, non potest absolvi a *proprio* Episcopo, nisi de licentia Episcopi excommunicantis. — *S. Lig., lib. 7, num. 72.*

1585. **VIII. Censuræ ab homine latæ per sententiam generalem**, censuris a *jure* æquiparantur.

a) Unde, *si non sint reservatæ,* quilibet confessarius poterit ab eis absolvere.

b) Si vero *sint reservatæ,* repetenda sunt ea quæ modo diximus de censuris Ordinario reservatis, *n. 1583.*

1586. **IX. Licet non sit sacerdos,** Superior ecclesiasticus, vel ejus delegatus, *absolvere potest* a censuris.

Ratio est, quia jurisdictio quæ requiritur ad absolvendum a censuris, residere potest in clerico etsi *sola tonsura clericali* initiato.

1587. **X. Absenti concedi potest absolutio a censuris,** quemadmodum in absentem pœna statui potest.

a) Imo, *Episcopus absens* potest absolvere commorantem in diœcesi : quia ad absolutionem non requiritur cognitio causæ, nec strepitus judicialis, et proinde nihil impedit quominus Episcopus talem actum jurisdictionis in alieno territorio exerceat. — *Cf. n. 180.*

b) Si tamen agatur de facultate concessa Episcopis a concilio Tridentino, *sess. 24, cap. 6,* ut possint « quoscumque sibi subditos *in diœcesi sua* absolvere », dicendum videtur : posse quidem Episcopum, absentem e diœcesi, absolvere pœnitentem in diœcesi exsistentem, sed non vice versa. — *Cf. Gury-Ballerini, n. 954.*

1588. **XI. Etiam invitus valide absolvi potest:** quandoquidem censura non est peccatum, sed *pœna*, quæ, sicut infligi, ita auctoritate Superioris *auferri* potest, cujus jurisdictio non pendet a voluntate inferioris.

Hoc tamen fieri non expedit absque ratione gravi, ne, dum ille a contumacia non cessat, censura contemptui habeatur. — *S. Lig., lib. 7, num. 117.*

1589. **XII. Absolutio quandoque datur ad cautelam,** nempe:

a) Cum *incertum* est num aliquis ob factum censuram contraxerit.

b) Cum agitur de *gratia* vel *favore* alicui impertiendo, cujus adeptioni censura a jure lata et ignorata *impedimentum afferret*, ob eamque causam ne quis concessis favoribus et gratiis careat.

1º Ea absolutio *ad cautelam*, in omnibus *rescriptis* et *bullis Apostolicis* tribuitur. — Hujusmodi autem absolutiones effectum habent pro iis solum negotiis pro quibus conceduntur, nempe *ad effectum præsentium*, ex. gr. ut beneficium valide obtineatur. — *Cf. n. 416.*

Ordinarius, qui dispensationem matrimonialem vi alicujus *Indulti* concedit, clausulam absolutionis *ad cautelam* laudabiliter præmittet, etiam in casu quo nullam prævidet censuram ab oratoribus fuisse contractam. — *S. Pœnitentiaria, 2 jun. 1891.*

2º Item sacerdotes, in administrando *Pœnitentiæ sacramento*, eamdem absolutionem a censuris præmittunt, antequam a peccatis absolvant.

1590. **XIII. Ille qui pluribus censuris adstringitur, potest ab una absolvi, remanentibus aliis,** quia non est inter eas necessaria connexio.

Peccata quidem *mortalia* absolvi alia sine aliis nequaquam possunt; secus autem est de *censuris*, quarum absolutio non confert gratiam sanctificantem. — Unde,

a) Qui unam censuram exposuit Superiori, a qua absolvi postulat, *obnoxius remanet cœteris* quibus forte in-

nodatur, nisi Superior *intendat*, suamque mentem ea de re exprimat, ab omnibus aliis, si quæ sint, absolvere.

Confessarius hanc intentionem manifestat, quoad omnes censuras quæ sui juris sunt, dum profert formulam consuetam : « *Te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti, in quantum possum et tu indiges* ».

b) Absolutio a censuris potest *separari* ab absolutione a peccatis. — Et communis sententia est, eum qui habet potestatem absolvendi « *in foro conscientiæ* », posse id præstare etiam *extra confessionem;* hæc verba enim nihil aliud significant nisi quod absolutio hæc non prosit pro *foro externo,* in quo habebitur tanquam non absolutus, et punietur omnibus pœnis a jure statutis. — *S. Lig., lib. 7, num. 126.*

Usus hujus doctrinæ est, quando reus non est *paratus ut statim confiteatur,* et adsunt causæ ob quas expediat eum statim a censuris absolvi.

Idemque dici posset : quando ei qui habet potestatem absolvendi a censuris reservatis *non vacaret audire integram confessionem;* tunc enim posset audire solos casus qui censuram adnexam habent, et ab ea absolvere, pœnitentemque mittere ad alium qui, audita confessione, absolveret a peccatis. — *Coninck, apud Gury-Ballerini, n. 954.*

c) Si in rescripto S. Pœnitentiariæ non concedatur facultas absolvendi nisi *audita prius confessione sacramentali*, curandum quidem est ut pœnitens ad peccatorum absolutionem *disponatur*. Nihilominus validæ sunt absolutiones a censuris, dummodo saltem præcesserit *accusatio*, seu confessio peccatorum, quæ *sacramentalis* sit. — *S. Pœnit., 4 jan. 1839. — Cf. n. 497.*

1591. **XIV. Nulla est solemnitas jure præscripta ad validitatem absolutionis.**

a) Cum Suarezio adnotamus « in hujusmodi absolutionis modo, maxime servandam esse *consuetudinem receptam et probatam;* nam multæ ex antiquis cæremoniis in desuetudinem abierunt ». — *Disp. 7, sect. 10, num. 4.*

b) Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato *certa forma* sit præscripta, illa omnino servanda est.

c) Si vero in mandato seu commissione dicitur : « *In forma Ecclesiæ consueta absolvat* », servanda sunt quæ habentur in Rituali Romano, *tit. De absolut. ab excommunicat. in foro exteriori; et tit. De modo absolvendi a suspensione, vel ab interdicto.*

d) Intra *confessionem sacramentalem*, confessarius absolvit juxta formam communem.

1592. **XV. Absolutio data ex errore vel dolo substantiali circa causam principalem, non valet :** siquidem Superior absolvere non intendit nisi *subsistente causa finali* sibi proposita.

Et, si absolutio obtineatur *vi* aut *metu* injuste incusso, est jure canonico irrita. — *Cap. Absolutionis, De iis quæ vi, metusve causa fiunt, in 6°.*

1593. **XVI. Utrum, ante debitam satisfactionem, dari possit absolutio a censuris?**

a) Certum est eam *illicitam* esse, tum ob injuriam parti factam, tum quia sic absolvens violat juris ordinem præscribentis satisfactionem præmitti, si fieri possit.—*Schmalzgrueber, in tit. De sent. exc., n. 101.*

Quod si tunc non possit satisfacere absolvendus, eo modo quo *de præsenti* potest satisfaciat, id est exhibendo sufficientia pœnitentiæ signa, et firmum satisfaciendi propositum, nisi pars læsa injuriam remittat. — *Cf. Suarez, De censuris, disp. 7, sect. 5, n. 41.*

b) Ideo etiam necesse est ut absolvendus *scandalum*, si opus fuerit, reparaverit, vel saltem *paratus sit* illud quam primum reparare meliori modo quo potest.

Item *occasionem peccandi proximam voluntariam* tollat, vel saltem remotam faciat; sic libros prohibitos, sectæ damnatæ insignia absolventi tradat vel comburat. — *Cf. num. 1659.*

Et quando absolutio, in casu urgentis necessitatis, a non

habente facultatem *sub onere* datur, exigenda est *promissio* adeundi Superiorem, sive per se sive per litteras, infra tempus a jure determinatum. — *Cf. n. 1580 et seq.*

c) Quod vero attinet ad *validitatem* absolutionis, parte non satisfacta :

1º Omnes consentiunt *validam* esse absolutionem si conferatur ab *Ordinario; invalidam* vero esse a *delegato* collatam, si satisfactio partis injungatur tanquam *conditio:* nam facultas cum conditione delegata non conceditur, et idcirco non valet, *conditione non purificata.*

2º Controvertitur vero utrum, quando a Pontifice datur facultas absolvendi cum hac clausula « *satisfacta parte* », hæc accipienda sit tanquam conditio *sine qua* non conceditur facultas. — *Cf. Gury-Ballerini, num. 955.*

CAPUT III.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Agendum est : de natura et divisione excommunicationis; — et de ejusdem effectibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET DIVISIONE EXCOMMUNICATIONIS.

1594. **I. Excommunicatio est censura ecclesiastica separans a communione fidelium**, ut ex ipso *nomine* innuitur.

Hinc patet excommunicationem esse omnium censurarum *gravissimam*, per quam fidelis, non hoc vel illo spirituali bono privatur, sed tanquam putridum membrum ab Ecclesia *abscinditur*, atque a fidelium communione et consortio separatur. — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 10, cap. 1.*

Et ideo iste « excommunicationis gladius *nervus* est ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in officio populos valde salutaris ». — *Trid., sess. 25, cap. 3, De ref.*

1595. **II. Duplex olim distinguebatur excommunicatio : alia major, alia minor.**

a) *Minor excommunicatio* illa erat quæ contrahebatur per communicationem in civilibus cum excommunicato *vitando*, et privabat tantum perceptione sacramentorum, et voce passiva ad beneficia et dignitates ecclesiasticas. — *Cap. 10, De clerico excommunicato.* — *Cf. n. 1619.*

Verum, ex constit. *Apostolicæ Sedis* præfatam excommunicationem *fuisse sublatam*, Auctores censent communiter, eo quod hujus excommunicationis nulla mentio in dicta constitutione habeatur; et S. C. S. Officii hanc sententiam *tuto doceri posse* declaravit, *die 10 dec. 1883.*

b) *Excommunicatio major* quandoque appellatur *anathema* : quod vocabulum, juxta vim nominis, maledictionem

seu exsecrationem significat; et usurpatur, sive pro excommunicatione lata ob *hæresim*, utpote maxima separatione ab Ecclesia; sive pro excommunicatione *solemniter* lata, videlicet cum solemnitatibus et cæremoniis ab Ecclesia institutis ad ostendendam perpetrati sceleris enormitatem.

1597. **III. Excommunicati excommunicatione majori : alii sunt tolerati, alii vero vitandi.**

a) Jure antiquo, quicumque excommunicationem *majorem*, sive *ab homine*, sive *a jure* latam, incurrissent, *vitandi* erant : cum eo solo discrimine, quod illi quorum excommunicatio publica ac notoria erat, *publice* essent vitandi; ii vero quorum excommunicatio publice non erat nota, tantum *privatim* vitandi ab iis essent qui conscii erant. — Cujus disciplinæ vestigium exstat in *cap. Cum non ab homine, 14, De sent. excomm.*

b) Verum, ad præcavenda varia peccata et scandala, *Martinus V*, in sua celebri constitutione *Ad vitanda scandala*, Christifidelibus indulsit ut, secluso scandalo vel propriæ perversionis periculo, nemo teneretur ab alicujus communione abstinere, vel aliquem vitare, nisi sententia aut censura fuerit « *a judice publicata vel denuntiata specialiter et expresse* »; vel nisi quis « *pro sacrilega manuum injectione in clericum*, in sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit ulla tergiversatione *celari*, nec aliquo suffragio *excusari* ».

Hodie igitur vitandi non sunt nisi excommunicati *nominatim publice* denuntiati, et *notorii inexcusabilesque* clericorum percussores. — *Cf. n. 1657.*

Imo, non desunt qui teneant exceptionem pro casu percussionis clericorum, diuturna consuetudine, saltem in Galliis, obsolevisse. — *Cf. Avanzini, in constit. Apostolicæ Sedis, append. 2.* — *Icard, Prælect., num. 771.*

c) Hæc *Martini V* distinctio inter *toleratos* et *vitandos*, inducta est tantummodo *in commodum fidelium*, et Pontifex « per hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari ».

Unde, communis doctrina est ex præfata constitutione

nihil commodi, quod jure sibi vindicare possint, *censuratis* obvenire.

1598. **IV. In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam** penitus prohibuit Innocentius III, volens « animarum periculum vitare quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret *innoxios* hujusmodi sententia irretiri; sed in illos dumtaxat de collegio vel universitate quos culpabiles esse constiterit, promulgetur ». — *Cap. Romana, 5, De sent. exc., in 6°.*

Ratio est, quia bona quibus principaliter privat excommunicatio sunt *personalia;* ergo infligi non debent nisi ob culpas *personales.*

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS.

Effectus excommunicationis : alii sunt *immediati*, alii vero *mediati.*

Effectus excommunicationis *mediati* sunt : 1° *Irregularitas*, quam incurrit quisquis, majori excommunicatione innodatus, exercet actum alicujus ordinis, v. gr. conferendo sacramenta (*Cf. num. 332*) ; — 2° *suspicio hæresis*, quam ille incurrit qui toto anno contumaciter in excommunicatione insordescit. Nam ille præsumitur male sentire de potestate Ecclesiæ, dum nihil curat, tum de censuris ab ea latis, tum de sacramentis quæ, contra Ecclesiæ præceptum, ab eo omittuntur. (*Trid., sess. 25, cap 3, De ref.*) — *Cf. n. 1710.*

Effectus excommunicationis *immediati*, his versiculis exprimuntur :

Res sacræ, ritus, communio, crypta, potestas,
Prædia sacra, forum, civilia jura vetantur.

§ I. DE PRIVATIONE SACRAMENTORUM.

Excommunicatio privat jure, tum sacramenta *recipiendi*, tum ea *administrandi.*

1599. **I. Quod attinet ad usum sacramentorum passivum :**

a) Excommunicatus, etiam toleratus, *a suscipiendis sacramentis arcetur*, et graviter peccat hanc Ecclesiæ prohibitionem infringens, nisi excuset ignorantia invincibilis,

metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, etc., quia censura non obligat cum tanto incommodo. — *Laymann, apud S. Lig., lib. 7, num. 158.*

b) Quamvis illicite, *valide* tamen excommunicatus *sacramenta recipit,* excepta *Pœnitentia.*

Imo, etiam hoc sacramentum validum erit, si pœnitens alias dispositus *bona fide* accedat. Quod fieri potest : vel quia *ipse,* ex inculpabili ignorantia aut oblivione, censuram non manifestat : vel quia *sacerdos* censuram peccato adnexam non advertit, aut etiam advertens, et quidem reservatam, ex malitia absolvit pœnitentem qui putat sacerdoti non deesse absolvendi facultatem. — *S. Lig., loc. cit., num. 158 et 159.*

c) *Minister* a quo sacramenta conferuntur excommunicatis,

1° Peccat quidem contra *jus divinum,* dans sacramentum indigno, sed non contra *legem Ecclesiæ,* si excommunicatus sit *toleratus :* quia Ecclesia hodie non prohibet communionem, etiam in divinis, cum excommunicatis toleratis.

2° Verum, si excommunicatus sit *vitandus,* non solum minister violat *legem Ecclesiæ,* sed incurrit *excommunicationem* Summo Pontifici reservatam, quando sacramenta ministrat *nominatim a Romano Pontifice* excommunicato. — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 2, num. 17.* — *Cf. n. 1604.*

3° Præterea, scienter admittentes *nominatim* excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, *interdictum ab ingressu ecclesiæ* ipso jure incurrunt, donec, ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 6, num. 2.*

Nominatim excommunicati hic intelliguntur : qui excommunicati fuerint *a quolibet Ordinario* habente potestatem ferendi censuras. — Docent vero Interpretes, quod si ille qui ad officia seu ecclesiastica sacramenta admittitur, fuerit nominatim *a Papa* excommunicatus, locum habet tantummodo excommunicatio reservata S. Pontifici. Si autem ille qui admittitur est excommunicatus nominatim *ab Episcopo,*

viget tantummodo interdictum ab ingressu ecclesiæ eidem Episcopo reservatum.

1600. **II. Quoad activum autem sacramentorum usum et administrationem :**

a) *Valide* excommunicatus *administrat* sacramenta, excepto sacramento *Pœnitentiæ* si sit vitandus.

Equidem potestas *ordinis* inamissibilis est; sed ad sacramentum Pœnitentiæ requiritur in ministro potestas, non solum ordinis, sed etiam *jurisdictionis*, qua ille privatus est ab Ecclesia. — *Cf. n. 1610.*

1º Ex eadem ratione, *parochus vitandus* nequit alteri *delegare* jurisdictionem ad confessiones suorum audiendas. — *S. Lig., lib. 7, num. 166 et 167.*

2º *Valide* tamen, imo et *licite,* sacramentum *Pœnitentiæ* conferret, *in articulo mortis,* excommunicatus etiam vitandus, si alius sacerdos desit, ne scilicet in hac occasione aliquis pereat. — *S. Lig. loc. cit., n. 168.*

b) *Licite* semper excommunicatus *toleratus* administrat quæcumque sacramenta *quoties requisitus est a fidelibus,* modo alioquin sit *in statu gratiæ,* et absolutionem a censura prius obtinere non potuerit.

Ut autem *fideles* id licite petant, licet quidam requirant magnæ saltem utilitatis causam, alii tamen ne hoc quidem necessarium putant, ob facultatem concessam a concilio Constantiensi cum talibus communicandi. — *S. Lig., loc. cit., num. 165.*

Et, si occurrat *dies festus,* nec alius sacerdos sit qui Missam pro populo dicat, probabiliter poterit toleratus celebrare etsi *expresse* non rogetur, quia juste *præsumitur* populum petere Missam ad præceptum implendum; nisi alias hoc scandalum afferret. — *Ibid., num. 169.*

Si vero fidelium petitio, saltem tacita, desit, etiam toleratus graviter peccat; et, ob sacri ordinis exercitium, *irregularitatem* incurrit. — *Cf. n. 332.*

c) *Absque necessitate* non potest *vitandus* licite sacramenta ministrare, etiamsi a fidelibus requiratur. — Secus *irregularitatem* incurrit.

Et, in casu *collationis ordinum,* præsumentes ordinem recipere ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto *nominatim* denuntiatis, *suspensionem* ab ordine suscepto, S. Pontifici reservatam, *ipso jure* incurrunt; illi vero qui *bona fide* a quopiam eorum ordinati sunt, exercitium non habent ordinis sic suscepti. — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 5, num. 6.*

1° Excusatur tamen vitandus quando, si sacramentum non conferat, *periculum* mortis, mutilationis, infamiæ, gravis bonorum jacturæ incurrat; tunc enim, nisi in contemptum censuræ comminatio ista fiat, potest sacramenta ministrare *licite* quæ potest *valide :* quia scilicet non præsumitur Ecclesia, pia mater, velle suis legibus *cum tanto dispendio* obligare. — *Schmalzgr., De sent. excomm., num. 144; — S. Lig., lib. 7, num. 170.*

2° Insuper, causa *necessitatis,* censent Doctores excommunicatum vitandum, non modo posse *Baptismum* periclitanti conferre, sed etiam *Eucharistiam* vel *Extremam Unctionem,* quando moribundus sacramentum Pœnitentiæ non potest suscipere; quia, cum sacramentum quodlibet ex attrito facere possit contritum, continget aliquando, ob receptionem Eucharistiæ vel Extremæ Unctionis, *obtineri salutem,* quæ non obtineretur, his sacramentis non receptis. — *Schmalzgr., loc. cit., n. 145; — S. Lig., n. 170.*

3° Imo, addunt graves Doctores Eucharistiam vel Extremam Unctionem a vitando dari licite posse ægroto, *etiamsi sacramentum Pœnitentiæ hic receperit.*

Ratio est, quia maxime necessarium est ut adjuvetur ægrotus, viresque inde recipiat ad suggestiones dæmonis in eo articulo superandas. — *Schmalzgr., loc. cit., num. 146; — Gury-Ballerini, num. 960.*

4° Tandem, *parochus,* etiam vitandus, quamvis *illicite* ageret *matrimoniis* adsistendo, *licite* tamen, ex probabiliori sententia, *alteri* præberet adsistendi licentiam. — *Cf. S. Lig., lib. 7, num. 166; — lib. 6, num. 1082 et seq.*

§ II. De privatione divinorum officiorum.

Per *officia divina* intelliguntur Missa, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, et cætera adnexa ordini clericali quæ solemniter fiunt, excepta concione.

1601. **I. Quilibet excommunicatus prohibetur, sub gravi, divinis officiis proprie publicis interesse,** *etiam diebus præceptis*, nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandalum, aut alia justa causa. — *Cap. Alma mater, 24, De sent. excomm., in 6o.*

a) Imo, si excommunicatus *vitandus* præsens sit dum Missæ sacrificium celebratur, monendus est ut exeat, aut etiam vi cogendus, si opus fuerit.

b) Si tamen gravius inde timeatur *incommodum*, omittendum est officium, etiam die festo; et celebrans, *nondum inchoato canone*, debet abrumpere Missam; *si inchoavit*, potest, cæteris abeuntibus, sacrum prosequi, vel abrumpere, ob sententiæ utriusque probabilitatem; *si vero consecravit*, debet, solo ministro manente, pergere usque ad communionem inclusive, et reliqua perficere in sacristia vel alio decenti loco. — *S. Lig., lib. 7, num. 177.*

1602. **II. Tempore quo non celebrantur divina officia,** potest excommunicatus, etiam vitandus, ecclesiam ingredi *ad privatim orandum.*

a) Potest etiam uti *sacris imaginibus* et *reliquiis Sanctorum;* non tamen lucratur *indulgentias* hisce rebus sacris adnexas.

Neque ipsi prohibetur usus *aquæ benedictæ* et aliorum *sacramentalium*, non quidem ut participet fructum quem illa producunt ex benedictione Ecclesiæ, sed tantum ut ea veneretur. — *S. Lig., loc. cit., num. 174.*

b) Potest audire *concionem*, sive lectionem Theologiæ, vel Scripturæ Sacræ; ipse autem excommunicatus nequit *concionari* aut *legere,* nisi sit *toleratus* et ab aliis *rogetur*

expresse vel implicite, ut si ad hoc ex officio teneatur. — *S. Lig., ibid., num. 177.*

1603. **III. Excommunicatus non peccat mortaliter omissione sacri,** nisi *negligens* sit in obtinenda absolutione, animo se eximendi ab obligatione sacrum audiendi. — *S. Lig., loc. cit., num. 161 et 177.*

a) Secus vero dicendum est de *annua confessione* et *communione*, cum hoc sit unum ex præceptis *divinis* erga quæ tenemur tollere impedimenta. — *S. Lig., ibid.*

b) Si ad *horas canonicas* obligatus est, non excusatur ab eis, sed eas privatim recitare debet, omittendo « *Dominus vobiscum* », cujus loco dicit « *Domine, exaudi orationem meam* ». — *S. Lig., ibid., num. 178.*

1604. **IV. Excommunicationi latæ sententiæ, simpliciter Romano Pontifici reservatæ, subjacent** « Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice *nominatim* excommunicatis, et ipsas in officiis recipientes ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 2, num. 17. — Cf. cap. Significavit, 18, De sent. exc.*

a) *Nominatim* a Papa *excommunicatus* dicitur quem S. Pontifex nominatim excommunicat *particulari* excommunicatione, vel nominatim denuntiat excommunicatum *generali* excommunicatione latæ sententiæ.

b) Si quis *ab Episcopo* nominatim fuerit excommunicatus, scienter eum admittens ad divina officia, *interdictum ab ingressu ecclesiæ* ipso jure incurrit, donec ad arbitrium ejusdem Episcopi competenter satisfecerit. — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 6, num. 2. — Cf. n. 1599.*

§ III. DE PRIVATIONE SUFFRAGIORUM COMMUNIUM ECCLESIÆ.

1605. **I. Suffragia Ecclesiæ sunt communia, vel privata.**

a) *Suffragia communia* ea sunt quæ fidelibus proveniunt ex Missa, horis canonicis aliisque orationibus et operibus quæ fiunt ab Ecclesiæ ministris, prout *tales* sunt, et *nomine ipsius Ecclesiæ* aguntur.

Ad hæc etiam revocari debent satisfactiones Christi, Beatæ Virginis et Sanctorum, quæ *thesaurum Ecclesiæ* constituunt, et a Prælatis Ecclesiæ per *indulgentias* applicantur.

b) *Suffragia privata* sunt bona opera, ut jejunia, orationes, etc., quæ a privatis fidelibus, vel Ecclesiæ ministris ceu *personis privatis* fiunt.

1606. **II. Suffragiis Ecclesiæ communibus privantur excommunicati, saltem vitandi.**

Ratio est, quia Ecclesia prohibet ne pro illis oretur, vel ulla pars bonorum suorum ad eos deveniat.

a) Et hoc valet etiamsi essent *contriti*, nec per ipsos stet quominus absolvantur, juxta sententiam quæ S. Ligorio longe probabilior visa est, ex *cap. A nobis, 28, De sent. exc.*, ubi dicitur quod excommunicatus, « quamvis apud Deum absolutus fuisse credatur, nondum tamen habendus est *apud Ecclesiam* absolutus ». Ideoque, juste vult Ecclesia ut non remittatur *vinculum* a se positum, nisi illud per *absolutionem* ab ipsamet auferatur. — *S. Lig., lib. 7, num. 163.*

b) Hæc privatio intelligenda est etiam de *defunctis* qui mortui sunt in excommunicatione. — *Cf. cap. A nobis, 28, De sent. excommunicationis.*

c) Diximus : *saltem vitandi;* — quia excommunicati *tolerati* non privantur suffragiis Ecclesiæ communibus, ut probabiliter tenet S. Ligorius, *loc. cit., num. 164.*

Ratio est, quia leges *favorabiles* cum omni amplitudine intelligendæ sunt; dum igitur fidelibus concessum fuit *communicare cum toleratis*, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre, nam communicare id etiam importat, ut habetur ex *cap. 28 et 38, De sent. excommunic.*

1607. **III. Non tamen privatis suffragiis excluduntur excommunicati, sive tolerati, sive vitandi.**

a) Unde, non tantum *quivis privatus*, sed etiam *sacerdos* potest, tanquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus et Missæ sacrificio.

b) Imo, actionem sacrificandi prout pendet a *merito privato* operantis, pro ipsis offerre, ideoque ob illam propriam privatam intentionem *eleemosynam* accipere potest. — *Cf. Suarez, disput. 9, sect. 1, num. 6.*

§ IV. DE PRIVATIONE SEPULTURÆ ECCLESIASTICÆ.

1608. **I.** « **Sacris est canonibus institutum ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis**, et ut careant *ecclesiastica sepultura* qui prius erant ab ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. » — *Cap. 12, De sepulturis.*

a) Neque aliquid mutatum fuit juri antiquo per constitutionem *Martini V* de excommunicatis non vitandis.

Hæc enim constitutio inducta est *in bonum fidelium*, et proinde ipsos excommunicatos sepultura ecclesiastica indignos reliquit; ideoque *ipse excommunicatus toleratus*, de cujus tamen excommunicatione *publice constat,* privandus est sepultura ecclesiastica. — *Cf. n. 1334.*

b) Si tamen ante mortem manifesta *pœnitentiæ signa* dederit, nec per eum steterit quominus beneficium absolutionis obtinuerit, *post mortem,* ritu ab Ecclesia præscripto, ab illo absolvendus est a quo, dum viveret, fuerat absolvendus. Hac agendi ratione, in uno eodemque negotio, et servatur *rigor*, et disciplinæ ecclesiasticæ *mansuetudo* ostenditur. — *Cap. 28, De sent. excomm.* — *Cf. Rit. Rom., Rit. absolv. excommunicatum jam mortuum.*

1609. **II. Si, contra Ecclesiæ prohibitionem, excommunicatus fuerit in loco sacro sepultus,**

a) Inde, si adhuc fieri potest, *extrahendus* est, præsertim si sit *vitandus,* quo casu locus sacer *polluitur* et proinde indiget reconciliatione. — *Cf. n. 1279 et 1332.*

b) *Excommunicationi latæ sententiæ, nemini reservatæ,* subjacent : « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 4, num. 1.*

1° Hæretici *notorii* sunt qui publice hæresis crimen commiserunt, nec non ii qui *sectæ acatholicæ* adhærent, etsi per nativitatem ei adjuncti sunt, atque in bona fide exsistunt.

Qui sint *nominatim* excommunicati vel interdicti, modo diximus. — *Cf. n. 1604.*

2° Censuram autem non incurrunt *sepelientes*, nec illi qui sepelientibus *operam* præstant. — Ideo *parochus*, mandatis auctoritatis civilis *obtemperans*, et ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos admittens, hanc censuram non incurrit. Incidit tamen in *interdictum latæ sententiæ:* nam,

c) Scienter admittentes ad ecclesiasticam sepulturam *nominatim excommunicatos* (sive a Romano Pontifice, sive ab aliis Ordinariis), *interdictum ab ingressu ecclesiæ* ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. — *Const. Apostolicæ Sedis, tit. 6, n. 2. — Cf. cap. 8, De privileg., in 6°.*

Verbum « *admittentes* » indicat eos ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem, scilicet ad eos spectat qui *regimen* habent ecclesiæ vel cœmeterii. — Ergo, hi tantum interdicto tenentur, non vero *alii clerici* qui, more laicorum, divinis adsunt vel funus comitantur ; neque qui consilium admittentibus vel favorem præstant.

§ V. DE PRIVATIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

1610. **I. Excommunicatus non toleratus privatur usu jurisdictionis.**

Unde, non potest valide *absolvere* in foro Pœnitentiæ, secluso casu necessitatis (*cf. n. 1600*); nec *leges*, *sententias* vel *censuras* ferre ; nec *præsentare*, *eligere* ad beneficia, aut ea *conferre;* et qui beneficium ab excommunicato vitando accipit, dicendus est intrusus, ac proinde tenetur, sine alia juris declaratione, illud una cum fructibus relinquere. — *S. Lig., lib. 7, n. 185. — Cf. Tract. De jurisdict., n. 204, ubi de titulo colorato.*

1611. **II. Excommunicatus toleratus valide jurisdictionem exercet.**

a) Imo, *licite* agit in casu *necessitatis*, et quoties *rogatus* fuerit a fidelibus.

Nam, si excommunicatus rogatus sacramenta ministrando peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus *communicandi* cum excommunicatis toleratis, dum eisdem fidelibus, saltem indirecte, ratione charitatis, prohiberetur communicatio. — Quare, cum fidelibus communicatio cum excommunicatis universe concessa sit, *indirecte* indultum est etiam excommunicatis cum fidelibus petentibus communicare.

b) Hoc tamen currit, si sacramenta petantur *ab excommunicato*, quia, si petantur *a ministro exsistente in mortali*, ad licite petendum requiritur justa causa, nempe necessitas, vel gravis utilitas. — *Cf. S. Lig., lib. 7, n. 139; et lib. 6, num. 88 et seq.*

§ VI. DE PRIVATIONE BENEFICIORUM.

1612. **I. Quilibet excommunicatus, sive toleratus, sive vitandus, inhabilis est ad recipiendum beneficium vel officium ecclesiasticum;**

a) Idque, licet ignoretur excommunicatio, quia ignorantia vincibilis, quamvis excuset a culpa, non tamen supplet defectum *conditionis* requisitæ ad valorem actus. — *Cap. Postulastis, 7, De clerico excommunicato ministrante.*

b) Valida autem est collatio, si Papa *scienter* conferat beneficium excommunicato; vel si in concessione Pontificis adsit *clausula absolutionis a censura* ad effectum valide consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob hæresim quæ non comprehenditur sub generali absolutione. — *S. Lig., lib. 7, num. 180.*

1613. **II. Non tamen ipso facto privatur beneficio jam obtento;** licet possit *per sententiam Judicis* privari,

si in excommunicatione indurato animo perseveret. — *Cf. Trid., sess. 25, cap. 3, de ref.; — et n. 1710.*

§ VII. De privatione communicationis forensis.

Communicatio forensis intelligitur communicatio in iis quæ pertinent ad *judicium*, sive civile, sive ecclesiasticum.

1614. **I. Excommunicatus nequit esse Judex, Advocatus, Actor, Testis, Actuarius, Procurator, etc.**, ita ut contra excommunicatum, etiam toleratum, semper possit Reus excipere. — *Cap. Veniens; et cap. Pia, De except., in 6°. — Cf. Tract. De judiciis, passim.*

Quod si Reus non excipiat, nec Judex eum repellat, *valida* ejus acta erunt, si sit *toleratus;* secus autem dicendum est de Judice non tolerato, cum sit privatus jurisdictione. — *S. Lig., lib. 7, num. 184.*

1615. **II. Nec potest etiam esse Tutor aut Curator, neque testamenti exsecutor.**

Si tamen non fiat oppositio, valide exsequitur. — *S. Lig., loc. cit.*

Imo, in *judicio civili*, privatio communicationis forensis non amplius locum habet. « Consuetudine jam communi, excommunicati non privantur forensi communione. » — *Sacra Pœnitent., 5 jul. 1867.*

§ VIII. De privatione societatis civilis.

1616. **I. Excommunicatus privatur omni alia civili communicatione fidelium,** ita ut *ipse* non possit *cum aliis*, et, si non toleratur, etiam *alii cum ipso* non possint communicare; idque in casibus hoc versu comprehensis :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

a) Dicitur *os :* per quod intelligitur omne colloquium etiam privatum, imo, per litteras aut internuntium; et quodvis signum benevolentiæ, ut missio vel acceptio munerum.

b) Dicitur *orare* : id est communicatio in divinis, de qua supra. — *Cf. n. 1601 et seq.*

c) Dicitur *vale* : quod significat salutationem honorificam saltem verbalem; sed probabiliter non comprehendit resalutationem, quia est solutio debiti. — *S. Lig., loc. cit., num. 192 et seq.*

d) Dicitur *communio* : id est quælibet societas negotii, habitationis, contractus, cooperationis, etc.

e) Dicitur *mensa* : quod comprehendit convictum, convivium per modum societatis; non vero cibi sumptionem in eodem diversorio, licet ad eamdem mensam : ibi enim unusquisque sibi intendit; item secus si quis *casu conveniat* cum excommunicato in eadem domo, itinere, vel mensa. — *Cf. S. Lig., ibid., num. 195.*

1617. **II. Utrum mortale sit frequenter communicare in civilibus cum excommunicato vitando, controvertitur.**

Illi autem qui dicunt hanc communicationem esse *de se* materiam gravem, fatentur ad peccandum graviter non sufficere si quis frequenter, etiam per longum tempus, sejunctim communicet cum excommunicato, sed requiri ut tales communicationes sint *connexæ* saltem per modum unius objecti voliti, nempe cum is habet *propositum* formale aut virtuale, seu *quasi ex habitu,* sæpius communicandi longo tempore cum excommunicato, vel adsciscat eum sibi in socium vel famulum. — *S. Lig., n. 198.*

1618. **III. Imo, aliquando licet in civilibus cum vitando communicare,** nempe in *quinque casibus* sequenti versiculo expressis :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

a) « *Utile* » intelligitur de utilitate, tum spirituali, tum temporali, sive *ipsius excommunicati*, v. gr. ut convertatur, sive *alterius*, v. gr. ut ab excommunicato consilium petat, aut ab eo restitutio vel debitum ex contractu exigatur.

b) « *Lex* » intelligitur de lege *matrimonii*, qua licet uxori communicare cum marito excommunicato.

Disputatur vero utrum hæc communicatio fieri possit *in divinis*. — Verior sententia negat, quia, in *cap. 31, De sent. excommunic.*, Innocentius III non permittit communicationem nisi quatenus est *necessaria* ad præstandum obsequium debitum; uxori autem, ut præstet obsequium debitum, minime est necessarium quod cum eo communicet in divinis. — *S. Lig., lib. 7, num. 202.*

c) « *Humile* » significat *subjectionem*, qua ratione possunt communicare *filii* etiam emancipati, item filii adoptivi, imo etiam *nepotes* et pronepotes, et in eodem gradu affines; item *servi* et *ancillæ*, si ante excommunicationem fuerint in servitio. — *Cap. Quoniam, et cap. 34, De sent. excommunicationis.*

Sic pariter *milites* possunt communicare cum duce excommunicato. Itemque *Religiosi* cum suis Prælatis excommunicatis. — *S. Lig., ibid., num. 203.*

d) « *Res ignorata* » : nempe ignorantia juris vel facti.

1º Certum est quamlibet ignorantiam aut inadvertentiam inculpabilem, sive *juris*, sive *facti*, excusare communicantes cum excommunicato. — *Cap. Quoniam, c. 11, q. 3.*

2º Controvertitur utrum excuset ignorantia *culpabilis* et *crassa*. Sententiam affirmantem, quæ nititur cit. cap. *Quoniam*, ut satis probabilem habet *S. Alphonsus, loc. cit., num. 205.*

3º Advertendum est neminem teneri excommunicatum vitare, nisi moraliter ei *constet* illum esse vitandum, vel ad minus hoc sciat per publicam famam, vel per testimonium duorum saltem fide dignorum.

In dubio tamen an quis sit vitandus, non licet ab eo suscipere sacramentum *Pœnitentiæ*, propter periculum illud invalide percipiendi. — *S. Lig., ibid., num. 207.*

e) « *Necesse* » : excusat scilicet quævis necessitas gravis sive animæ, sive corporis, sive bonorum temporalium, ex parte sive ipsius communicantis, sive excommunicati, sive aliorum. — *Cap. Si vere, 34, De sent. excomm.*

Sic pariter excusat necessitas per coactionem *metus*, quia

lex humana non obligat cum gravi incommodo. — *S. Lig., ibid., num. 206.*

1619. **IV. Violatio hujus prohibitionis,**

a) Olim inducebat *excommunicationem minorem* quæ, ex communi sententia, hodie, post constitutionem *Apostolicæ Sedis*, non subsistit. — *Cf. n. 1595.*

b) Manet vero excommunicatio major, eaque simpliciter Romano Pontifici reservata, cui subjacent « Communicantes cum excommunicato *nominatim* a Papa *in crimine criminoso*, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 2, num. 16.*

Æquum est enim ut « facientem et consentientem par pœna constringat », ut dicitur in *cap. Nuper, 29, De sent. excommunicationis.*

1° Qui sint *nominatim* a Papa excommunicati, diximus ubi de communicatione in divinis, *n. 1604.*

2° Hæc verba « *in crimine criminoso* » intelligenda sunt de *eodem crimine* sive contumacia *propter quam* lata est excommunicatio; ex. gr. si quis, post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum, etc., impendit ei auxilium aut consilium ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione.

1620. **V. Licet tolerantia inducta sit in favorem fidelium,** ut possint cum excommunicatis communicare, *excommunicatis* autem *non faveat* privilegium Martini V, ex hodierna tamen *consuetudine*, isti amplius non peccant in civilibus communicando cum fidelibus, etiamsi ab ipsis non fuerint requisiti. — *Gury, num. 969.*

CAPUT IV.

DE SUSPENSIONE.

Agendum est : de natura et divisione suspensionis; — et de ejusdem effectibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET DIVISIONE SUSPENSIONIS.

1621. **I. Suspensio est** censura qua clericus privatur, ex toto vel ex parte, *usu potestatis ecclesiasticæ* quam habet ratione *ordinis*, *officii* vel *beneficii.*

a) Hinc, suspensio differt ab aliis censuris, quia suspensio in *solos clericos* ferri potest, qui sunt capaces potestatis ecclesiasticæ; dum excommunicatio et interdictum ferri possunt, tum in clericos, tum in laicos.

Differt speciatim ab *excommunicatione,* qua quis *omnium* bonorum spiritualium usu privatur; dum suspensus privatur tantum *ecclesiasticæ potestatis* exercitio.

b) Suspensio, alia est *totalis*, alia *partialis.*

1° Suspensio *totalis*, est illa qua clericus arcetur ab omni functione vel exercitio juris ecclesiastici.

Si suspensio *absolute* feratur absque ulla determinatione, nec aliud ex contextu colligi queat, censetur *totalis*, ideoque privat *omni usu* ordinis, officii et beneficii.

2° Suspensio *partialis,* est ea quæ ab ordine tantum, vel ab officio, vel a beneficio suspendit; et hæc iterum in suspensionem *totalem* aut *particularem* ordinis, officii vel beneficii, subdividi potest. — *Cf. n. 1624 et seq.*

1622. **II. Distinguitur quoque suspensio medicinalis a suspensione pœnali.**

a) Suspensio *medicinalis* afficit clericum delinquentem ut resipiscat, et est censura proprie dicta.

Suspensione autem *pœnali* clericus plectitur in vindictam

delicti; et hæc fertur, vel ad *certum tempus,* vel *in perpetuum,* ad puniendam culpam mere præteritam, ut constat ex Ecclesiæ praxi. — *Cf. n. 1558.*

b) Disputatur utrum *irregularitas* contrahatur ex violatione suspensionis *pœnalis*. Plerique affirmant *alterutrius suspensionis* violationem per usum sacrorum ordinum inducere irregularitatem. — *Cf. n. 332.*

Re quidem vera, violatio *pœnæ* vel *privationis*, ex generali principio, neminem facit irregularem. Sed pro suspensione pœnali specialiter cautum est ut ejus violatio irregularitatem inducat. — Quod probatur ex *cap. Cum æterni, 1 De sententia et re judicata;* — ex *cap. Cum medicinalis, 1 De sent. exc., in 6°;* — ex declarationibus S. C. C., *ex. gr. in Lucion., 8 apr. 1848;* — et ex communiori Doctorum sententia.

1623. **III. Suspensio ferri potest in communitatem,** ut Capitulum, conventum, etc.

a) Quando suspensio fertur in solam communitatem, non afficit *singulas personas* quoad munia particularia, sed tantum quoad officia vel beneficia totius communitatis.

b) Si vero suspensio fertur in communitatem et in singulas ipsius personas, tunc non afficit *innocentes*, sed tantum *delinquentes,* « cum peccata suos auctores tenere debeant, ne pœna sit ulterius protrahenda quam delictum fuerit in excedente repertum ». — *Cap. Quæsivit, De his quæ fiunt a majori parte Capituli.* — *S. Lig., n. 317.*

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS SUSPENSIONIS.

1624. **I. Suspensio ab ordine,**

a) Est quandoque *totalis* quoad exercitium cujusvis ordinis sacri, si nempe alicui universim interdicatur sacris functionibus ordinum.

b) Sed haud raro suspensiones latæ in jure præfiniunt

in specie aliquam functionem sacrorum ordinum, v. gr. collationem ordinum, usum pontificalium, exercitium ordinis ultimo suscepti, etc.

Si quis igitur suspensus est ab ordine *superiori,* poterit exercere ordinem *inferiorem;* et suspensio a determinato *actu* ordinis, v. gr. a celebratione Missæ, privat eo tantum actu. — *Cf. S. Lig., lib. 7, num. 312 et seq.*

1625. **II. Suspensio ab officio,**

a) Intelligi potest *absolute,* et sic comprehendit omne exercitium potestatis ecclesiasticæ, sive ratione ordinis, sive ratione jurisdictionis.

b) Potest etiam intelligi de *sola jurisdictione,* aut etiam de *aliqua ejus parte.*

Quantitas autem et qualitas suspensionis colligi debent *ex verbis* quibus fertur, quæ, utpote in re *odiosa,* non sunt amplius extendenda quam proprie sonant.

1626. **III. Suspensus ab officio non ideo suspenditur a beneficio.**

a) Licet enim hæc duo, *officium* nempe et *beneficium,* sint aliquatenus connexa, et unum datum sit propter alterum, possunt tamen ab invicem *separari,* ut concluditur ex *cap. Cum medicinalis, 1, De sent. excomm., in 6°; — et cap. Inter sollicitudines, 10, De purgat. canonica, etc.*

Revera, nihil obstat quominus clericus possit percipere fructus beneficii dum interdicitur officio; ipsi namque incumbit, durante etiam suspensione, *onus* recitandi horas canonicas, beneficium administrandi, et providendi de substituto qui obligationibus officii satisfaciat.

b) Imo, non desunt qui doceant suspensum ab officio posse sibi retinere fructus quos percepit ex eodem officio a quo suspensus est inique exercito.

Nam, ut aiunt, nullibi habetur quod suspensus *exercens officium a quo suspensus est,* fructibus tali officio respondentibus ipso jure privetur.

1627. **IV. Suspensio a beneficio non privat ipso beneficio,** nec potestate exercendi relativum officium,

quod proinde suspensus præstare debet. Sed privat jure *percipiendi fructus beneficii*, et jure *ipsum administrandi*. — *Cap. Statuimus, 1, De electione, in 6o.*

a) Unde, suspensus a beneficio non potest in conscientia ejusdem fructus sibi retinere, sed debet illos *restituere* absque alia judicis sententia, licet censura sit occulta.

b) Nomine fructuum beneficii comprehenduntur omnes temporales redditus qui ratione beneficii conferuntur, et quotidianæ distributiones. Stipendia autem quæ *nullo modo sunt adnexa beneficio*, ut eleemosynæ Missarum, etc., suspenso non auferuntur.

1628. **V. Utrum suspensio a beneficio inducat inhabilitatem ad recipiendum aliud beneficium,** *disputant Auctores.*

a) Omnes docent *illicitam* fore collationem beneficii clerico suspenso, quod deducitur ex *cap. Cum dilectus, 8, De consuetudine.*

b) Sed probabilius Suarez, Layman et alii, dicunt talem collationem esse quidem *irritandam*, sed non esse *de se irritam*. Ratio est, quia nulla pœna debet infligi nisi sit in jure expressa; nullibi autem hæc pœna habetur. — *S. Lig., lib. 7, num. 316.*

1629. **VI. Clericus suspensus absolvi potest a peccatis per simplicem confessarium,** antequam a suspensione *reservata* per Superiorem absolvatur, quia suspensio non privat *susceptione sacramentorum*, si excipias promotionem ad ordinem superiorem.

a) Ob eamdem rationem, non desunt qui teneant simplicem confessarium non posse absolvere *in articulo mortis* a suspensione reservata, quia scilicet nulla cogit necessitas.

b) Alii vero dicunt sacerdotem in hoc casu moribundum absolvere posse, quia concilium Tridentinum generaliter et indistincte dicit « *a quibusvis censuris* » ; ideoque, cum nullam censuram excipiat, nostrum non est distinguere ubi lex Concilii non distinguit.

1630. **VII. Suspensus, exercens actum a quo suspensus est,**

a) *Graviter peccat*, nisi ignorantia invincibilis aut alia justa causa excuset. Ratio est, quia in re gravi violat Ecclesiæ præceptum.

b) Imo, suspensus ab ordine, si actum ordinis sacri a quo suspensus est exerceat, fit *irregularis*. — *Cf. n. 332.*

CAPUT V.

DE INTERDICTO.

Agendum est : de natura et divisione interdicti ; — et de ejus effectibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET DIVISIONE INTERDICTI.

1631. **I. Interdictum est** censura qua *certis personis*, vel *quibusdam in locis*, prohibetur usus divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum, et sepulturæ ecclesiasticæ.

a) Interdicto affinis est *cessatio a divinis*, nempe prohibitio facta clericis abstinendi ab officiis divinis, ab administratione sacramentorum, et a sepultura ecclesiastica, in loco determinato, in signum *mœroris*, vel in *reparationem* gravis injuriæ Deo illatæ.

b) Sed interdictum est *censura;* cessatio autem a divinis, simplex *prohibitio*. — Unde, violatio interdicti, exercitio ordinum sacrorum, inducit *irregularitatem*, quod non accidit in violatione cessationis. — *Cf. Suarez, De censuris, disp. 39, sect. 2, n. 7 et seq.*

1632. **II. Ratione subjecti**, interdictum est *locale, personale* aut *mixtum*.

a) Interdictum *locale* immediate locum afficit; interdictum *personale* immediate afficit personas.

b) Differt autem *locale* a *personali* : quod, in illo, participatio sacrorum officiorum, tum indigenis, tum alienigenis, non absolute, sed *in loco tantum interdicto* prohibetur ; in hoc vero, certis personis, aut communitati, prohibetur *absolute* et in omni loco.

c) Interdictum *mixtum* immediate et locum et ejus incolas afficit.

1633. **III. Ratione extensionis,** interdictum, tam locale quam personale, subdividitur in *generale* et *particulare.*

a) *Generale* est quo, v. gr., integra civitas, provincia vel communitas, interdicitur; *particulare,* quo aliqua particularis ecclesia, aut determinatæ personæ comprehenduntur.

b) Item subdividitur in *totale* et *partiale,* prout omnes indistincte effectus mox enumerandos, vel aliquos tantum habet. — *Cf. n. 1635 et seq.*

1634. **IV. Ratione finis proximi,** interdictum aliquando est *censura* proprie dicta, aliquando vero ut *pœna* mere vindicativa statuitur, quando, v. gr., fertur ad tempus determinatum. — *Cf. n. 1558.*

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS INTERDICTI.

1635. **I. Interdictum privat susceptione et administratione quorumdam sacramentorum,** scilicet Eucharistiæ, Extremæ Unctionis et Ordinis.

a) *Viaticum* potest tamen deferri moribundis (*cap. Quod in te, 11, De pœnitentiis et remissionibus);* — itemque, juxta plures, *Extrema Unctio* ministrari, si moribundus non possit confiteri.

b) *Cœtera sacramenta* omnibus permittuntur, exceptis illis qui aut *specialiter* interdicti sunt, aut interdicto *causam,* etiam auxilio vel favore, dederunt. — Prohibetur tamen solemnis nuptiarum benedictio.

c) Præterea, clerici *specialiter* interdicti, vel qui *causam* interdicto generali dederunt, non possunt sacramenta *ministrare*, excepto casu necessitatis; quo casu etiam ipsis prohibitum est baptizare solemniter.

1636. **II. Tempore et loco interdicti prohibentur divina officia,** inter quæ primum locum obtinet sacrum Missæ sacrificium.

a) *Olim* permittebatur *semel tantum in hebdomada,* in singulis ecclesiis, celebrare « causa conficiendi Corpus Domini quod decedentibus in pœnitentia non negatur ». — *Cap. 27, De sent. excomm.*

Deinde, Ecclesia *hunc rigorem temperavit,* et permisit, in interdicto locali generali, « ut singulis diebus, in ecclesiis et monasteriis, Missæ celebrentur, et alia dicantur officia divina sicut prius, submissa tamen voce, et januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis ». — *Cap. Alma, 24, eod. tit., in 6o.*

Insuper, « in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ ac Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, et, januis apertis, alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed *interdictis admissis,* quibus, ob reverentiam dictarum solemnitatum, et ut ipsi ad humilitatis gratiam et reconciliationis affectum facilius inclinentur », *præfatis diebus participatio permittitur divinorum,* « sic tamen, quod illi propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent ». — *Ibid.*

His addendum est festum *Corporis Christi,* ex pluribus Romanorum Pontificum constitutionibus; et festum ac Octava *Immaculatæ Conceptionis B. M. V.* pro Hispania, ex privilegio a Leone X concesso.

b) *In interdicto locali particulari,* non applicantur *præfatæ juris dispositiones ;* sed, si in ea ecclesia Eucharistia servatur, Missa potest semel in hebdomada celebrari cum debitis cautelis. – *Ex cap. 57, De sent. exc.*

c) Tandem, *in interdicto personali,* sacerdos interdictus nequit ubique locorum celebrare, licet, si celebret, fideles adsistere non prohibeantur.

Nec Missam coram persona interdicta celebrare potest sacerdos. — *Cap. 24, eod. tit., in 6o.* — Et, si persona sit *nominatim* interdicta, observanda sunt ea quæ diximus pro excommunicatis vitandis. — *Cf. n. 1601.*

d) Clericus qui *interdictum violaverit* per celebrationem divinorum officiorum,

1° Committit *peccatum* ex genere suo *grave;* et, si hoc interdictum violaverit, exercens actum proprium sui ordinis eo modo quo a laicis exerceri non potest, fit *irregularis*, nisi a culpa ratione necessitatis excusetur. — *Cap. Is qui, 18, De sent. excommunicationis.* — *Cf. n. 332.*

2° Et « scienter celebrantes, aut celebrari facientes divina in locis ab ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis;.... *interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt,* donec, ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 6, num. 2.*

1637. **III. Sepultura ecclesiastica privandi sunt :**

a) *In interdicto personali,* soli interdicti *denuntiati.* — Excommunicationem autem nemini reservatam ipso facto incurrunt « mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ.... nominatim interdictos ». — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 4, num. 1.* — *Cf. n. 1609.*

Attamen, si contingat contra juris prohibitionem in loco sacro aliquem interdictum sepeliri, *extrahendus non erit,* ut fit in excommunicato.

Neque *polluitur* ecclesia aut cœmeterium ex sepultura interdicti; diversæ enim sunt leges de loci sacri pollutione et de negatione sepulturæ ecclesiasticæ. — *Cf. n. 1279.*

b) *In interdicto locali,* nullus fidelis, nequidem infans aut amens, *exceptis privilegiatis,* sepeliri potest in loco sacro interdicto.

1° Excipiuntur tamen *clerici* qui, nec *specialiter* interdicti sunt, nec *causam* dederunt interdicto; at « sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur ». — *Cap. 11, De pœnit. et remiss.*

2° Illi qui *personaliter* interdicti non sunt, possunt extra illum locum efferri, et in alio loco sacro non interdicto sepeliri. — *Arg. ex. cap. 16, De sent. excomm., in 6°.*

3° Et, si quis extra locum sacrum tempore interdicti fuerit tumulatus, *eo cessante,* erit exhumandus, et ad locum sacrum, si potest commode fieri, transferendus. — *Glossa in cap. A nobis, De sent. exc., in 6°.*

1638. **IV. Effectus interdicti partialis definiuntur ex textu juris vel ex sententia judicis.**

a) Interdictum partiale de quo frequentior mentio habetur in jure, est *interdictum ab ingressu ecclesiæ*. — *Cf. cit. constit. Apostolicæ Sedis*; — *et cap. Episcoporum, 8, De privilegiis, in 6°.*

b) Porro, « is cui est ecclesiæ ingressus interdictus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta, *irregularis* efficitur si, contra interdictum hujusmodi, divinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut prius. Talis quoque, si hoc interdicto durante *decedat*, non debet in ecclesia vel cœmeterio ecclesiastico, nisi pœnituerit, *sepeliri* ». — *Cap. 20, De sent. excomm.*

CAPUT VI.

DE CENSURIS LATÆ SENTENTIÆ HODIE VIGENTIBUS.

Agendum est : de objecto constitutionis *Apostolicæ Sedis*; — et de censuris quæ in ea continentur.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO CONSTITUTIONIS « APOSTOLICÆ SEDIS ».

1639. **I.** *Pius IX*, cum animo revolveret « ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ ipsoque facto incurrendæ.... per singulas ætates inductæ et promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim *excrevisse*; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis ob quas impositæ fuerant, vel a pristina *utilitate* atque *opportunitate* excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus, *dubietates* angoresque conscientiæ » : **ejusmodi incommodis occurrere volens,** constitutione sua *Apostolicæ Sedis*, 4 idus octobris 1869, decrevit :

a) Ut ex quibuscumque censuris, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum *latæ sententiæ* ipso facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi *illæ* quas in hac ipsa constitutione inseruit, *eoque modo* quo inseruit, robur exinde habeant.

b) Simulque declaravit easdem, non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac sua constitutione conveniunt, verum etiam *ex hac ipsa sua constitutione*, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

1640. **II. Omnes igitur censuras latæ sententiæ quæ modo exstant,** paucis exceptis quæ postmodum latæ sunt, constitutio prædicta complectitur, partim *explicite*, partim *implicite*.

a) *Explicite* contentas dicimus, quæ expresse et singillatim in ea recensentur.

b) *Implicite* autem continentur censuræ quas dicta constitutio confirmat, et quæ, sive in *concilio Tridentino*, sive in *particularibus quibusdam statutis* continentur.

1° Nam Pius IX, in citata constitutione, « eos quoque quos sacrosanctum concilium *Tridentinum*, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione *excommunicavit* », pariter ita excommunicatos esse declaravit, excepta anathematis pœna in decreto *sess. 4, De editione et usu sacrorum librorum*, constituta, cui illos tantum subjacere voluit « qui libros *de rebus sacris tractantes*, sine Ordinarii approbatione, imprimunt aut imprimi faciunt ». — *Cf. n. 457 et 462.*

Item, quoscumque idem sacrosanctum Concilium *suspensos* aut *interdictos* ipso jure esse decrevit, pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse voluit et declaravit.

Attamen, omnes conveniunt vi hujus constitutionis confirmari eas tantum censuras quas Tridentina synodus *directe* ipsa inflixit, non vero eas quas solum *indirecte*, antecedenter scilicet inflictas, innovavit, seu confirmavit, idque vel per generalia verba, ut, v. gr. : « qui secus fecerint.... pœnas *a jure* inflictas ipso facto incurrant »; vel per specialem alicujus statuti allegationem, ut, v. gr., *sessione 24, cap. 3, De ref.* : « aliis etiam pœnis *juxta constitutionem concilii Lugdunensis* mulctetur ».

2° Præterea, in suo robore permanere voluit censuras quæ latæ sunt, et hactenus in suo vigore perstiterunt, « sive pro *Romani Pontificis electione*, sive pro *interno regimine* quorumcumque Ordinum et Institutorum *regularium*, necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, cœtuum *locorumque piorum*, cujuscumque nominis aut generis sint ».

1641. **III. Advertendum est constitutione « Apostolicæ Sedis » nihil innovatum fuisse quoad pœnas a censura diversas**; nihilque novi statutum fuisse quoad

censuras *ferendæ sententiæ;* nec quoad censuras ab *Episcopis*, aut aliis Ecclesiæ *Prælatis*, pro suis respectivis subditis, *jure particulari* edictas seu inflictas; nec etiam quoad censuras jure Pontificio *post diem ejusdem constitutionis* edictas vel edendas.

ARTICULUS II.

DE CENSURIS QUÆ IN PRÆFATA CONSTITUTIONE RECENSENTUR.

Constitutio Piana *sex partibus* constat. Quatuor priores referunt *excommunicationes* latæ sententiæ, quæ *ratione reservationis* in *quatuor titulos* distinguuntur. Titulus *quintus* complectitur *suspensiones* latæ sententiæ S. Pontifici reservatas; et *sextus* recenset *interdicta* latæ sententiæ.

Has omnes censuras recensebimus, cum his quas concilium *Tridentinum* statuit, et aliis quæ post præfatam constitutionem prodierunt, paucis adjectis adnotationibus, sive ex documentis authenticis, nempe S. Sedis declarationibus, sive ex probatis Auctoribus excerptis, quando earum explicatio nondum *in decursu hujus operis* proposita est.

§ I. EXCOMMUNICATIONES LATÆ SENTENTIÆ SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATÆ.

Duodecim recensentur in constitutione *Apostolicæ Sedis;* — quibus accedit 13ª vi constitutionis *Romanus Pontifex*, 28 aug. 1873; — et 14ª ex decreto *Sacræ Pænitentiariæ*, 4 aug. 1876.

Huic excommunicationi Pius IX subjacere declaravit :

1642. **I.** « Omnes a christiana fide apostatas, — et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ exsistant; — eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet eorum defensores. »

a) *Apostatæ* intelliguntur illi qui, post susceptum Baptisma, a fide christiana desciverunt. Et, cum apostasiæ crimen in hujusmodi *recessu* consistat, ideo nihil interest utrum apostata ad *Judaismum* abierit, an ad *Paganismum*, vel utrum in *Deismum* prolapsus fuerit, an in *Atheismum* aut *Indifferentismum*.

Unde, excommunicati censendi sunt illi qui, repulsa fide catholica, se dicunt *liberos cogitatores*, seu evaserunt absolute *increduli*, nullam religionem profitentes, nec non illi catholici qui, alias sibi comminiscentes doctrinas, puta *Rationalismum*, *Naturalismum*, *etc.*, factum divinæ revelationis, sive ex toto sive ex parte, repudiant. — *Avanzini*, *Comment. in const. Apostolicæ Sedis*, *n. 4.*

b) *Hæretici* sunt illi qui *pertinaciter* negant aliquam veritatem quæ ab Ecclesia proponitur ut pertinens ad fidem catholicam.

Porro, cum de peccato hæresis vel apostasiæ agitur, ut sit censura mulctatum, ac proinde *reservatum*, oportet ut aliqua ratione hæresis vel apostasia fuerit, in re per se gravi, *externata;* quousque enim quodvis peccatum in mente et corde lateat, nec in re gravi externatum, non est censura ecclesiastica affectum neque reservatum.

c) *Credentes* sunt illi qui adhærent damnatis hæreticorum erroribus, quanquam ad sectas hæreticorum *formaliter* non pertineant : imo, licet in foro conscientiæ non sint hæretici proprie dicti.

Unde, excommunicationem incurrunt « omnes illi qui, etiam sine voluntate adhærendi hæresi, et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina hæreticorum sectis, denominationis cujuslibet ». — *Instruct. Em. Card. Urbis Vicarii, 12 jul. 1878, 29 sept. 1884, quam S. P. Leo XIII Apostolica auctoritate confirmavit.*

Item, excommunicatio contrahitur ab iis qui *matrimonium* ineunt coram ministro hæretico *qua tali*. — *S. C. S. Off., 29 aug. 1888.* — « Qui vero hucusque, nulla prævia a censuris absolutione, ab hujusmodi culpa *absoluti sunt*, non esse inquietandos » declaravit eadem Suprema Congregatio, *die 18 maii 1892.*

d) *Receptores* intelliguntur, non qui in ædes aut terras suas quavis alia de causa excipiunt aut occultant, sed qui directe per hoc intendunt hæreticum *defendere*, v. gr. ut sic hæresis pœnas effugiat.

e) *Fautores* hic dicuntur qui apostatis aut hæreticis

auxilio sunt ut suos errores in actum deducere, exercere, diffundere valeant. Quod fit : vel *negative*, quando quis in hæresis favorem id negligit ad quod ex officio tenebatur : vel *positive*, quando præstatur favor, vel consilio, vel pecuniis, armis, etc.

1° Unde, excommunicationem incurrunt « qui in *cultus functionibus* partem habent, vel *prædicanti* aures præbent *animo assentiendi* si quidem is, ut impie loquuntur, sibi ipsis persuadeat.

2° » Eidem censuræ obnoxii sunt qui, auctores effecti spiritualis ruinæ aliorum hominum, *alios* quoquo modo *inducunt* ut ejusdem sectæ cultus functionibus, publicis sermonibus, collationibusve intersint.

3° » Denique, eadem censura innodantur quotquot *invitationes* ad concionem collationemve typis impressas *in vulgus edunt*, aut earum themata quomodolibet *publicant*, propter favorem quo hæresim, sive diffundendam, sive confirmandam, afficiunt ». — *Cit. Instr. Card. Vicarii.*

4° Non quidem incurrunt excommunicationem, sed *graviter peccant* illi qui ingrediuntur *mera curiositate*, et scienter, *aulas* et *templa* Protestantium, tempore collationum ; et qui mera curiositate eas *collationes* auscultant; aut adsistunt, quamvis materialiter, *cæremoniis acatholicis ;* et omnes *artifices* qui, etiam sola lucri ratione, cantant aut sonant in Protestantium templis. — *Cit. instruct. Cardin. Vicarii ; — S. C. S. O., 28 jun. 1889.*

« Neque a peccato mortali eximuntur *architecti*, conductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam atque laborant ad *exstruendum* aliquod Protestantium *templum*. — Quoad structores aliosque operarios *inferiores*, a peccato eximi poterunt, dummodo in eorum facto absit scandalum, neque opus fiat in religionis catholicæ contemptum. » — *Cit. instruct. — Cf. resol. Sac. Congr. S. Officii, 14 jan. 1818; et 7 jul. 1864.*

5° Licet tamen Catholicis adire *templa* hæreticorum « si adeant *meræ curiositatis causa*, absque *ulla communicatione in sacris* in qua talis aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsæ religionis : quandoquidem, sicuti

profana ædificia, sic et templa hæreticorum adire, est actus *per se* indifferens, qui nonnisi a pravo fine, vel ex circumstantiis, efficitur malus ». — *S. C. U. I., 14 jan. 1818.*

Item, toleratur ut Catholici *funera hæreticorum* aut schismaticorum usque ad januam cœmeterii comitentur, dummodo « meram præsentiam materialem exhibeant civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant *ritibus hæreticorum*, nec luminaria deferant, nec pro defuncti anima suffragia persolvant ». — *S. C. S. O., 7 jul. 1864.*

Imo, *in articulo mortis*, deficiente sacerdote catholico, licet petere absolutionem a sacerdote schismatico vel hæretico, « dummodo tamen et aliis fidelibus non præbeatur *scandalum*, nec sit *periculum* ut fidelis ab hæretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem hæreticum administraturum hoc sacramentum *secundum ritus Ecclesiæ*. — *S. C. S. O., ibid.*

f) *Defensores* apostatarum aut hæreticorum : illi sunt qui tuentur, sive eorum errores, sive eorumdem personas, ita tamen ut defensio personæ redundet in ejus errores, etsi interne aliud fortasse sentiant.

Unde, censuram non incurrit ille qui apostatam aut hæreticum defendit *extra hæresis aut apostasiæ causam.*

g) *Episcopus* potest resipiscentem hæreticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad *suum forum* quoquo modo deductum, Ecclesiæ reconciliare, et pro *utroque foro* absolvere a censura in quam propter hæresim incidit.

Imo, potest pœnitentem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, ad *simplicem confessarium* remittere, ut ab eo absolvatur ; eaque absolutio, licet a confessario data in foro sacramentali, prodest etiam pro foro externo a cujus jurisdictione promanat. — *Bened. XIV, De syn., lib. 9, cap. 4.* — *Cf. S. Lig., De privileg., n. 39.*

Hinc, *Protestantes* qui vellent suam hæresim ejurare, possunt absolvi ab Episcopo aut ejus delegato, quia eo ipso quod petant se in gremium Ecclesiæ catholicæ recipi, eorum hæresis est deducta ad forum *externum* Episcopi.

Verum Episcopis nulla competit facultas absolvendi ab

hæresi, sive occulta, sive notoria, quæ ad eorum forum *non fuerit adducta.*

1643. **II.** « Omnes et singulos scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes ; — nec non libros cujusvis Auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos ; — eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodocumque defendentes. » — *Cf. n. 397, 456 et seq.*

a) Nomine *lectionis* hic intelligitur lectio proprio sensu et humano modo, ita ut intelligat quis ea quæ legit.

Intelligitur præterea lectio *stricte talis ;* unde, prohibetur quidem legere, sed non prohibetur *audire* legentem qui forte facultatem habet, neque partem libri *memoriter recitare,* quia hæc nomine *lectionis* stricte non comprehenduntur.

Tandem, intelligitur lectio in *quantitate notabili* et sufficienti ad peccatum. In determinanda autem hac quantitate ratio habenda est præsertim *qualitatis doctrinæ,* quippe quæ potest in quibusdam paginis ita esse periculosa, ut paucas lineas legere sufficiat ad incurrendam censuram. — *Bucceroni, Comment., n. 10.*

b) Quæritur utrum *manuscripta, scripta periodica, fasciculi* et *diaria* seu *ephemerides* hæresim propugnantes, sub hac censura comprehendantur.

1° De *manuscriptis* quorum moles libro imprimendo sufficit, duplex est sententia : una *affirmat* libri nomine ea venire ; alia *negat,* quia agitur de interpretatione strictim facienda, utpote quæ versatur in materia odiosa.

2° *Diaria* et *ephemerides* librorum nomine non veniunt, ideoque sub hac censura non comprehenduntur. — *S. C. Indicis, 21 apr. 1880.*

Attamen « scienter legentes publicationes periodicas in *fasciculos* ligatas, habentes Auctorem hæreticum et hæresim propugnantes », excommunicationem incurrunt, Summo Pontifici specialiter reservatam. — *Sac. Congr. S. Officii, 16 jan. 1892.*

c) Dicitur « *eorumdem apostatarum et hæreticorum* » ;

agitur ergo de illis de quibus est sermo in præcedenti excommunicatione, nempe quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ exsistant.

1º Liber autem apostatæ vel hæretici non est liber *catholici* eorum verba *referentis*, « etiamsi in eis inserti sint errores hæreticorum, vel ad eorum impugnationem, vel solum per modum historicæ narrationis, vel etiam per incuriam et negligentiam, absque hæresi Auctoris ». — *Suarez, De censuris, disp. 21, sect. 2.*

2º Nec est liber catholici cui hæreticus *notas* adjecerit, nisi scholia adeo *uberiora* sint ut ex iis potius quam ex textu liber constare videatur. — *S. Lig., lib. 7, n. 286.*

3º Nec liber *infidelis*, etsi hæresim contineat. — *Bucceroni, Comment. in constit. Apostolicæ Sedis, n. 10.*

d) *Hæresim propugnantes* illi sunt qui hæresis patrocinium suscipiunt, *data opera*, et quasi pro viribus; quocirca excommunicatio eum non tenet qui legit librum apostatæ vel hæretici si hæresim non propugnet, etsi eam contineat, imo et defendat, sed obiter, paucis, et quasi aliud agens. — *Comment. Reatinus.*

e) *Nominatim prohibiti libri* non intelliguntur qualescumque libri per Apostolicas litteras damnati, nisi *titulus libri* proprius in iisdem expressus fuerit.

Apostolicæ autem *litteræ* sunt quæ nomine Romani Pontificis immediate prodeunt sive in forma *Bullæ*, sive in forma *Brevis*, dummodo in illis legatur : *Auctoritate Apostolica*, vel quid æquivalens. — *Cf. n. 408.*

f) *Retinentes librum sub censura prohibitum*, etiam sine intentione illum legendi, per notabile tempus, sive apud se, sive apud alium, sive ut domini, sive ut depositarii, præfatæ censuræ subjacent.

Excusatur tamen qui librum retinet donec illum *opportuno tempore* Superiori tradat, vel alii habenti licentiam.

g) *Imprimentes* sunt illi omnes qui ad impressionem *proxime* cooperantur, adeoque, ait *commentator Reatinus :*

1º Qui huic rei quamcumque *operam præstant*, uti sunt

qui typos componunt, atramento eos tingunt, chartas madefaciunt, prælum versant, etc.

2° Qui eorum *operas conducit*, id est typographus, eoque magis Editor, et Auctor libri si ejus cura editur liber. — *Cf. Instruct. Card. Urbis Vicarii, 12 jul. 1878.*

Quoad manuales, seu *cooperatores subalternos*, dijudicandum est ex adjunctis utrum ipsi, in casu, tanquam cooperatores *formales* vel *materiales* habendi sint; atque, in hac postrema hypothesi, utrum, ex causa justa et proportionata, a cooperationis culpa, vel saltem a censura, excusentur necne. — *Ballerini, in præs. constit.*

h) *Quomodolibet defendentes librum* censentur : qui librum occultant ne deferatur ad judicem vel comburatur, vel qui conantur suadere librum bonum esse atque ideo non prohibitione dignum, vel qui doctrinam pravam in eo contentam tuentur, etc.

Secus vero si tantummodo *stylus*, aut *eloquentia*, aut aliquid simile commendetur.

1644. **III**. « Schismaticos, — et eos qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. »

a) Censura attingit tum schismaticos *perfectos*, id est illos qui, non solum a Romani Pontificis obedientia pertinaciter recedunt, sed et novos cœtus ab unitatis catholicæ centro separatos constituunt; — tum schismaticos *imperfectos*, illos scilicet qui, nolentes obedire Romano Pontifici pro tempore exsistenti, habent se a suprema ejus auctoritate solutos.

Ideo, sub hac censura comprehendi putat *Avanzini* illos *catholicos liberales*, ut aiunt, qui, posthabitis legibus ac mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tanquam solutos ab ejus obedientia, licet nulli alii ecclesiasticæ auctoritati adhæreant, vel nullam ecclesiasticam auctoritatem constituere conentur. — *Avanzini, op. citato, num. 10.*

b) Non attingit vero eos qui simpliciter renuunt obedire mandatis R. Pontificis, sive quia *gravia* sunt et mo-

lesta, sive ex odio in Ejus *personam privatam* ; hi enim non abjiciunt ejus auctoritatem.

1645. **IV**. « Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium, ad universale futurum concilium appellantes ; — nec non eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit. »

Cf. Tract. De judiciis, ubi de appellatione, n. 1524.

a) Qui auxilium, consilium vel favorem præstant, excommunicationem non incurrunt, nisi *effectu secuto*, nisi nempe *appellatum fuerit.*

Unde, auxilium, consilium vel favor, debet appellationem *antecedere* vel *comitari* ; nam, si tantum *subsequatur*, deturque ad resistendum Pontificiis decretis sub specie talis appellationis, non incurretur censura.

b) Minime distinguenda est appellatio a mandato *justo* vel *injusto*, quia Constitutio absolute loquitur, et non fundatur in eo quod res justa sit vel injusta, sed in eo quod sic appellans *injuriam* facit *auctoritati* Romani Pontificis ; nam, facto ipso, profitetur generale concilium esse illa superius. — *Bucceroni, op. cit., n. 31.* — *Cf. n. 1705.*

1646. **V**. « Omnes interficientes, mutilantes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos vel Nuntios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes ; — nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem. »

a) Hac censura, ait *commentator Reatinus*, puniuntur injuriæ in corpus, libertatem, dignitatem Procerum Ecclesiæ.

1° In *corpus* : nempe interficiendo, mutilando, percutiendo. — *Interficere* est necare quoquo modo, ut puta veneno, fame, etc. — *Mutilare* est membrum abscindere. — *Percutere* indicat omnem injuriam quæ manu fit, sive immediate, sive mediante aliquo instrumento.

2° In *libertatem :* scilicet capiendo, carcerando, detinendo. — *Capere* est comprehendere. — *Carcerare* est detrudere vel continere quovis loco, privato quoque. — *Detinere* est quovis loco inclusum custodire ne excedere possit.

3° In *dignitatem :* nimirum hostiliter insequendo vel ejiciendo. Porro,

Hostiliter insequi est persequi nocendi animo ; proinde, hanc excommunicationem non incurrunt qui eos insequuntur perterrefaciendi vel diripiendi causa.

Ejicere est antea receptum expellere ; ideoque excommunicatione non tenentur qui non recipiunt.

Ejectio Prælatorum a suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis, intelligitur de locis ubi jus habent *proprietatis* aut *jurisdictionis ;* imo *terras* aliqui Interpretes accipiunt et eas ubi *domicilium* habent vel *nati* sunt.

Nec distinguitur *qua auctoritate* eos ejecerint, publicane an privata; *quove modo,* utrum nempe vi adhibita, an minis, an nudo præcepto.

b) Porro, hoc loco excommunicantur, nedum qui percutiunt, mutilant, etc., quive eis auxilium, favorem præstant, sed et ii qui *ratum habent.* — Verum, ut ii excommunicationem incurrant, necesse est :

1° Ut percussio, mutilatio, etc., facta fuerit *suo eorum nomine,* quia non potest ratum quis habere quod non suo nomine gestum est. — *Cap. 23, De sent. exc., in 6°.*

2° Ut, quo tempore hæc perpetrata fuerunt, ipsi ea admittere atque ideo mandare potuerint ; nam ratihabitio retrotrahitur, et *mandato* æquiparatur.

3° Ut ratihabitio *externe,* v. gr. scriptura, congratulatione, applausu, etc., fuerit significata.

1647. **VI.** « Impedientes, directe vel indirecte, exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, sive interni sive externi fori, — et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes; — aut auxilium, consilium, vel favorem præstantes. »

Hoc et sequenti articulo, tuetur tum jurisdictionis eccle-

siasticæ *exercitium*, ne quis ei obstaculum interponat, tum *jurisdictio ipsa*, ne quis illam usurpet.

a) *Jurisdictio*, cum simus in odiosis, hic stricta et *propria significatione* accipienda est, quæ in *regendo* et *gubernando* consistit; nihil autem refert utrum sit externa vel interna, ordinaria vel delegata, contentiosa seu voluntaria.

Porro, *ad potestatem jurisdictionis pertinet* : edere leges et mandata, ligare ac solvere, conferre beneficia, ad munia ecclesiastica deputare, prædicatores mittere, visitare diœcesim, et ea quæ sunt ordinis aliis peragenda committere, etc. — *Cf. n. 175.*

Et hæc distinguenda sunt, tum ab iis quæ pertinent ad potestatem *ordinis*, ut sacra obire, sacramenta ministrare, personas et res benedicere, consecrare, etc., tum ab iis quæ magis sunt *officii* seu *juris*, uti docere, prædicare, bona acquirere seu alienare.

b) Exercitium jurisdictionis *impedire :* est prohibere ne quis ea uti *incipiat* aut *pergat.* Ideo, ex. gr., cum *exsecutio* cujusvis sententiæ, vel decreti, ad jurisdictionem ejus pertineat a quo sententia vel decretum latum fuit, quippe *postremum in jurisdictione* est, ideo nec excommunicationem effugiet qui impedit exsecutionem hujusmodi, appellando, vel recurrendo ad potestatem laicam, ut dicitur, *propter abusum.* — *Cf. n. 215.*

Ut quis dicatur exercitium jurisdictionis *impedire,* necesse est ut ei obsistat *penes quem est jurisdictio,* v. gr. Ordinario, parocho, judici, et quidem obsistat ne ille jurisdictione uti aut *incipiat,* aut *pergat ;* secus enim non erit impediens exercitium jurisdictionis, sed aliquid aliud; ex. gr., si quis impediat Actorem adire judicem, non *exercitium jurisdictionis,* sed Actoris *petitionem* impedit.

c) Est triplex genus eorum qui *principaliter* huic excommunicationi sunt obnoxii :

1° *Impedientes,* qui nempe cogunt ab incœpto desistere, *per se* vel *per alios*, ex. gr. vi, minis, imperio; et quidem vel *directe*, ut si quis vim et metum incutiat ipsis judici-

bus, vel *indirecte*, ut si prohibeat ne addicti Curiæ ecclesiasticæ munus suum obeant, etc.

2° *Recurrentes ad forum sæculare*, ad eludendum scilicet judicium fori ecclesiastici; unde, si *ob aliam non contemnendam causam* aliquis recurrerit, v. gr. quia judex ecclesiasticus improbe differt, vel quia, ob injuriam temporum, ei non paretur impune, excommunicatio cessat, modo non agatur de causis spiritualibus. — *D'Annibale, in hunc articulum.*

3° *Ejus mandata procurantes*, modo delictum perfectum et *consummatum* fuerit, quia sumus in odiosis; ideoque excommunicatio non incurritur nisi postquam mandatum revera procuraverint.

4° *Mandata edentes* ad impediendum exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, scilicet eadem *condentes* seu *decernentes*; unde excommunicatio non tenet Actuarios, Præcones, Apparitores, etc.

d) Præter hos, excommunicationem contrahunt quasi *accessorii*, qui *auxilium*, *consilium*, vel *favorem* præstant; non tamen qui mandata exsequuntur, quia præsens constitutio eos non comprehendit.

1648. **VII.** « Cogentes, sive directe, sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, præter canonicas dispositiones; — item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ. »

a) Prima pars hujus articuli exposita est in *Tractatu De judiciis ecclesiasticis*, ubi de objecto judiciariæ potestatis Ecclesiæ, *n. 1420.*

b) Verba « *contra libertatem aut jura Ecclesiæ* » latissime patent, et omnes prorsus feriunt legum aut decretorum genus quibus, nedum exercitium potestatis ecclesiasticæ, sive *jurisdictionis*, sive *ordinis*, sed quodvis aliud jus *intercipitur, restringitur, perturbatur*: ut jus docendi, promovendi ad ordines, publicas supplicationes obeundi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia erigendi, conferendi beneficia sine ullo interventu laicæ potestatis; imo et jura quæ Ecclesiæ uti societati competunt: ut jus acquirendi actibus

ultimæ voluntatis, seu inter vivos, alienandi, locandi bona sua ultra novennium, etc. — *Cf. n. 18 et seq.*

c) Porro, censura feriuntur, et quidem *ipso promulgationis momento,* istiusmodi legum ac decretorum auctores, id est *Deputati* ac *Senatores* qui ipsis ferendis ac condendis efficaciter suffragantur; *Princeps* qui suum nomen ipsis subscribit vel eas promulgat; item *Ministri, Præfecti, Municipes*, etc., qui decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ ferunt, ut, v. gr., decreta quibus monasteria vel loca pia supprimuntur.

1649. **VIII.** « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel Acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut delegatis quibuscumque profecta; — eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes; — aut eorum causa, sive ipsas partes, sive alios lædentes vel perterrefacientes. »

Hoc articulo, jurisdictioni et potestati *Romani Pontificis* speciatim consulitur.

a) *Recurrentes*, nempe quocumque modo; ex. gr. qui supplicem libellum dantes, citantes seu provocantes, appellantes, etc., ad laicam potestatem confugiunt, id est ad omnes qui jurisdictionem exercent in cives, ut impediant litteras vel Acta a Sede Apostolica jam *profecta ;* non tamen qui hujusmodi litteras vel Acta impetrari tantum impediunt. — *Cf. n. 408 et seq. ; n. 504 et seq.*

Per Acta a Sede Apostolica profecta designantur etiam ea quæ a *SS. RR. Congregationibus* proveniunt. — *S. C. S. O., 16 jan. 1892.*

b) Prohibentes eorum *promulgationem* more consueto; seu *exsecutionem*, nempe quæcumque necessaria sunt ut litteræ Apostolicæ et Acta Apostolica effectum habeant. — *Cf. n. 67 et seq.*

Hic imprimis damnatur jus prætensum *Regii Placet* seu *Exsequatur.* — *Cf. n. 55 et seq.*

c) *Partes*, nempe eos quorum interest ut hæc Acta exsecutioni mandentur; — *sive alios*, puta patrocinatores earumdem partium, aut exsecutores, vel personas alias ad

quas Acta obtenta aliqua ratione referantur; — *lædentes vel perterrefacientes,* grave scilicet damnum inferendo vel metu gravi perturbando.

1650. **IX.** « Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel per S. R. E. Vice-Cancellarios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; — nec non falso publicantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis; — et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices prædictorum. »

a) *Falsarii* litterarum Apostolicarum sunt qui *dolo,* vel semel, veras litteras Apostolicas adulterant, *addendo, detrahendo,* vel *immutando* aliquid, etiam unum apicem, dummodo *sensus* a S. Pontifice intentus immutetur.

Et censura incurritur statim ac falsitas *perfecta* fuerit, licet quis falsatis litteris minime deinde utatur. — Qui autem *utitur,* incurrit aliam excommunicationem Episcopo reservatam. — *Cf. n. 1678.*

Minime vero falsarii sunt qui falsas litteras integras *fabricant.*

b) Dicitur « *litterarum Apostolicarum* »; ergo huc non spectant litteræ aliorum quorumcumque, ut Nuntii Apostolici, Legati, Pœnitentiarii majoris, SS. Congregationum, etc.; imo, nec litteræ vel rescripta *nondum signata* vel *sigillo* munita, quia, cum nondum *authentica* sint, nondum valent; nec ea quæ valere *desierint* et amplius valere non possunt, ex. gr. dispensatio matrimonialis, mortuo dispensato. — *Bucceroni, Comment., n. 36. — Cf. num. 409 et seq.; et n. 1643.*

c) *Supplicationes* sunt proprie *petitiones* ad Romanum Pontificem directæ, pro gratia vel jure obtinendo; verum, juxta stylum Curiæ, significant potius Pontificis *responsum,* sive fiat simplici sigilli appositione ad petitionem, aut subscriptione nominis, sive per rescriptum in quo petitio memoretur.

Hoc *secundo sensu* hic sumuntur, nam sermo est de supplicationibus *per R. Pontificem, etc., signatis.*

d) Parum refert, ut patet ex tenore articuli, utrum litteræ Apostolicæ *propria manu* propriove sigillo Pontificis, vel aliena quidem manu subsignatæ sint, sed *Ejus nomine* aut de Ejus mandato.

e) *Falso publicantes* sunt qui veras litteras Apostolicas, sed adulteratas, aut simpliciter falsas seu fabricatas, quovis modo in vulgus diffundunt.

f) *Falso signantes* dicuntur qui *veris litteris* falsum seu confictum sigillum, aut *falsis litteris* verum sigillum apponunt; aut etiam veras litteras vero sigillo signant, sed absque R. Pontificis mandato. — Et eadem est ratio *subscriptionis* ac *sigilli.*

1651. **X.** « Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem. » — *Cf. bullam Sacramentum pœnitentiæ, Bened. XIV, 1 jun. anni 1741.*

a) Hic notandum est *jurisdictionem* confessario adimi quoad ipsum *complicitatis* peccatum, ita tamen ut, deleto hoc peccato per absolutionem ab alio impertitam, jam non desit ejusdem confessarii jurisdictio in ordine ad *alia peccata* ejusdem personæ. — *Cf. cit. constit. Bened. XIV; — et resp. S. Pœnit., 16 maii 1877.*

1° Verum, ait *cardinalis Gousset*, si quis pudor maneat in sacerdote, qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit, si quis honor Sacramento debitus, *nunquam* in posterum complicis confessionem excipiet.

2° Imo, cum Episcopi, post decretum S. Inquisitionis, *diei 27 jun. 1866*, vi cujus hæc censura *specialissimo modo* reservata est (*cf. n. 1581*), speciales hac de re facultates petierint, in rescripto ipsis concesso hæc adduntur: « Injuncta singulis, pro modo culparum, congrua pœnitentia salutari, quodque ab audiendis personæ complicis confessionibus *omnino* abstineant ».

b) Dicitur « *absolventes* »; ergo censura non innodatur ille qui complicem *audit* tantum in confessione.

Verum confessarii *simulantes* absolutionem complicis in peccato turpi, hanc excommunicationem non effugiunt. — *S. Pœnit., 1 mart. 1878 ; et resp. S. O., 10 dec. 1883.*

A Benedicto XIV censura lata erat in absolvere *audentem ;* verum constitutio *Apostolicæ Sedis* simpliciter dicit *Absolventes ;* hinc ignorantia crassa aut supina hodie non excusat. — *S. C. S. O., 16 jan. 1892.*

c) Dicitur « *complicem in peccato turpi* »; quo nomine venit omne peccatum contra castitatem *externum*, *grave*, ex *mutuo* consensu utrinque *manifestato* commissum.

Dubio enim ab Episcopo Aurelianensi proposito : « An prohibitio absolvendi complicem in materia turpi restringi debeat ad tactus, an vero comprehendat *omnia peccata* gravia contra castitatem exterius commissa, etiam illa quæ in meris adspectibus consisterent » ? S. C. S. Officii, *die 28 maii 1873*, respondit : « comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa quæ consistunt in meris *colloquiis* et *adspectibus* qui *complicitatem* important ».

d) Excusat, in articulo mortis, *gravis exoritura infamia et scandalum.* « Sciat autem complex ejusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, *reum* gravis adversus prædictam nostram constitutionem inobedientiæ, latisque in ea *pœnis* obnoxium, si prædictæ infamiæ aut scandali pericula sibi ultro ipse *confingat*, ubi non sunt. » — *Bened. XIV, constitutione citata.*

e) Cum Benedictus XIV, et post ipsum Pius IX, velint *fidelium scandalum* et *sacerdotis infamiam* omnino eliminare, nonnulli arbitrantur non agere contra legem sacerdotem qui, *etiam extra mortis articulum*, complicem absolveret, si in aliquo casu ejusmodi ratio *evidentissime* habeatur. — *Pennachi, Comment., tom. 1, pag. 332 ; — Bucceroni, Comment., n. 37.*

Item, licet prædictæ constitutiones *unicum casum* exci-

piant extremæ necessitatis in mortis articulo, ex quorumdam tamen sententia absolvi posset mulier complex si *alium* non habeat *sacerdotem*, neque, ob loci circumstantias, ut in locis missionum, spes ulla sit quod eum sit unquam habitura. — *Cf. Bucceroni, op. cit., n. 67.*

1652. **XI.** « Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes. »

a) Sub nomine « *usurpantes* » non comprehenduntur *fures* et *latrones*, sed usurpantes vel sequestrantes *auctoritative*, seu quasi jure proprio utentes. — *S. O., 9 martii 1870.*

Verum illud verius non interest utrum quis aliquid usurpet *publica auctoritate* an *privata*, quia lex non distinguit.

Inter usurpatores, imprimis habentur *clerici intrusi* in beneficia ecclesiastica, nec non asseclæ societatis *clerico-liberalis* qui populari sacrorum ministrorum electioni dant operam. — *Cf. Instr. S. Cong. Conc. ad Ordinarios Italiæ, 24 jan. 1878.*

b) *Sequestrantes* hic appellantur qui, judiciali officio et jurisdictione, rem alicui *tertio* custodiendam *injuste* committunt, vel *ipsimet* custodiunt, atque ita impediunt ne ipsa sub potestate maneat illius ad quem pertinet, eaque libere utatur.

c) Ut incurratur censura, necessarium est ut bona usurpata « *ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum* » pertineant. — *Cf. n. 1384 et seq.*

1° Unde præsentem excommunicationem non incurrunt usurpantes aut sequestrantes clericorum *bona patrimonialia*, vel quæ *occasione sacrarum functionum* ipsis obveniunt, puta distributiones manuales, Missarum stipendia, etc.

2° Nec usurpantes bona *locorum piorum*, v. gr. nosocomiorum, confraternitatum laicalium, etsi auctoritate Episcopi erectæ fuerint.

3° Idem dicendum est de bonis quæ pertinent ad *ecclesias*, sed non ad ecclesiasticas personas, v. gr. bona destinata Ecclesiæ reparandæ, divinis obeundis, pauperibus sublevandis, puellis dotandis, etc.

4° Neque incurritur excommunicatio, si quis bona usurpet aut sequestret dum *beneficium vacat:* præsens enim excommunicatio ipsis *personis* ecclesiasticis imprimis consulere videtur.

5° Tandem, ut videtur, hanc censuram non incurrunt usurpantes aut sequestrantes bona *monasteriorum:* quia bona monasteriorum non pertinent ad ullas *personas* ecclesiasticas, sed vel ad ipsa monasteria, vel ad Romanam Ecclesiam. — *Cf. n. 1152.*

d) *Ementes* bona ecclesiastica *usurpata*, non incurrunt *hanc* excommunicationem, sed comprehenduntur, nec non alii de quibus modo diximus, in clarissima dispositione concilii Tridentini, *sess. 22, cap. 11, De ref.*, ideoque plectuntur excommunicatione *simpliciter* Romano Pontifici reservata. — *Cf. n. 1674.*

1653. **XII.** « Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; — vel usurpantes, perturbantes, detinentes supremam jurisdictionem in eis; — nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes. »

Hæc censura spectat ad defensionem *dominii temporalis* ad Sedem Apostolicam pertinentis. — *Cf. n. 401 et seq.*

a) *Invadentes*, nempe vi adhibita; — *destruentes*, sive in totum, sive in partem; — *detinentes*, sive ipsimet invaserint, sive ab aliis acceptata retineant. — Adjungendi sunt illi qui, uti *mandantes*, in causa sunt cur sacrilega invasio, destructio aut detentio, locum habeat, ob locutionem additam « *per se vel per alios* », quæ ad tria præcedentia refertur.

b) *Usurpantes*, id est sibi adscribentes, tanquam propriam, supremam jurisdictionem; — *perturbantes*, v. gr. qui directe impediunt quominus in hisce locis leges ferantur,

promulgentur, exsecutioni mandentur; qui rebellionem promovent, etc., satagentes constitutum regimen immutare, vel supremam jurisdictionem labefactare et imminuere; — *retinentes*, id est de facto exercentes supremam jurisdictionem, loco legitimi Principis. — *Bucceroni, Comment., num. 39.*

c) Ad singula prædicta *auxilium, consilium, favorem* præbentes, nempe qui singulis prædictis, sive *physice*, sive *moraliter* cooperantur, et quidem *formaliter*, id est per actionem revera proxime influentem, liberam etiam a coactione et metu. — *Cf. resp. S. Pœnit., 10 dec. 1860.*

Hinc, ex. gr., excommunicantur milites invasores *voluntarii*, non vero *coacti*.

Et, quod attinet ad eos qui *publica munia* gerunt sub intruso Gubernio, distinguendum est inter munia *civilia* quæ nempe pertinent ad necessitates et utilitates civium, et munia *politica* quæ spectant ad regimen ipsum tuendum totius nationis. — *Cf. n. 406; — et Pennacchi, Comment., tom. 1, pag. 577 et seq.*

1654. **XIII**. Ex bulla *Romanus Pontifex*, Pii IX, 28 aug. 1873, accedit excommunicatio quæ tuetur jura *Vicariorum Capitularium* contra intrusos. — *Cf. n. 197.*

a) Huc spectat excommunicatio lata in eos qui, « *suffragante populo*, ad *Parochi* sive *Vicarii* officium electi, audeant, sive ecclesiæ, sive jurium ac bonorum prætensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii ».

b) Equidem hoc decretum Pii IX specialiter pro provinciis *Veneta* et *Mediolanensi* latum est, *die 23 maii 1874.*

Verum existimandum non est, ait *Ballerini*, hisce pœnis minime subjici *alibi* sic in parœcias intrusos. — Nam, vel pastor legitimus parœciæ *jam datus* supponitur, et sic habemus, ex parte intrusi, *usurpationem jurisdictionis* ad alium pertinentis ratione beneficii; vel supponimus *nondum* legitimum datum fuisse pastorem, et sic *læsam* habemus *Ordinarii jurisdictionem* in eamdem parœciam. — *Gury-Ballerini, n. 973.*

1655. **XIV**. Eadem excommunicatione, speciali modo Romano Pontifici reservata, plectuntur : nomen dantes « *Societati catholicæ Italicæ* pro recuperatione jurium spectantium ad populum christianum, et specialiter ad populum Romanum, in electione Summi Pontificis ». — *S. Pœnit., 4 aug. 1876. — Cf. n. 372 et seq., et Pennacchi, Comment., tom. 1, pag. 418 et seq.*

§ II. EXCOMMUNICATIONES LATÆ SENTENTIÆ ROMANO PONTIFICI SIMPLICITER RESERVATÆ.

Sunt decem et octo, ex constitutione *Apostolicæ Sedis;* quibus adjiciuntur : una ex *concilio Tridentino*, et altera ex declaratione *S. Officii,* 4 dec. 1872.

Huic excommunicationi Pius IX subjacere declaravit :

1656. **I**. « Docentes vel defendentes, sive publice, sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; — item docentes vel defendentes, tanquam licitam, praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in constit. *Suprema*, 7 jul. 1745; *Ubi primum*, 2 jul. 1746; *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746. »

a) Accuratam *recensionem* propositionum quæ in prima parte designantur exhibet Avanzini, *op. cit.*

Huc vero non pertinent, ex. gr., errores damnati in *Syllabo*, quia nullam *censuram* secum ferunt.

b) Quod speciatim attinet ad « praxim inquirendi *nomen complicis* », ille qui *ausus* fuerit docere *licitam esse praxim* exquirendi nomen complicis, denuntiata, nisi revelaverint, absolutionis sacramentalis negatione; vel *scribere* aut *loqui præsumpserit* in ejusdem damnatæ praxis defensionem, incidit in excommunicationem R. P. reservatam. — *Cit. constit. Benedicti XIV.*

Ut quis igitur excommunicationem incurrat, necesse est ut *utrumque* licitum esse doceat vel defendat, scilicet, et *exquirere* nomen complicis, et reticenti *absolutionem de-*

negare. — Agitur autem de complice non in re turpi tantum, sed *in quovis peccato.*

c) Dicitur « *prout damnata est* »; nam Benedictus XIV supponit casus in quibus liceat exquirere nomen complicis, *juxta veras et sanas doctrinas.* Porro,

1° « Confessarii, *ait S. Alphonsus*, bene possunt et tenentur.... exquirere circumstantias *necessarias* ut *pœnitentis conscientiæ consulatur*, puta si confessarius exquirat an persona complicis sit ligata voto, si habitet in eadem domo, licet veniat in cognitionem complicis. » — *S. Lig., lib. 6, num. 491.*

2° « Potest confessarius, *ait de Lugo*, pœnitentem obligare ad manifestandum sibi complicis nomen; non quidem *quasi confessarius* eam obligationem imponat, sed quia revera pœnitens eam habebat, et confessarius, qui ex ejus confessione hoc agnoscit, *admonet illum* de sua obligatione, cui si non vult satisfacere, jam merito ei *absolutionem negat* quem non invenit ad absolutionem dispositum.

» Porro, posse illum casum contingere, constat aperte; quia potest confessarius videre ex occultatione complicis *gravissima damna* imminere, ad quæ impedienda pœnitens *omnino tenetur;* rursus, videt pœnitentem *per se ipsum* immediate id non posse exsequi, nec habere alium per quem id possit, præter *ipsum confessarium;* quo casu, certum est teneri pœnitentem ad illud medium unicum eligendum; quod si eligere nolit, jam non est aptus ad *absolutionem* recipiendam....

» Quando vero, et quomodo *excusetur pœnitens* a manifestando complice propter infamiam, aut damnum proprium quod sibi timet, *ex particularibus circumstantiis* judicandum erit; tam grave enim esse potest communitatis damnum, ut pœnitens teneatur illud impedire, etiam cum aliquo gravi suo detrimento. » — *De Lugo, De pœnit., disp. 16, num. 432 et seq.* — *Cf. n. 1482.*

1657. **II.** « Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos : exceptis, quoad reservationem, casibus et personis de quibus,

jure vel privilegio, permittitur ut Episcopus vel alius absolvat. »

Isti percussores clericorum, si ita *notorii* sint ut nullus sit tergiversationis locus, *vitandi* sunt antequam nominatim fuerint denuntiati. — *Cf. n. 1597.*

a) Hujus privilegii, quod *canonis* appellari consuevit, cum sit *in favorem status clericalis*, interpretatio est *late* facienda.

Unde, *clericorum* nomine veniunt quicumque *tonsuram* acceperunt, modo habitum clericalem deferant (*cf. n. 350*); appellatione autem *Monachorum*, omnes *Religiosi* sodales utriusque sexus, qui vota etiam simplicia emiserunt, eorumque *Novitii*, et *Tertiarii* gestantes habitum et in communitate viventes.

b) « *Violentas manus injicientes* » sunt illi qui in personam clerici, non verbis, sed factis injuriam committunt, lædendo nimirum aut *corpus* ejus, aut *libertatem*, aut *dignitatem.*

Unde, censuram incurrit ille qui etiam leviter percutit clericum, si percussio, ratione *reverentiæ* huic debitæ, vel ratione *circumstantiarum*, existimetur graviter injuriosa.

c) « *Suadente diabolo* »; id est, ex malitia graviter peccaminosa. — Unde, censuram non incurrit ille qui, ob plenæ *advertentiæ* defectum, ut ex subita ira, aut justa aliqua causa, percutit.

d) Utrum *impuberes* huic excommunicationi subjaceant, non constat. — *Cf. n. 1552.*

Equidem *olim* obnoxii erant. — *Cf. cap. Mulieres, et cap. Pueris, De sent. excomm.*

Verum, cum in præsenti constitutione *non exprimantur*, merito dubium moveri potest utrum censuram incurrant; nam, quando Legislator voluit et hos teneri, id expressit. — *Cf., ex. gr., n. 1661.* — *Comment. Reat.*

e) Item disputatur utrum *mandantes, consulentes*, et omnes generatim *cooperatores*, incurrant excommunicationem, licet de illis nulla specialis mentio fiat in hoc articulo.

Qui negativam sententiam tenent, *eodem argumento* utuntur : quippe lex quæ mandantes et cooperatores *in aliis articulis*, ut, ex. gr., in art. 5 inter excommunicationes speciali modo reservatas *expressit*, eos hic præterit. — *Ita Comment. Reat. et P. Ballerini.*

f) Quod attinet ad *absolutionem*,

1º Si percussio fuerit *levis*, id est gravem quidem injuriam inferat, sed citra grave damnum, ut, v. gr., quæ fiat pugno, pede, lapide, fuste, *Episcopus* potest percussorem absolvere.

2º Si percussio fuerit *gravis*, ita ut, ex. gr., dens excutiatur, aut copia sanguinis effundatur, Episcopus potest quidem percussores absolvere si delictum sit *occultum* (*cf. n. 1581*); sed, quando crimen *notorium* est, non potest absolvere nisi *mulieres*, et eos qui *collegialiter* seu in communitate vivunt. — *Cap. Mulieres, 6, de sent. exc.; — cap. 9, De vita et honest. cleric.*

3º Demum, si *enormis* fuerit percussio, ut membri mutilatio aut disruptio, oculi exclusio, etc., Episcopus nequit absolvere nisi *impuberes*, si revera absolutione indigeant. — *Cap. 50 et 60, De sent. excomm.*

4º *In dubio* utrum percussio fuerit levis, an gravis aut enormis, pro majori standum est, quia favendum est privilegiatis, ex prænotata regula interpretationis.

Animadvertendum autem est quod percussio *levis* potest evadere *gravis* ratione personæ læsæ, personæ lædentis, personæ coram qua fit percussio, ratione scandali, loci, temporis, injuriæ, etc. — *Ita communiter.*

5º *Prœlati regulares*, de jure communi, absolvere possunt *suos subditos* si percusserint *ejusdem Ordinis* consodalem, nisi percussio sit enormis, aut manus injecta fuerit in Episcopum seu Abbatem. — *Cap. Cum illorum, 32, De sent. excommunicationis.*

Non potest vero a Prælato suo Religiosus absolvi, si percusserit *clericum sœcularem;* sed pro absolutione adeunda est *Sedes Apostolica*, licet absolvi possit ab Episcopo si percussio fuerit levis. — *Cap. 32, De sent. excomm.*

Et, si percusserit Religiosum *alterius Ordinis*, « per Ab-

batem proprium et ejus qui passus est injuriam absolvatur ». — *Cap. cit.*

Attamen, ex *privilegiis particularibus*, Prælati regulares passim absolvunt suos subditos, etiamsi percussio fuerit enormis, vel percussus sit clericus sæcularis, aut Religiosus alterius Ordinis. — *S. Lig., lib. 7, num. 107.*

1658. **III.** « Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam vel favorem præbentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. »

a) « *Perpetrantes duellum* », etiamsi fiat ad primam sanguinis effusionem, ut aiunt, modo certamen sit *singulare*, *ex condicto* susceptum, et inducens *grave periculum* mortis aut mutilationis.

b) « *Simpliciter ad illud provocantes* », vel « *ipsum acceptantes* », etiamsi duellum non sequatur.

c) « *Quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præstantes* », nempe patrini, nuntii, suadentes, consulentes, dictantes litteras provocatorias, et quomodolibet ad duellum cooperantes publice vel occulte ineundum. — *Cf. Trid., sess. 25, cap. 19, De ref.*

1° Unde, ex decisione S. Officii, 28 maii 1884, excommunicationem incurrunt : tum *medicus* qui, rogatus a duellantibus, duello adsistit cum intentione *citius finem pugnæ imponendi*, vel simpliciter *vulnera ligandi et curandi :* tum *medicus* et *confessarius* qui, *ex condicto*, duello sunt præsentes in domo vicina, vel in loco propinquo sistunt, parati ad præbendum suum ministerium duellantibus, si opus fuerit.

Aliud plane est, si quis cum dicta intentione, *duellantibus ignaris*, vicinus latet.

2° An autem complices et cooperatores excommunicationem incurrant si pugna *ad effectum* non perducatur ? Alii affirmant ; negant vero alii, quia tunc non verificatur quod *duelli complices et cooperatores* fuerint.

d) « *De industria spectantes* », scilicet qui sua præsentia duellantes ad pugnam incendere videntur, non vero illi qui adspiciunt, *casu transeuntes*, vel *in secreto*, vel a longe; nec qui adeunt ad locum certaminis ut *duellum impediant*.

e) « *Illud permittentes vel non prohibentes* » cum prohibere *valent* ac *debent*, ut duces exercitus, præfecti, et alii auctoritate publica pollentes.

De prava duellorum consuetudine, cf. epistolam *Pastoralis officii*, Leonis XIII, 22 sept. 1891. — *Cf. num. 325, num. 1333 et 1709.*

1659. **IV**. « Nomen dantes sectæ *Massonicæ* aut *Carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur; — nec non iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; — earumque occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint. »

Confer epistolam encyclicam Leonis XIII, *Humanum genus*, 20 apr. 1884, ubi, ad funestæ pestis prohibenda contagia, in *Massonicam ipsam societatem*, in *doctrinam* ejus universam, et *consilia*, et *sentiendi consuetudinem et agendi*, pernitiososque ejus *fructus* maxima acerbitate permixtos, animum intendit, et Apostolica sua auctoritate, quæcumque contra Massonum sectam decreverunt Romani Pontifices ejus decessores, omnia et singula rata habet et confirmat. — *Cf. epist. ejusd. Pontif., 3 nov. 1892.*

Porro, præfatæ excommunicationi subjacent:

a) *Adscripti sectis damnatis*, nempe quicumque, *scientes* et *volentes*, in eas admittuntur, quocumque *ritu* vel quamvis sine ritu initientur.

1° Utrum secta aliqua inter damnatas referenda sit, colligendum est: tum ex *S. Sedis Præsulumque declarationibus*, tum ex *ipsorum adscriptorum* responsionibus, si his nempe exploratum sit societatem cui nomen dederunt aliquid contra Ecclesiam, vel civile Gubernium, machinari.

Nec refert utrum secta agat *palam* vel *clandestine*,

utrumve exigat juramentum de *secreto* servando necne. — *Decretum Sancti Officii, 10 maii 1884.*

2º Satis non est, ut declaravit Sacra Congregatio Sancti Officii, 5 jul. 1837, quod sectarium emissi juramenti *pœniteat* ut possit absolvi, si externe cum iisdem sociis adhuc communicet. Debet vero sectam *abjurare*, eique valedicere, itemque libros ac signa omnia *tradere*, ut ad Episcopum vel Inquisitorem transmittantur, aut saltem *comburere*, si justæ gravesque causæ id postulent.

3º *Prohibetur* quoque omnis societas, nec absque gravi culpa ullus ei nomen dare potest, quæ ab asseclis exigit *secretum* et *omnimodum obsequium* suis ducibus ; at non eo ipso incurritur præfata *censura*. — *Cit. Instruct. S. Officii, 10 maii 1884.*

b) « *Favorem qualemcumque præstantes,* » id est, ex. gr., qui eis præbent *consilium* vel *auxilium ;* qui eas in suis ædibus *receptant ;* qui alios *hortantur* iisve suadent ut hujusmodi societatibus se adscribant ; et demum, omnes qui quovis modo *cooperationis graviter illicitæ* reos se constituunt.

c) « *Non denuntiantes* » Inquisitori vel Episcopo, aut judici a Sede Apostolica delegato, « *earum occultos coryphæos ac duces* ». — Et hæc obligatio denuntiandi, omnibus fidelibus injuncta, iterum asseritur in Instruct. S. Officii, *1 febr. 1871 et 10 maii 1884.* — *Cf. n. 1482.*

1º Sufficit autem ut rei manifestentur per *interpositam* personam, v. gr. per *confessarium*, ut constat ex responsione S. Officii, *15 jun. 1870.*

2º Et cessat probabilius obligatio denuntiandi, si *nulla spes punitionis* eluceat, v. gr. in locis ubi, ob libertatem omnibus adsertam, hæreticorum et sectariorum errores impune grassantur.

3º Lapsus notabilis *temporis* requiritur ad excommunicationem incurrendam pro omissa denuntiatione. Talis est *integer mensis* ex quo quis obligationem novit et poterat adimplere, secundum communem regulam. — *Bucceroni, Comment., n. 53.*

d) Dicitur « *earum coryphæos ac duces* ». Per præsentem igitur constitutionem nulla quidem adest censura quoad denuntiationem omittentes *aliorum* sectariorum.

Verum remanet *obligatio* eos denuntiandi, vel ex *lege ecclesiastica*, si hæc vigeat, vel ex *lege naturali*, quæ graviter obligat ubi ageretur de gravi damno evitando. — *Bucceroni, loc. cit.*

e) Dicitur « *donec non denuntiaverint* ». Post contractam excommunicationem, cessat igitur saltem ejus *reservatio* ipso facto denuntiationis, ita ut tunc quilibet confessarius absolvere possit.

Imo, non desunt qui affirment et *ipsam excommunicationem* cessare, quia non reservatio dumtaxat, sed ipsamet excommunicatio *conditionate* fertur.

1660. **V.** « Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut usu temerario violantes ».

Cf. n. 1284, ubi de immunitate ecclesiarum.

1661. **VI.** « Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; — pariterque eos introducentes vel admittentes ; — itemque Moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam a S. Pio V in constit. *Decori* præscriptam. »

Cf. Tract. De Regularibus, ubi de obligatione clausuræ quoad Moniales, n. 1171 et seq.

1662. **VII.** « Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, — et Superiores aliosve eas admittentes. »

Cf. Tract. De Regularibus, ubi De obligatione clausuræ quoad viros, n. 1170.

1663. **VIII.** « Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, — eorumque complices. »

a) *Simonia realis* habetur, quando aliquis *emit* vel *vendit* ipsum beneficium ; aut collationem ejus, aut provisionem ; aut demum electionem vel præsentationem ad illud obtinendum : modo exsecutio conventionis sit *ex utraque parte saltem incœpta.*

b) *Beneficia*, cum simus in odiosis, intelliguntur de beneficiis *proprie dictis*, sive sæcularibus sive regularibus. Unde, probabilius in præsenti articulo non comprehenduntur *officia ecclesiastica quæ carent beneficio*, nec parœciæ succursales ad nutum *amovibiles*, etsi in favorabilibus sub nomine beneficiorum venire possint.

1664. **IX.** « Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis. »

a) Hæc censura incurritur quando quis, electione, præsentatione, collatione, resignatione, etc., beneficium proprie dictum alteri procurat cum certa *confidentia*, id est pacto, expresso vel tacito, ut is cui procuratur, post aliquod tempus, idem beneficium ipsimet procuranti vel alteri *resignet*, aut *pensionem* ex eo præstet.

b) Hæc simonia, si fuerit *ex una parte consummata*, ex. gr. si Episcopus, cujus nepos nondum est beneficio idoneus, illud alicui conferat ea lege ut iste postea nepoti, cum idoneus fuerit, illud resignet, hunc effectum sortitur ut *uterque*, conferens scilicet et accipiens, ipso facto excommunicationem incurrant.

1665. **X.** « Reos simoniæ realis ob ingressum in Religionem. »

a) Incurritur censura ab eo qui *propter ipsum ingressum in Religionem*, dat vel accipit aliquid temporale, postquam simonia facta est *realis*, id est *ex utraque parte fuit completa;* ideoque, ex sententia valde probabili, nonnisi post emissam solemnem professionem.

b) Verum simonia non est quando aliquid accipitur titulo meræ *eleemosynæ*. — Item *Moniales* possunt semper *dotem* recipere, et de ea pacisci. — Et a monasteriis *virorum* aliquid accipi potest, titulo sustentationis, pro tempore novitiatus. — *Cf. n. 1136.*

1666. **XI.** « Omnes qui, quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur constitutione S. Pii V, *Quam plenum*, 2 januarii 1569. »

a) Porro, in hac constitutione excommunicatio lata est in « *Episcopis inferiores* » qui, *accepta pecunia*, concesserint vel publicaverint, sive indulgentias, sive alias spirituales gratias in ipsa S. Pii V constitutione designatas.

b) *Hæ autem sunt :* 1° Facultas eligendi sibi sacerdotem pro absolutione a casibus Episcopo reservatis; — 2° celebratio Missæ, et sepultura, tempore interdicti; — 3° ciborum prohibitorum usus ; — 4° assumptio plurium compatrum ad sacrum Baptisma, contra decretum concilii Tridentini; — 5° absolutio a reali simonia Papæ reservata.

1667. **XII.** « Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. »

Hanc excommunicationem incurrunt tum *clerici* (qui olim *suspensione* plectebantur), tum *laici*, quoties, pro Missis celebratis vel celebrandis tradito stipendio, retinent ejus partem ceu lucrum, et quidem tantam quanta sufficit ad *furtum grave*. — Sed necesse est :

a) Ut sint *colligentes*, quasi *ex industria*, eleemosynas manuales vel ex fundatione taxatas pro Missis.

Unde, tametsi peccet, censuram tamen non incurrit qui lucrum captat ex stipendiis quæ *sibi dantur* ut ipse ea persolvat; neque ille cui *sponte deferuntur* ut Missas ab aliis celebrandas curet, nisi illi qua *collectori* deferantur; neque ille qui semel aut iterum parvum aliquem Missarum numerum colligeret, cum non sit veri nominis *collector*.

b) Ut sint *lucrum captantes*. — Unde,

1° Qui excessum *in pios usus impendit*, censuræ non subjacet, tametsi non sit immunis a culpa, ut constat *ex decreto S. C. C., 9 sept. 1874*.

2° Nec culpæ reus est qui aliquid tanquam *justum sui laboris pretium* sibi retinet; nam, ut loquitur S. Alphonsus, « si ille ad hoc munus sit destinatus, et suus labor vere mercedem mereatur, tunc hujusmodi merces ei debetur ex naturali æquitate, et ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium ». — *Lib. 6, num. 322.*

3° Non quidem incurrunt censuram, sed turpi mercimo-

nio concurrunt, ideoque *improbandi* sunt, atque etiam *coercendi*, ii qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt *bibliopolis mercatoribus*, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidpiam ab iisdem præmii nomine. — *S. C. C., 9 sept. 1874.*

c) *Disputabatur* utrum incurreret censuram ille qui Missas celebrari faceret, retenta stipendii parte, in loco ubi *idem stipendium* dari solet.

Verum, ex responsione *S. C. S. O., 16 jan. 1892*, certum est et in hoc casu censuram incurri.

1668. **XIII**. « Omnes qui excommunicatione mulctantur in constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, quarto kal. april. 1567; Innocentii IX, *Quæ ab hac Sede*, pridie non. nov. 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 jun. 1592; et Alexandri VII, *Inter cæteras*, nono kal. nov. 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus. »

Cf. Tract. De Romano Pontifice, ubi de principatu ejusdem temporali, n. 407.

1669. **XIV**. « Religiosos præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum Extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare, absque parochi licentia. »

Cf. Tract. De parocho, ubi de jure parochi quoad sacramenta, num. 927.

1670. **XV**. « Extrahentes, absque legitima venia, reliquias ex sacris cœmeteriis sive catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes. »

a) Legitima venia consistit in eo ut *scripta* habeatur facultas, subscriptione et sigillo *Cardinalis Urbis Vicarii* munita; et ut extractio ex catacumbis fiat præsente sacerdote delegato. — *Constit. Clementis X, Ex commissæ, diei 13 jan. 1672.*

b) Nihil refert utrum quis in magna vel in parva quantitate extrahat, si *constet* esse ex reliquiis *martyrum*, ex. gr., cum phialæ vitreæ, vel figulinæ tinctæ cruore aut

saltem crustas sanguineas occludentes, ad loculos sepultorum intus vel extra appositæ reperiuntur. — *S. C. Rit., 27 nov. 1863. — Cf. S. C. Indulg., 15 mart. 1852.*

c) Cum vero in iisdem cryptis seu catacumbis, ait *Avanzini,* passim reperiantur ossa et cineres in loculis apertis, de quibus jam constat *non esse* ossa et cineres *martyrum*, sed fidelium qui ibi reconditi fuerunt, non videtur censuram incurrere qui, cryptas visitans, memoriæ vel devotionis causa, sibi aliquid ex his ossibus vel cineribus assumeret.

Secus si de reliquiis ageretur de quibus sintne martyrum, an mere fidelium, *nondum constaret.*

1671. **XVI.** « Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. »

Confer n. 1619, ubi de effectibus excommunicationis.

1672. **XVII.** « Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, — et ipsas in officiis recipientes ».

Confer n. 1599, 1601 et seq.

1673. **XVIII.** « Absolvere præsumentes, sine debita facultate, etiam quovis prætextu », ab excommunicationibus speciali modo Romano Pontifici reservatis. — *Constit. Apostolicæ Sedis, tit. 1, sub finem.*

Cf. n. 1562 et 1580, ubi de absolutione a censuris.

1674. **XIX.** *Ex concilio Tridentino, sess. 22, cap. 11, De ref.* : « Si quem clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte aut

quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur : is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ, ejusque administratori sive beneficiato, integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. »

a) Conferenda est hæc censura cum *art. 11 et 12* inter excommunicationes hujus Constitutionis *speciali modo* reservatas.

1° In *istis* agitur de bonis et juribus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentibus (*cf. n. 1652*); ac de locis et juribus pertinentibus ad Ecclesiam Romanam (*cf. n. 1653*). — Atque hujusmodi « occupatores bonorum ecclesiasticorum innodantur *sola* excommunicatione R. P. *specialiter* reservata ». — *S. C. S. Offic., 8 jul. 1874.*

2° *Hæc* censura Tridentina complectitur *omnia bona* vel *jura* quæ quovis modo *ecclesiastica* dici possunt; et attingit omnes prorsus *personas*, et omnes *actus* quibus dominium transfertur.

b) Censuræ non subjacet qui nullam *vim*, *metum, fraudem* aut *prætextum* adhibuit, ut si quis rem sibi commodatam vel apud se depositam restituere omittat.

c) In hanc autem censuram incidunt *emptores* bonorum ecclesiasticorum de quibus agitur : tum quia emptores bona ejusmodi in suos usus convertunt, usurpando *sub colore contractus,* cum noscant usurpatorem neque dominum eorum esse, neque legitimum administratorem, ut ait *Avanzini :* tum quia definiti id juris est, ex decret. S. Officii, diei 8 jul. 1874. — *Cf. n. 1652.*

1675. **XX.** Ex constit. *Ex debito,* Urbani VIII; et const. *Sollicitudo*, Clementis IX, quas Pius IX, per authenticam S. Officii declarationem, *4 dec. 1872,* adhuc vigere pronuntiavit, excommunicantur Missionarii, et alii ecclesiastici viri,

qui, per se vel per alios, quovis titulo aut forma, mercaturæ dant operam in Indiis Orientalibus vel in America; itemque Superiores qui delinquentes Religiosos sibi immediate subjectos non puniunt.

a) Hæc censura *inter reservatas* ponitur, eo quod, sic statuente Clemente IX, « nemo ex prædictis delinquentibus absolvi possit præterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris hujusmodi prius restitutis ».

b) Quod si restitutio, non promissa tantum, sed reapse *facta fuerit*, scilicet causis piis, non tamen Instituto delinquentium, excommunicatio non amplius ut reservata habenda est, ut patet.

c) Hæc prohibitio ac pœna, non solum afficit Missionarios *Europæos*, sed etiam *quoscumque ecclesiasticos viros* qui, sub nomine Missionariorum, aut *quovis alio titulo*, pro tempore missi fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur. — *S. C. S. O., 17 jan. 1883.*

§ III. EXCOMMUNICATIONES LATÆ SENTENTIÆ, EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATÆ.

Huic excommunicationi Pius IX subjacere declaravit :

1676. **I.** « Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; — nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes. »

a) Excommunicationi subjacent, si præsumant contrahere matrimonium sic dictum *civile*, in locis etiam in quibus lex Tridentina *de clandestinitate* viget. — *S. C. S. Offic., 22 dec. 1880.*

b) Et si clericus, vel Regularis, aut Monialis, præter impedimentum voti solemnis castitatis, *alia* habeat *impedimenta*, v. gr. affinitatis, consanguinitatis, nihilominus hanc censuram incurrit. — *S. C. S. O., 16 jan. 1892.*

c) Cum excommunicatio feriat *præsumentes* contrahere, ideo, si uterque, vel alter eorum *ignorantia* labora-

verit, seu juris seu facti, etiam *crassa* et *supina*, excommunicatio ignorantem non tenet, etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverit. — *Comment. Reat.*

1677. **II.** « Procurantes abortum, effectu secuto. »

a) Procurantes dicuntur proprie qui abortum *directe* intendunt, et opere exteriori *de se* efficaci, ut reapse sequatur, *de industria* conantur, nempe omnes qui « abortus seu *fœtus immaturi ejectionem* procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit ». — *Constitutio Effrænatam, Sixti V, diei 25 oct. 1588.*

1° *Mandantes* et *metum incutientes* communiter dicuntur censuram incurrere. Unde, ea plectuntur maritus, fornicator, *jussione* vel *minis* cogentes mulierem ut sibi abortum inferat.

2° Commentator *Reatinus* inter procurantes abortum non recenset illum qui, jussu aut mandato alterius, facit ut mulier abigat, « nam *procurantes* accipere hoc loco debemus ut in veteri jure, non eos qui *pro alio*, sed eos qui, per se sive per alium, curant, faciunt ut mulier abigat ».

Doctissimus *Pennacchi* negari non posse arbitratur hanc sententiam gravibus niti argumentis quæ *veram probabilitatem* constituant, ideoque dubium juris de legis existentia inducere; hinc non esse de excommunicatione damnandos mandatarios, saltem usque dum per authenticam declarationem contrarium non constet.—*Comment. vol. 2, p. 39.*

3° A censura eximitur qui prægnantem graviter percutit ex *ira*, *odio*, vel *zelotypia*, prævidens forsan abortum, sed *non intendens*.

b) Cum in præsenti articulo non recenseantur qui « ad tale facinus committendum *opem*, *consilium*, *favorem* scienter dederint », ut in Sixtina constitutione legebatur, patet hos postremos præfatam censuram non incurrere.

Ideo excusantur, non quidem a culpa, sed a censura, medicus et pharmacopola *apta media indicantes* aut *ven-*

dentes. — Nec censuram incurrit qui solummodo *suadet* ut abortus procuretur.

c) Dubitatur an *ipsa mulier* quæ abortum sibi procurat, incurrat excommunicationem.

1º *Alii affirmant*, insistentes sensui obvio præsentis excommunicationis generaliter latæ contra procurantes abortum, absque ulla specie restrictionis.

2º *Alii vero negant.* — Quorum sententiam suo tempore *Sanctus Ligorius* valde probabilem, et, attenta ratione intrinseca, *probabiliorem* appellabat. — *Lib. 4, num. 395.*

« Ratio autem cur Papa exemisse præsumitur prægnantes ab hac excommunicatione, verisimiliter opinantur quia forte compassus est *infirmitati fœminarum* quæ, dum impulsæ a vehementi timore damni obventuri, hæc medicamenta sumunt, et dum a tanto facinore non abhorrent, facile etiam *excommunicationem parvipenderent;* et ideo Pontifex, ad vitandum novum animæ laqueum et alia pericula, præsertim sacrilegarum confessionum, eos noluit comprehendere. » — *S. Lig., loc. cit.*

Hanc sententiam, post constitutionem *Apostolicæ Sedis*, non pauci Commentatores propugnant; ideoque, stante *dubio juris,* ea *in praxi* servanda est, saltem usque dum aliqua authentica declaratio non prodierit.

d) In constitutione Pii IX nulla distinctio fit inter *fœtum animatum* vel *inanimatum*, ideo fortasse quia fœtus inanimati hypothesis uti prorsus obsoleta habenda est.

e) Tuto doceri non potest in scholis catholicis, licitam esse operationem quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint : ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte; et generatim quamcumque chirurgicam operationem *directe* occisivam fœtus vel matris gestantis. — *Sac. Cong. S. Officii, 28 maii 1884; — 19 aug. 1889.*

Verum chirurgi craniotomiam exercentes, licet graviter peccent, hanc *censuram* non incurrunt.

1678. **III.** « Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes. »

a) *Utentes* sunt illi qui litteras falsas, nempe immutatas aut suppositas, exhibent, ut effectum intentum consequi valeant.

b) *Cooperantes* sunt illi qui utenti, non autem falsificanti, operam præstant.

Quod si quis litteras *conficiat*, eisque *utatur*, duplicem excommunicationem incurrit. — *Cf. n. 1650.*

§ IV. EXCOMMUNICATIONES LATÆ SENTENTIÆ NEMINI RESERVATÆ.

A. — Huic excommunicationi Pius IX in constitutione *Apostolicæ Sedis* subjacere declaravit :

1679. **I.** « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos. »

Cf. n. 1609, ubi de effectibus excommunicationis.

1680. **II.** « Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii ; — ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes ; — vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes. »

a) *Diripientes*, id est quasi prædantes, non autem auferentes clam unam vel alteram scripturam.

b) *Scripturas*, id est instrumenta sive publica sive privata, sive manuscripta sive typis impressa, quæ pertinent ad hoc Tribunal.

1681. **III.** « Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam extravagantis *Ambitiosæ, De reb. Eccl. non alienandis.* »

Cf. Tract. De parocho, ubi de alienatione bonorum ecclesiasticorum, n. 965 et seq.

1682. **IV.** « Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a prædecessoribus nostris Gregorio XV, constit. *Universi*,

20 augusti 1622; et Benedicto XIV, constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 junii 1741. »

Cf. Tract. De judiciis, ubi de denuntiatione, n. 1483; — Prælect. Theol. mor., ubi de confessariis sollicitantibus; — Bucceroni, Comment. in constit. Bened. XIV; — Rota, Enchirid. confessarii, n. 164 et seq.

1683. **V.** Eos « qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. »

Cf. Tract. De Curia Romana, ubi de Sacra Congregatione Indicis, n. 457 et 462.

B. — *Ex concilio Tridentino,* pariter sine ulla reservatione, excommunicantur :

1684. **VI.** Magistratus sæculares, si ad instantiam Episcopi non præbeant auxilium adversus contradictores clausuræ Monialium. — *Sess. 25, cap. 5, De Reg.*

Hæc tamen censura, ait *Avanzini,* in præsenti societatis statu, per non usum jam videtur in *desuetudinem* abiisse.

1685. **VII.** Raptores mulierum, et ejusmodi raptoribus consilium, auxilium et favorem præbentes. — *Sess. 24, cap. 6, De ref. matrimonii.*

Impedimentum dirimens cessat, si rapta sub raptoris potestate non amplius detineatur; verum *excommunicatio* perseverat, et nonnisi absolutione finem habet.

1686. **VIII.** Libertatem matrimonii contrahendi violantes, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis exsistant, si quovis modo, directe vel indirecte, subditos suos vel quoscumque alios cogant quominus libere matrimonia contrahant. — *Sess. 24, cap. 9, De ref. matrim.*

a) Hæc censura non fertur in quaslibet personas sed, ut *inscriptio* capitis Tridentini, et hujus *exordium* omnino suadet, contra eos solum qui neque *privatæ* personæ sunt, neque *summa* potestate sæculari potiuntur, scilicet contra « *dominos temporales et magistratus* » qui auctoritatem quasi mediam exercent. Ideo hodie raro in praxi occurret.

b) Videtur tamen aliquando, nostris temporibus, acci-

dere posse ut verificetur causa a concilio Tridentino damnata, nempe si *magistratus civilis*, post matrimonium *auctoritate ecclesiastica* legitime *solutum*, sive pro *nullo* declaratum, putativos conjuges ad matrimonium continuandum *cogere* velit. — *Lehmkuhl, Theol. mor., tom. 2, num. 982.*

1687. **IX.** Omnes cogentes quamcumque mulierem, præterquam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel professionem emittendam in quacumque Religione; — quique consilium, auxilium, vel favorem dederint. — Item qui, sine justa causa, mulierem a Religione impediunt. — *Sess. 25, cap. 18, De Reg.*

a) *Tria* distincte enumerantur, scilicet coactio ad *ingrediendum* monasterium, ad suscipiendum *habitum*, et ad *professionem* emittendam. — *Cf. n. 1132.*

Unde, censuram incurrit etiam qui feminam cogit ad *ingressum monasterii*, non ut profiteatur, nec ut habitum sumat, sed ut tantum in secessu a sæculo vivat.

Aliter dicendum esset de compulsu pro tempore, solius *educationis* causa. — *Cf. S. Lig., lib. 6, n. 212.*

b) Excipiuntur casus a jure expressi, nempe si vir, consentiente uxore, in *Episcopum* assumatur (*cf. n. 316*); vel *Religionem* ingrediatur, dum uxor est in juvenili ætate (*cf. n. 1106*); aut mulierem ob *adulterium* repudiatam nolit recipere, et periculum pravæ vitæ adsit (*cap. 19, De convers. conjug.*).

1688. **X.** Qui docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit: non esse sacramentalem confessionem necessario sumptioni SS. Eucharistiæ præmittendam ab illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque se contritos existiment, habita copia confessoris. — *Sess. 13, can. 11, De Eucharistia.* — *Cf. Tract. De pœnit., apud Theologos.*

Item qui negant vera ac rata esse matrimonia clandestina quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; — quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias, sine consensu parentum

contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. — *Sess. 24, cap. 1, De ref. matrim.*

§ V. SUSPENSIONES LATÆ SENTENTIÆ.

Suspensiones latæ sententiæ hodie in Ecclesia vigentes : aliæ enumerantur in constitutione *Apostolicæ Sedis ;* aliæ renovantur *ex concilio Tridentino ;* hisque adjungitur una ex constitutione *Romanus Pontifex* Pii IX, 28 aug. 1873.

A. — Suspensiones in constitutione *Apostolicæ Sedis* septem enumerantur, quæ omnes *R. Pontifici simpliciter reservatæ* declarantur.

1689. **I.** « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum, aliique omnes qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint litteras Apostolicas de sua promotione. »

Cf. Tract. De jurisd. eccles., n. 200. — Cf. n. 1623.

1690. **II.** « Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. ».

Cf. n. 281 et seq., ubi de titulo Ordinationis.

1691. **III.** « Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus ; — vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus. »

Cf. n. 275 et seq., ubi de litteris dimissoriis, et litteris testimonialibus.

a) Dicitur « *Ordinantes* » ; ergo, cum prima clericalis

tonsura non sit *ordo*, quamvis Episcopus eam conferens, proprio Ordinario inconsulto, *illicite* ageret, hanc tamen *suspensionem* non incurreret. — *Ita communiter.*

b) Cum *Regulares exempti* sint subditi *alieni*, ideo Episcopus ordinans Regularem sine dimissorialibus sui Superioris litteris, præsentem suspensionem incurreret. — *Cf. n. 1219.*

1692. **IV.** « Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo. »

Cf. n. 281 et seq., ubi de titulo Ordinationis.

1693. **V.** « Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes. »

Cf. Tract. De Regularibus, n. 1236 et seq.

1694. **VI.** « Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : — eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus. »

Cf. n. 271, ubi de legitimo Ordinationis ministro ; et num. 1600, ubi de effectibus excommunicationis.

1695. **VII.** « Clerici sæculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe Roma commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario, absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint ; — nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Cardinalem Urbis Vicarium, vel non præmissis

ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes, ab usu pontificalium per annum. »

Cf. n. 277, ubi de litteris dimissorialibus; et n. 299, ubi de exercitiis spiritualibus sacræ Ordinationi præmittendis. — Cf. n. 433.

B. — Suspensiones *ex concilio Tridentino* sunt pariter septem, quarum aliæ Romano Pontifici, aliæ *Episcopis,* aliæ autem *nemini reservantur,* videlicet :

1696. **VIII.** Suspensionem ab exercitio pontificalium incurrit Episcopus qui pontificalia exercet in aliena diœcesi sine expressa Ordinarii loci licentia, vel in personas eidem Ordinario non subjectas. — Et, si hoc modo ordines conferat, ordinati remanent ab exsecutione ordinum ipso jure suspensi. — *Trid., sess. 7, cap. 5, De ref.* — Hæc censura non est reservata.

Cf. n. 296, ubi de loco Ordinationis, et n. 656, ubi de usu pontificalium.

1697. **IX.** Suspensionem ab exercitio ordinum, *ad beneplacitum futuri Prælati,* incurrit clericus qui, sede episcopali vacante, infra annum a die vacationis majores ordines suscepit per litteras a Capitulo seu Vicario Capitulari acceptas, nisi tamen ratione beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi arctatus fuerit. — *Trid., sess. 7, cap. 10, De ref.; — sess. 23, cap. 10, De ref.*

Cf. n. 276, ubi de litteris dimissorialibus.

1698. **X.** Suspensionem per annum ab exercitio pontificalium incurrit Episcopus Titularis qui, etiam si in loco nullius diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis Ordinis resederit aut moram traxerit, vigore cujuslibet privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii Prælati expresso consensu aut litteris

dimissoriis, ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram, promoverit, seu ordinaverit. — *Trid., sess. 14, cap. 2, De ref.*

Et taliter promotus, ab exsecutione ordinum sic susceptorum, *donec suo Prælato visum fuerit,* ipso jure est suspensus. — *Trid., loc. cit.*

Cf. n. 701, ubi de potestate Episcoporum Titularium.

a) Pœna quæ Episcopum Titularem afficit, cum sit ab *ipso jure* ad *tempus determinatum* inflicta, *relaxari* nequit, tempore nondum elapso, nisi a Summo legislatore, nempe Romano Pontifice.

b) Cum ex toto contextu citati capitis Tridentini *præsumptio* requiratur ad incurrendam suspensionem, inde sequitur *ignorantiam* etiam *crassam* ab eadem excusare. *Cf. n. 1569.*

1699. **XI**. Suspensionem a collatione ordinum per annum incurrit Episcopus qui subditum alienum (etsi litteris dimissorialibus vel privilegio Apostolico munitum) ordinat absque litteris testimonialibus, quibus ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. — *Trid., sess. 23, cap. 8, De ref.*

Absolutio hujus censuræ, ante annum elapsum, Romano Pontifici reservatur. — *Cf. n. 1698.*

Et *sic ordinatus*, a susceptorum ordinum exsecutione est suspensus, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. — *Trid., loc. cit.*

Cf. n. 275, ubi de litteris testimonialibus.

a) Licet et *prima tonsura* clericalis sine venia Episcopi diœcesani conferri nequeat *(cf. cap. Nullus, de temp. Ordin., in 6o)*, attamen, cum sub nomine *ordinis* non veniat hæc clericalis tonsura, ob ejus collationem non incurritur *suspensio* ab ordinum collatione, ut plurimi Commentatores arbitrantur.

b) Episcopi transgressores suspensionem incurrunt etiam citra *præsumptionem*, cum hanc Patres Tridentini non exegerint, secus ac de Episcopis Titularibus modo diximus.

1700. **XII**. Suspensionem ab officio et beneficio per annum ipso jure incurrit Capitulum, vel Vicarius Capitularis, litteras dimissorias infra annum a die vacationis concedens ei qui beneficii ecclesiastici recepti aut recipiendi occasione arctatus non fuerit. — *Trid., sess. 7, cap. 10, et sess. 23, cap. 10, De ref.*

Cf. n. 828, ubi de potest. Vicarii Capitularis.

a) Ex probabili sententia, suspensio non incurritur nisi ordinatio ex concessis litteris dimissoriis *secuta* sit. — *Cf. Pennacchi, Comment., tom. 2, pag. 471.*

b) Absolutio hujus suspensionis, anno nondum elapso, *reservatur* Summo Pontifici, ut patet ex antea dictis, *num. 1698.*

1701. **XIII**. Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi qui matrimonii interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. — *Sess. 24, cap. 1, De ref. matr.*

Cf. n. 929, ubi de jure parochi quoad matrimonia.

1702. **XIV**. Episcopi concubinarii, si a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sunt suspensi, quin tamen suspensio sit reservata. — *Trid., sess. 25, cap. 14, De ref.*

Cf. n. 357, ubi de vita et honestate clericorum.

C. — *Ex constitutione Romanus Pontifex, Pii IX :*

1703. **XV**. Accedit pœna suspensionis ab exercitio pontificalium, *speciali modo* Romano Pontifici reservata, in quam ipso facto incidunt illi qui, simpliciter nominati et præsentati ad vacantes ecclesias, earum curam, regimen et administrationem suscipere audent, si episcopali charactere sint insigniti. — *Cf. n. 197, ubi de institutione canonica; et n. 1708.*

§ VI. INTERDICTA LATÆ SENTENTIÆ.

Quinque sunt interdicta latæ sententiæ : duo scilicet reservata in constitutione *Apostolicæ Sedis ;* alia duo a *Tridentina synodo* inflicta ; et unum ex constitutione *Romanus Pontifex,* contra Episcopos intrusos.

A. — *Ex constitutione Apostolicæ Sedis :*

1704. **I.** « Interdictum, Romano Pontifici speciali modo reservatum, ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis, pro tempore exsistentis, ad universale futurum concilium appellantia. »

Cf. Tract. De judiciis, n. 1524; — et n. 1645.

1705. **II.** « Scienter celebrantes aut celebrari facientes divina in locis ab ordinario vel delegato judice, vel a jure interdictis ; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes : interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. »

Cf. n. 1599, 1604 et 1609, ubi de effectibus excommunicationis ; — et n. 1636, ubi de effectibus interdicti.

B. — *Ex concilio Tridentino :*

1706. **III.** Sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ, ipso facto incurrenda, Metropolitanus Episcopos suffraganeos ultra annum absentes, et antiquior Episcopus residens Metropolitanum absentem, infra tres menses, per litteras seu nuntium, Romano Pontifici denuntiare tenetur. — *Sess. 4, cap. 1, De ref.* — Hæc censura nemini reservatur.

Cf. Tract. De Episcopo, n. 617 et seq.

1707. **IV.** Interdicto subjacet Capitulum, si infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias alicui beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi

occasione non arctato concedat. — *Sess. 7, cap. 10, De ref.* — Neque hæc censura alicui reservata est.

Cf. n. 828, ubi de potestate Vicarii Capitularis.

C. — *Ex constitutione Romanus Pontifex :*

1708. **V.** Pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ, Romano Pontifici *speciali modo* reservatam, incurrunt illi qui in citata constitutione recensentur, si episcopali charactere sint insigniti.

Cf. n. 197, ubi de instit. canonica; — et n. 1703.

CAPUT VII.

DE PŒNIS VINDICATIVIS

De pœnis vindicativis temporalibus tractare supervacaneum est, eo quod hodie non sint in usu.

Dicemus ergo de pœnis vindicativis spiritualibus, cujusmodi sunt, quod ad statum clericalem attinet : privatio, — depositio — et degradatio.

ARTICULUS I.

DE PRIVATIONE ET DEPOSITIONE.

Privatio hic intelligitur pœna ecclesiastica qua quis amittit beneficium, dignitatem, vel officia prius obtenta.

Inter *privationem* et *depositionem* hoc solum discrimen intercedit, quod depositus *inhabilis* fiat ad omnia alia beneficia, non item vero privatus.

Porro, clerici privantur suis beneficiis et officiis ratione delicti, vel *ipso jure*, vel *per sententiam judicis*, pro gravitate delictorum. — *Cf. n. 232 et seq.*

1709. **I. Delicta clericorum propter quæ beneficia ecclesiastica ipso jure amittuntur, sunt :**

a) Hæresis et apostasia a fide. — *Cap. Ad abolendam, De hæreticis; — et cap. Contra, De hæreticis, in 6o.*

b) Simonia realis aut confidentialis in adeptione aut permutatione beneficii. — *Constit. Intolerabilis, Pii V. — Cf. n. 1663 et 1664.*

c) Percussio et realis offensio Cardinalium et Episcoporum. — *Cap. Felicis, De pœnis, in 6o; — et clem. Si quis suadente, 1, De pœnis.*

d) Assassinium, seu cædes hominis alicui mandata, vel alieno mandato gesta ; et homicidium vel mutilatio rectoris aut alterius clerici illius ecclesiæ in qua homicida vel mutilator beneficium obtinet. — *Cap. 1, De homicid., in 6o ; — et cap. In quibusdam, De pœnis.*

e) Procuratio abortus, effectu subsecuto, ex bulla Sixti V, *Effrœnatam*, et ex bulla Gregorii XIV, *Sedes Apostolica.*

f) Falsificatio seu corruptio litterarum Apostolicarum. — *Cap. Ad falsariorum, De crimine falsi.*

g) Duellum, sive solemne sive privatum, sive provocatum sive non provocatum, et etiam morte non secuta. — *Constit. Ea quæ a prædecessoribus, Pii IV; — constit. Illius vices, Clem. VIII. — Cf. n. 1333 et 1658.*

h) Injusta bonorum cujuscumque ecclesiæ seu pii loci occupatio. — *Trid., sess. 22, cap. 11, De ref.*

i) Alienatio bonorum ecclesiasticorum, contra præscriptum bullæ *Ambitiosæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis.* — *Cf. n. 965 et seq.*

1710. **II. Alia crimina sunt, quibus admissis, privatio a legitimo judice infligenda est.** — Numerantur :

a) *Non residentes;* nam Episcopi, aliique animarum curam habentes, ubi non resederint, nec præviis monitionibus audientes fuerint, tum *privatione* fructuum aliisque censuris ecclesiasticis, tum demum *privatione* ecclesiæ coercendi sunt. — *Cf. n. 623 et 874.*

b) *Non suscipientes ordines* canonicatibus et beneficiis *cathedralium* et *collegiatarum* adnexos, aut a fundatore imperatos, dummodo nullum legitimum impedimentum obstiterit. — *Trid., sess. 22, cap. 4, De ref.*

Qui vero alia beneficia extra cathedrales et collegiatas ecclesias habent, si ordines *infra annum* non susceperint, ipso facto iisdem beneficiis privantur. — *Cf. Fagnanum, in cap. Cum in cunctis, De elect.*

c) Clerici qui, in sacris constituti, aut beneficia possidentes, decenti sui ordinis *habitu* non utuntur, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint. — *Trident., sess. 14, cap. 6, De ref. — Cf. n. 346 et seq.*

d) *Violantes sigillum confessionis,* aut sacrilege *confessione abutentes* in casibus RR. Pontificum constitutio-

nibus præfinitis, præsertim constitutione Benedicti XIV, *Sacramentum Pœnitentiæ*, an. 1741. — *Cf. n. 1483.*

e) *Insordescentes in censuris* per annum, si nempe obdurato animo ad beneficium absolutionis non recurrant. — *Trid., sess. 25, cap. 3, De ref.*

f) *Homicidæ;* siquidem homicidium non inducit *ipso jure* privationem, nisi certæ quædam circumstantiæ concurrant, ut si homicidium sit cum qualitate *assassinii.* — *Cf. cap. 10, De judiciis ; — cap. 1, De homicid., in 6°.*

g) *Concubinarii,* nec non illi qui detinent mulieres suspectas, si, postquam præmoniti fuerint, adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent. — *Trid., sess. 21, cap. 6, De ref. ; — sess. 25, cap. 14, De ref.*

Utrum vero, ex jure communi, propter *simplicem fornicationem*, etsi notoriam et scandalosam, clericus privari possit suo beneficio ante præviam monitionem, suspensionem et incorrigibilitatem, disputant Canonistæ.

Sed, in hypothesi quod *de jure communi* non posset privationis pœna plecti simplex fornicatio, nec etiam concubinatus, nisi præmissis monitionibus et suspensione, id saltem fieri posset *de jure particulari*, seu ex statutis particularibus ecclesiarum, et vigente apud eas consuetudine. — *Cf. Bouix, De parocho, pag. 379 et seq.*

h) Beneficiarii qui, post sex menses ab obtento beneficio, legitima monitione præcedente, contumaciter omittunt *horas canonicas* recitare. — *Conc. Later. V, sess. 9.* — *Cf. num. 1407.*

1711. **III. Utraque pœna privationis beneficii, hoc est, aut ipso jure, aut per judicis sententiam irroganda, dissimiles effectus habet.**

a) Enimvero, privatio *jure ipso* inflicta non indiget auctoritate judicis, nec sententia *condemnatoria*, ut beneficii titulum adimat, atque adeo beneficium a die patrati criminis statim vacat.

Et, quanquam hujusmodi pœnæ, quæ rebus aut quæsitis juribus privant, sententiam criminis *declaratoriam,* ex

quadam æquitate et praxi recepta, requirant, hæc tamen sententia ad diem patrati criminis *retrotrahitur ;* nec judex pœnam proprie infligit, sed *factum tantummodo declarat,* videlicet beneficiarium ejus criminis reum, vel convictum, vel confessum esse, ex quo beneficii privatio ipso jure, ipsoque facto inducta est.

Attamen, stante communi ignorantia, *validi* sunt actus quos beneficiatus *ratione sui muneris* seu officii publici, v. gr. absolutiones si sit parochus, votum electivum si sit Canonicus, etc., a tempore patrati criminis usque ad sententiam declaratoriam pergit exercere, cum Ecclesia, ob *titulum coloratum*, suppleat jurisdictionem. — *Cf. n. 204.*

b) At, privatio per sententiam judicis infligenda *vacationem beneficii non parit* nisi sententia *condemnatoria* in rem judicatam transierit; et idcirco, si quis interea resignaverit, aut permutaverit beneficium, resignatio aut permutatio consistit, nec fructus restituendi sunt.

Quin etiam, si pœnam privationis jus quidem non statuerit, sed tamen *arbitrio judicis* reliquerit, judex, si velit, abstinere potest a privatione beneficii, aliaque mitiori aut revocabili pœna in beneficiatum animadvertere. — *Soglia, Instit. juris privati,* § *100.* — *Cf. n. 1546.*

1712. **IV. Clericis, etiam ratione delicti destitutis, aliqua pensio constituenda est,** si aliunde non habeant necessarium ad congruam sustentationem, « cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, *cum ordinis dedecore* mendicare aut sordidum aliquem quæstum exercere ». — *Trid., sess. 21, cap. 2, De ref.*

Excipiunt Auctores casum *contumaciæ* ex parte clerici, quando scilicet timendum est ne forte *foveantur scandala* si, non obstante hac contumacia, ipsius necessitatibus provideatur.

ARTICULUS II.

DE DEGRADATIONE.

1713. **I. Degradatio :**

a) Est pœna qua clericus, non solum privatur officio, beneficio et exercitio sacrorum ordinum, sed insuper spoliatur *privilegio fori, clericalibus insignibus* cum præscriptis a jure solemnitatibus exuitur, et *brachio sæculari* secundum leges sæculares puniendus traditur.

b) Duplicem degradationem distinguit Bonifacius VIII, in *cap. Degradatio, De pœnis.*

1° Unam vocat *verbalem*, et est ipsa prolatio sententiæ per quam judex ecclesiasticus clericum ejicit e suo gradu, et foro laicali addicit.

2° Aliam nominat *actualem* seu *realem*, et est actus ipse, seu solemnis cæremonia, qua Episcopus clericum, verbali sententia antea degradatum, sacris spoliat insignibus, et reipsa tradit curiæ sæculari. — *Bened. XIV, De syn., lib. 9, cap. 6, num. 4.*

1714. **II. Degradatio, quæ omnium gravissima pœna est, infligitur propter quædam enormiora crimina** quæ in jure expressa habentur. Hæc sunt :

a) Hæresis, et multo magis apostasia a fide, saltem cum quis in illam relapsus aut in ea pertinax est. — *Cap. Ad abolendam, 9, et cap. 15, De hæreticis ; — Cap. 1 et 4, eod. tit., in 6o ; — Constit. Cum quorumdam, Pauli IV. et Dominici gregis, Clementis VIII.*

b) Falsificatio litterarum Apostolicarum. — *Cap. Ad falsariorum, 7, De crimine falsi ; — et cap. Novimus, 27, De verborum significatione.*

c) Gravis contumelia vel *calumnia* proprio Episcopo illata, seu structæ eidem insidiæ, et in ejus necem conspiratio. — *Can. Si quis, 18, causæ 11, q. 1.*

d) Procuratio abortus, effectu secuto. — *Constit. Effræ-*

natam, Sixti V. — Item assassinium. — *Cap. 1, De homicidio, in 6º.*

e) Nefandum sodomiæ crimen, non semel admissum. — *Constit. Horrendum, Pii V.*

f) Sollicitatio ad turpia in confessione sacramentali, si eam aggravent peculiares quædam circumstantiæ. — *Constit. Universi, Gregorii XV.*

g) Celebratio Missæ, aut exceptio confessionis sacramentalis, temere præsumpta ab eo qui sacro presbyteratus ordine non est initiatus. — *Constit. Etsi alias, Clem. VIII,* — *et constit. Sacerdos, Bened. XIV.*

h) Fabricatio aut adulteratio monetæ aureæ vel argenteæ, ejusque adulteratæ erogatio vel expositio in regnis, provinciis et civitatibus Italiæ. — *Constit. In suprema, Urbani VIII.*

i) Sacrilegum et execrabile furtum sanctissimæ Eucharistiæ, sive cum sacra pyxide, sive sine illa quis sacram hostiam surripiat et apud se retinere aut alio transferre præsumat. — *Constit. Cum alias, Alexandri VIII.*

Præter enumeratos casus, non potest procedi ad actualem clerici, cujuscumque criminis rei, degradationem, nisi ille sit incorrigibilis, hoc est nisi Ecclesiæ monita, sibique gradatim inflictas canonicas depositionis et excommunicationis pœnas, pervicaciter contempserit. — *Cap. Cum non ab homine, De judiciis.* — *Bened. XIV, De syn., lib. 9, cap. 6, num. 9 et seq.*

1715. **III. Degradatio nequit fieri nisi ab Episcopo consecrato.**

a) *Olim,* ad degradationem realem *presbyteri,* sex Episcoporum præsentia necessaria erat; ad deponendum vero *diaconum* vel *subdiaconum* tres requirebantur; et unus tantum ad degradationem clerici *in minoribus* exsistentis. — *Cf. Ferraris, v. Degradatio, num. 21.*

b) Hanc dispositionem *Tridentina synodus* immutavit, decernendo ut jam aliorum Episcoporum interventus non requiratur, sed Ordinario « etiam absque illis procedere

liceat, adhibitis tamen et in hoc sibi adsistentibus totidem *Abbatibus* usum mitræ et baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate aut diœcesi reperiri et commode interesse possint, alioquin aliis *personis in ecclesiastica dignitate constitutis*, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles exsistant ». — *Trid., sess. 23, c. 4, De ref.*

c) *Ritum* in degradatione reali servandum determinavit Bonifacius VIII, *cap. Degradatio, 2, De pœnis, in 6°.* — Et descriptum etiam reperies in *Pontificali Romano.*

1716. **IV. In Gallia, pœnam degradationis in clericos reos criminum,**

a) Episcopi prætermiserunt a sæculo XVII, propterea quod *magistratus sæculares*, non solum sibi assumpserant officium judicandi criminaliter reos, nulla habita ratione *privilegii* clericalis *fori*, sed nec passi sunt Episcopos *cognoscere* summarie de causa criminali clerici, antequam ad degradationem devenirent.

b) *In statu præsenti*, difficile est servare ritus solemnes degradationis realis, quia *reus* plerumque detrectabit in eo Episcopi imperium, et *magistratus sæculares* ab adsistendo Episcopo diffugient; sed nihil obstat quominus feratur sententia *verbalis* degradationis in clericum juridice convictum gravis delicti, antequam plectatur potestate sæculari.

Hoc servato juris ordine, primi Pastores præcavent, quantum in se est, ne inter fideles adhuc cohonestatus sit *juribus et officiis sui ordinis* clericus qui se infando crimine miserrime commaculavit, dum pœnas corporales luit a judice sæculari editas. — *Icard, Prælect., num. 838.*

1717. **V. Episcopus potest, servatis servandis, usu habitus sui ordinis clericis interdicere quos videt scandalo esse fidelibus,** licet non procedat usque ad *degradationem.*

a) Re quidem vera, sola degradatione Ecclesia aufert clerico *habitum* clericalem. Verum, in præsenti rerum statu, impossibile est Episcopo devenire ad *degradationem*

realem, reluctante reo. — Porro, necessitas quandoque urget providendi *honori ordinis clericalis* et bono Ecclesiæ, impediendo ne clerici, qui suo ordine prorsus se indignos præbent depravatis moribus, *vestem clericalem in publicum deferant.* — Ergo Episcopis jus inest hac gestatione habitus interdicendi clerico, si gravis urgeat necessitas eo modo prospiciendi honori ordinis clericalis.

b) Servandus vero est *ordo judicialis*, si ad *longum* vel *indeterminatum tempus* protrahatur interdictio; siquidem agitur de pœna canonica admodum gravi, quæ excedit limites paternæ correptionis; et facultas a concilio Tridentino data Episcopis procedendi *ex informata conscientia* non extenditur ad hujusmodi causas, uti constat ex dictis in *Tractatu De judiciis.* — *Icard, Prælect., num. 839.*

c) Stabilito jure Episcoporum, et servato in casu judiciali processu, sequitur Episcopos posse invocare *auxilium potestatis sæcularis* ad procurandum efficacius suæ sententiæ exsecutionem, quando hunc recursum admittunt mores publici, et necessarium id videtur ad consulendum dignitati status clericalis.

Confirmatur ex *praxi venerabilium Antistitum* qui, justissima causa ita exigente, ea severitate utendum duxerunt.

In Gallia, *Curiæ sæculares*, et ipsa *suprema Curia Cassationis*, judicia in eo sensu protulerunt. — *Cf. Icard, Prælect., loco citato.*

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX.

TRACTATUS VII.

DE PAROCHO ET VICARIIS PAROCHIALIBUS

TRACTATUS VIII.

DE REGULARIBUS.

TRACTATUS IX.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

TRACTATUS X.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

TRACTATUS XI.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS.

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

INDEX GENERALIS

ALPHABETICUS.

A

B

C

D

F

G

H

I

J

M

O

P

Q

R


S


T

U

V

BESANÇON. — IMPR. ET STÉRÉOTYP. DE PAUL JACQUIN.




BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
3 1197 21023 7688